Hunc librum Musis
suis inservientem
iure possidet
Theodor Mahlmann

R 31, b

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-24525661X-12/fragment/page=2

TM 0035

Theodor Mahlmann
16. Nov. 1991

Liber Aulæ Magd: Oxon.

IOHANNIS

GERHARDI

SS. THEOL. D. ET IN
ACADEMIA IENENSI
PROFESSORIS,

Locorum Theologicorum

CVM PRO ADSTRVENDA VERITATE,
tum pro destruenda quorumuis contradicentium
falsitate, per theses neruosè, solidè &
copiosè explicatorum.

TOMVS PRIMVS:

In quo continentur hæc CAPITA:

1. *De Scriptura sacra.*
2. *De legitima Scripturæ Interpretatione.*
3. *De Natura Dei, hoc est, Dei essentia & attributis diuinis.*
4. *De tribus Elohim siue de SS. Trinitatis mysterio.*
5. *De Deo Patre & æterno eius Filio.*
6. *De Spiritu sancto.*
7. *De Persona & Officio Christi.*

Quartùm editus & Capitibus distinctus.



FREE CHURCH OF SCOTLAND
EDINBURGH
COLLEGE LIBRARY

GENEVÆ,
Ex Typographia PHILIPPI GAMONETI.
M. DC. XXXIX.



Sereniſſimo ac Celſiſſimo Principi ac Domino
Domino

CHRISTIANO II.
S. R. IMP. SEPTEMVIRO ET ARCHIMARESCALLO, DVCI SAXONIÆ,

Iuliæ, Cliuiæ, Montium, Landgrauio Thuringiæ, Marchioni Miſniæ, Burggrauio Magdeburgenſi, Comiti in Marca & Rauenſpurg, Domino in Rauenſtein, Electori & Domino meo Clementiſſimo

Gratiam Dei perpetuam, Imperij tranquillitatem perennem, corporis ac animæ ſalutem ſempiternam P.

SERENISSIME ELECTOR, PRINCEPS CELSISSIME, DOMINE CLEMENTISSIME, præclarè ſcribit Caſſianus libr. 1. de Incarnat. *Morbo reſurgente nonnunquam ceſſare debet medicina, ſed quantò maior eſt ægritudo, tantò conſtantior requiritur curatio.* Nimirum graui olim cum variarum hæreſium morbo colluctatum eſt myſticum Chriſti corpus; Eccleſia, inquam, ab Arianis, Photinianis, Neſtorianis, Eutychianis, aliiſve eiuſmodi monſtris oppugnata eſt ſuperioribus ſeculis acerrimè, ſed prouidâ Ἀρχιποιμένος & Ἀρχιάτρου curâ per pientiſſimorum Imperatorum patrocinium & fidele Doctorum θεοδιδάκτων, præſertim, Athanaſij, Cyrilli, Auguſtini, Vigilij & aliorum miniſterium ab hiſce peſtibus liberata priſtinum obtinuit conſeruatâ ſanitate vigorem. Verùm enim verò idem ille morbus reſurgit hodiè, idem virus peſtilens infernalis Draco è ſuis hodiéque exhalat faucibus. Vt enim ſilentij nube inuoluam varias, eas tamen omnes erroneas opiniones, quibus plurimi ipſiſſimum Neſtorianiſmum & Eutychianiſmum poſtliminio in Eccleſiam reducere annituntur, an non ingentem minantur peſtem recentiores illi ſiue Samoſateniani ſiue Photiniani, quos vulgus Ne-Arianos

vocat, quibus tamen illi longè peiores sunt & pestilentiores! Num hîc cessabit medica manus? num taciti spectabimus plurima Ecclesiæ membra ferali hac peste corripi, æternæque morti tradi? Sed enim vt appareat, quàm omninò pestilens tabes & quàm virulentum carcinoma sit Photinianorum istorum doctrina, age presiùs aliquantulùm eam considerabimus, vt iuxta Magistri nostri ductum & monitum ex *fructibus* hos Pseudoprophetas cognoscamus. Matth. 7. v. 16. Docent illi, Christum Iesum non esse verum, naturalem ac æternum Dei Filium ab æterno à Patre genitum, imò negant ante suam ex Maria Natiuitatem ipsum ὑφισταμένοι aliquod fuisse, asserunt cõtra Christum esse ψιλὸν ἄνθρωπον, cui à Deo Patre diuina potentia ac scientia in tempore sit communicata, quo sensu ac respectu Deus Deique Filius in Scripturis quandoq; dicatur, sic ergo æternam Filij generationem impugnant, diuinitatem eius blasphemant, & sanctissimum Trinitatis mysterium proculcant. Hanc esse genuinam ipsorum doctrinam ex publicis scriptis Lælij & Fausti Socinorum, Francisci Dauidis, Gratiani Turpiani, Georgij Craceri, Iohannis Sommeri, Christophori Ostorodi, Valentini Schmaltzij & aliorum liquidò cognosci potest. Illos siue Photinianos, siue Samosatenianos, siue Seruetianos appellemus, perinde est, siquidem Photinus (teste Augustino libr. de hæres. ad Quod vult deum cap. 45. ex Philastro) *in omnibus Pauli Samosateni secutus fuit doctrinam.* Idipsum etiam ex mutua dogmatum collatione apparet. Paulus Samosatenus Antiochiæ Episcopus circa annum Christi 270. docuit, *Christum non semper fuisse, sed eius initium, ex quo de Maria natus est, existere, nec eum aliquid amplius quàm hominem esse* (ita Augustinus de hæres. cap. 44. eius hæresin describit) τὸν Λόγον *ita in DEO esse docuit, sicut est in eo bonitas sapientia, iustitia, & vt in hominis corde est verbum*, hoc est, negauit Λόγον esse distinctam à Patre hypostasin. Epiphanius lib. 2. tom. 2. hæres. 45. Tripart. lib. 1. c. 14. Niceph. lib. 6. cap. 27. *Ista hæresis* (verba sunt Augustini loco dicto) *aliquando cuiusdam Artemonij fuit, sed cùm defecisset, instaurata est à Paulo & postea sic à Photino confirmata, vt Photiniani quàm Pauliani celebriùs nuncupentur.* Photinus Syrmiensis Episcopus circa annum 345. *ante secula natiuitatem & existentiam Filij dicere fugiebat, sed Christum ex Maria initium habuisse dicebat.* Athanas. orat. de salut. adu. Christi. Tripart. lib. 5. cap. 5. Niceph. lib. 9. cap. 31. &c. Michaël Seruetus Hispanus circa annum 1532. finxit, Λόγον *fuisse meram ideam in mente Dei, non aliquid subsistens apud Patrem & IESVM hominem in vtero virginis vi Spiritus sancti fuisse ex* Λόγῳ *ceu ex diuino semine, & ex carne virginis tanquam materia conceptum & natum.* Videantur eius libri de Trinitate. Samosatenus damnatus est in Synodo Antiochena Anno 274. Photinus in concilio Syrmiensi Anno 356. (vel vt alij scribunt 351.) Seruetus

uetus exustus est Geneuæ Anno 1555. Ex his omnibus de συγγενείᾳ doctrinæ Samosatenianæ, Photinianæ & Seruetianæ facilè constare potest, ex qua porrò sequitur, recentiores illos in Transyluania, Polonia & vicinis regionibus hæreticos, qui Christi diuinitatem impugnant & Samosatenianos & Photinianos & Seruetianos appellari posse; proximè tamen ad Photini insaniam accedunt, vnde etiam ab eo sese denominare non inuiti ferunt. Sic enim scribit Faustus Socinus (cui plurimùm tribuere illi consueuerunt) in Disput. de IESV CHRISTI Filij DEI Natura siue existentia, nec non de peccatorum per ipsum expiatione aduersus Andream Volanum pag. 239. *Is fuit Photinus quondam Syrmij Episcopus, quem certum est ipsissimam nostram sententiam sermone & scriptis acriter defendisse.* Eodem pertinet, quod Ostorodus scribit in procemio super librum Germanicum, cuius titulus: Institutio de præcipuis articulis Christianæ Religionis in regno Poloniæ fol. 12. *Præcipuè verò ex eo intelligi potest, sententiam nostram de Christo non esse Arianam* (quod à beneuolo Lectore diligenter obseruari petit) *quia Ariani in Concilio suo Syrmiensi Photinum eius ciuitatis Episcopum vnâ cum doctrina ipsius condemnârunt, cuius doctrina (quoad articulum de Christo) vt ex historiis constat, omninò fuit eadem, quæ hodiè nostra est.* Hactenus Ostorodus. Sint ergo & dicantur, si ita collibitum ipsis fuerit, Photiniani, & sic erunt in suo Photino damnati antequam nati. Quod enim Syrmiense Concilium Arianismi insimulat Ostorodus, ex parte falsum est, siquidem interfuerunt ei non solùm Ariani, sed etiam pij & Catholici viri, vtpotè Hosius Cordubensis, Eusebius Nicomediensis & Marcus Arethusius Episcopi, quorum postremus Martyrij coronam postea adeptus, egregiam fidei Confessionem in Cõcilio isto edidit. Videatur Hilarius lib de Synodis, Tripart lib. 5. cap. 6. Sozom. libr. 4. cap. 5. Socrat. libr. 2. cap. 29. Apparet sanè diuersas fidei Confessiones in illo Concilio editas, quarum vna fauet Arianismo, altera verò aduersatur, sed quod Photini damnationem vnanimi Patrum istius Concilij consensu factam attinet, ea ab omnibus Orthodoxis, non illis solùm, sed & posterioribus temporibus rata semper fuit habita. Sed enim non tàm de nomine quàm de ipsa hæresi Photinianorum soliciti erimus. Sic ergo procedimus. Negatâ Filij Dei ab æterno cum Patre subsistentiâ, negatur protinus diuina eius Natura, negatâ diuinâ Filij Naturâ, negatur sacrosanctum Trinitatis mysterium, negatur Spiritus sancti æterna & Patri ac Filio coessentialis hypostasis. Vlterius negatâ diuinâ Christi Naturâ, totum redemtionis nostræ & satisfactionis per Christum præstitæ mysterium negatur. Neque enim nudi hominis passio & mors ἰσόρροπον λύτρον esse poterit pro peccatis mundi, obedientia nudi hominis non poterit iustitiam & salutem aliis promereri, sanguis

nudi hominis non poterit ignem iræ diuinæ extinguere. *Si in vna lance* (ait D. Lutherus lib. de Concil. & Eccles. Tom. 7. German. Ien. pag. 264. *peccata nostra & ira DEI peccatis nostris debita appendantur, & in altera Natura tantùm humana mors ponatur, aut homo tantùm pro peccatis nostris passus, tunc altera lanx deprimit nos ad infimum vsque infernum. Quod si verò in aduersa lance ponatur Dei passio, Dei mors, Dei sanguis, seu Deus pro nobis passus & mortuus, tunc grauior & ponderosior fiet lanx ista, quàm omnia peccata nostra & vniuersa Dei ira.* Porrò negata satisfactione pro peccatis nostris à Christo præstitâ, nostrorum operum meritis ad salutem adspirandum esse relinquitur, alia namque salutis via supereſt nulla. Posito operum nostrorum merito legis diuinæ perfecta & omnibus numeris absoluta impletio stabilitur. Positâ legis perfectâ per nos ipsos impletione Articulus de gratuita iustificatione per fidem in Christum euertitur. *Si enim ex operibus, iam non ex gratia* Rom. 11. v. 6. Subruto gratuitæ iustificationis fundamento, stabilitis contrà operum meritis & perfectâ legis impletione, vires liberi arbitrij modis omnibus saluæ atque integræ asseruntur. Stabilita liberi arbitrij rectitudine, peccatum originale, eiusdémque in posteros Adæ propagatio negatur: negato peccato originali virtus Baptismi negatur, & in externam quandam Ceremoniam omnis spiritualis efficaciæ expertem sacrum hoc lauacrum transformatur. Denique negata diuina Christi Natura, negatur etiam vera & salutaris corporis ac sanguinis ipsius in sacra Cœna κοινωνία, neque enim nudi hominis caro absque Capernaitica laniena manducari, multò minus viuifica esse potest; sed ideò & inde caro Christi est viuifica, *quia est verbi omnia viuificare valentis propria caro*, vt rectè pronunciat Concilium Ephesinum cap. 11. Negata autem satisfactione pro peccatis nostris per Christum præstita, negato Christi merito, negata gratuita per fidem in Christum iustificatione, negata Baptismi efficacia, negata corporis & sanguinis Christi in Cœna præsentia, quid quæso spei, quid consolationis, imò quid salutis nobis miseris potest esse reliquum? & tamen portentosos hosce ipsum salutis fundamentum directè euertentes furores potiùs quàm errores ad vnum omnes Photiniani isti, κερδαίνειν & absque vllis verborum μαλάγμασι siue incrustationibus in publicis Scriptis proponunt, spargunt, tuentur, eò audaciæ & impudentiæ nuper progressi, vt Illustri Academiæ VVitebergensi Catechesin quandam Racouiæ excusam inscribere, eandemque Amplissimo Senatui Gothano transmittere ac commendare non fuerint veriti. Hîc ergo religiosi istius silentij quo Dd. Orthodoxi non absque re hactenus vsi, rumpenda sunt claustra: hîc totis viribus furori ipsorum obuiam eundum: hîc manus medica admouenda & studio, quo potest fieri maximo, in prima herba venenata isthæc seges

conculcanda. Quamuis verò tenuitatis meæ, si quisquam alius probè mihi conscius sim, nec me fugiat, alios Theologos, quibus nec eruditione, nec autoritate, nec experientia vllo modo comparandus sum, in hac palæstra sese exercere & porrò etiam exercituros, tamen & meam qualemcunque drachmulam in vsum Ecclesiæ insumere volui, ac proinde serie Disputationum in hoc primo Tomo ita ferente prolixiùs contra Photinianos & quidem contra πρῶτον ψεῦδος ipsorum, quo æternam τοῦ Λόγου à Patre generationem & personalem eius subsistentiã impugnant, disserere institui, quam ad rem calcar mihi non mediocre addidit Reuerendus & Clarissimus Vir Dn. Fridericus Balduinus Theologiæ Doctor eximius, eiusdémque in Academia VVitebergensi Professor, & Ecclesiæ ibidem Superintendens, Dominus & amicus meus singulariter honorandus, qui honesto de chartulis hisce meis in literis suis prolato iudicio subiungit hæc verba: *Quicquid sit de aliorum in Catechesi Racouiensi examinanda instituto, labori tuo sanctissimo ex eo nihil decedet; perge itaque & hunc Tractatum quamprimùm in lucem publicam emitte, facturus rem Deo gratam & Ecclesiæ Christi vtilem, tibi verò ipsi honorificam, ysque, qui te vel audiunt vel legunt, salutarem.* Hæc ille, quæ in ipso huius Scripti frontispicio clypei instar omnibus obtrectatoribus proponere volui.

Tuæ verò, Serenissime Elector, Celsitudini hunc primum Theologicorum Locorum Tomum subiectisssimè inscribere debui ob causas numero plurimas, pondere grauissimas. Natus sum annos 27. Quedlinburgi Saxonum, quod Oppidum Sereniss. Celsit. V. Imperio & protectione gaudet: institutus sum per triennium in Illustri Sereniss. Celsit. V. Academia VVitebergensi, quam vt studiorum matrem meritò veneror, siquidem ea primo cœlestis doctrinæ lacte me imbutum ad alias postea Academias ablegauit: Illustri insuper Domui Saxonicæ, cumprimis verò Illustrissimo & Celsissimo Principi ac Domino, Domino Iohanni Casimiro Saxoniæ, Iuliæ, Cliuiæ, ac Montium Duci, Landgrauio Thuringiæ, Marchioni Misniæ, &c. Principi ac Euergetæ meo Clementissimo per quadriennium in Ecclesiis & Scholis seruitia mea fuêre hactenus subiectissimè parata, & vt spero ac precor, non omninò infrugifera: prodeunt denique hæ Opellæ Electorali Sereniss. Vestr. Celsit. Priuilegio munitæ. Tuæ ergo Serenissimæ Celsitudini, tanquam Illustrissimæ Saxonicæ Domus Capiti hæ chartulæ meritò debebantur, quarum autor omnia omninò eidem se debere lubens profitetur. Quid quod institutum hoc meum videbatur facere ad publicè testandum consensum illum, quem tùm in alijs omnibus, tùm etiam in summo religionis capite per singularem Dei gratiam omnibus simultatum fibris radicitùs euulsis Illustriss. Saxoniæ Domus hodie tuetur, ac vt porrò tueatur, seriis gemitibus omnes boni ac cor-

dati precantur. Suscipe ergo Serenissime Elector, Domine Clementissime chartaceum hoc, quod fero, munusculum, ac patere, vt ex splendore nominis, quod propter spectatum in cœlesti veritate zelum, singularia magnificæ munificentiæ in Ecclesias & Scholas documenta, prouidam pacis publicæ conseruationem, sinceram iustitiæ administrationem, aliásve heroicas virtutes Electore dignas Sereniss. V. Celsit. apud omnes iampridem consecuta est, etiam huic Opusculo lux aliqua concilietur, & plures ad illud euoluendum inuitentur. Deus noster, qui valdè exaltatur apud clypeos terræ Psal. 47. v. 10. concedat Sereniss. V. Celsit. vitam prolixam, Imperium securum, domum tutam, exercitus fortes, Senatum fidelem, populum probum, orbem quietum, & quæcunque hominis & Principis vota sunt (quibus verbis in primitiua Ecclesia pro Imperatorum salute Deo supplicare consueuerunt, teste Tertull. in Apologet. cap. 30.) Perscript. Heldburgi Cal. April. Anno 1610.

Sereniß. V. Celsit.

Subiectiß.

IOHANNES GERHARD D.

DE

DE SCRIPTVRA SACRA.

I.

AVSPICATVRI Theologicas disquisitiones, meritò à Scriptura ordimur, quam pro vnico Theologiæ principio agnoscimus: iam verò principij ἐργασία primum sibi iure vendicat locum, quippe ex cuius cognitione dependent reliqua.

Theologiæ principium est Verbum DEI.

2. *Vnicum* Theologiæ principium esse Verbum Dei in Scripturis sacris propositum, siue quod idem est, Scripturam sacram, probatur ex eius perfectione, quæ in eo consistit, quòd omnia, quæ credi, sperari ac fieri Deus à nobis voluit, absque vlla indigentia contineat. Hanc Scripturæ perfectionem postea demonstrabimus.

Scripturæ sacra.

3. *Dicitur Scriptura* sacra, quia est θεόπνευστος 2. Tim. 3. v. 16. Vt enim à Spiritu S. acti locuti sunt sancti homines 2. Pet. 1. v. 21. ita quoque *quicquid DEVS de suis dictis ac factis nos scire voluit, id* [Prophetis, Apostolis ac] *Euangelistis scribendum tanquam suis manibus imprauit.* August. 1. de conf. Euang. c. 35. Pertractat etiam res sacras & piâ huius scripturæ suæ meditatione Spiritus Sanctus hominem sanctificat. Vnde Hebræi Biblia vocant תורה.

4. *Verbum Dei scriptum* esse Theologiæ principium, nemo Christianorum negat, sed an vnicum sit principium, an verò præter illud etiam traditiones principij autoritatem obtineant, itemque an in solis Canonicis libris illud Dei verbum indubitatò contineatur, an verò etiam in Apocryphis quæstio est. Docent Ecclesiæ nostræ solos Canonicos libros esse illud vnicum Theologiæ principium.

CAPVT I.

De libris Canonicis & Apocryphis.

De libris Canonicis Veteris Testamenti.

5. *Canonici libri* Veteris Testamentis sunt: *Genesis, Exodus, Leuiticus, Numeri, Deuteronomion, liber Iosuæ, Iudicum, Ruth, duo libri Samuelis, duo Regum, duo Paralipomenon, Esdræ, Nehemias, Esther, Iob, Psalterium, Prouerbia Salomonis, Ecclesiastes, Canticum Canticorum, Esaias, Ieremias cum Threnis, Ezechiel, Daniel, Oseas, Ioël, Amos, Obadias, Ionas, Micheas, Nahum, Habacuc, Sophonias, Haggæus, Zacharias, Malachias.* Hi dicuntur ab Hebræis veteribus Esrim Vearba à numero, & diuiduntur in quatuor classes, prima dicitur Thorah Lex siue doctrina, & huic classi assignant quinque libros Moysis, quos Græci vocant πενταteuchon. Altera est Nebiim Reschonim, id est, Prophetarum priorum, cui tribuunt librum Iosuæ, Iudicum, libros Samuelis & Regum. Tertia est Nebiim Acharonim, id est, Prophetarum posteriorum, cui tribuunt Esaiam, Ieremiam, Ezechielem, & librum duodecim Prophetarum minorum. Quarta dicitur Sepher Ketubim, id est, liber Hagiographorum, illi tribuunt libros Paralipomenon, Psalterium, Prouerbia Salomonis, Iobum, Ruth, Ecclesiastem, Canticum Canticorum, Threnos Ieremiæ, Esther, Danielem, Esdram & Nehemiam.

Ἀναντίρρητα

6. *Reliqui igitur* omnes sunt extra Canonem, quos generali appellatione dicere possumus ἀναντίρρητος. Diuiduntur in duas classes, quarum prima est eorum, qui Canonicis libris in corpore Bibliorum additi, nō tamen parem cum illis autoritatem obtinent tales sunt *tertius, & quartus Esdræ, Supplementum Esther, Oratio Manassæ, Tobias, Iudith, Baruch, Epistola Ieremiæ libro Baruch annexa, liber Sapientiæ, Siracides, Danielis supplementum, libri Maccabæorum:* altera est eorum, qui simpliciter sunt reiectitij & fabulas continent repudiandas.

Apocryphi.

7. *Libri ἀναντίρρητοι* prioris classis à quibusdam dicuntur 1. *Ecclesiastici*, quia legebantur olim in Ecclesia, non ad probanda fidei dogmata, sed ad morum ædificationem. 2. *Apocryphi*, nimirùm habito respectu ad superiores, qui sunt indubitatò Canonici, cùm contra de horum autoribus non constet, quod ex immediato Spiritus S. afflatu scripserint. 3. *Canonici*, κατὰ τί scilicet & habito respectu ad classem alteram ἀναντιρρήτων, qui planè sunt reiectitij, cùm contrà hi sententias aliquas è Canonicis descriptas & Historias ad Ecclesiam Dei pertinentes contineant, ac in Ecclesiæ conuentu legi consueuerint, quo sensu accipiendum, quod August 2. de doct. Christ. c. 8. & lib. 18. de ciuit. Dei c. 36. eos vocat Canonicos.

Caietani tex.

8. *Pertinet huc locus* Caietani in comm. hist. V. T. in fine. *Ne turberis nouitie* [ait] *si alicubi repereris libros stimonium. istos* [Iudith, Tobiam, Macabæorum, &c.] *inter Canonicos supputari, vel in sacris Conciliis, vel in sacris Doctoribus. Nam ad Hieronymi limam reducenda sunt tàm verba Conciliorum, quàm Doctorum & iuxta eius sententiam libri illi & si qui alij in Canone Bibliæ similes non sunt Canonici, id est, regulares ad firmanda ea, quæ sunt fidei: possunt tamen dici Canonici, id est, regulares ad ædificationem fidelium, vt pote in Canone Bibliæ ad hoc recepti, & autorisati.* Hactenus Caietanus.

Ἀναντίρρητοι

9. *Libri ἀναντίρρητοι* posterioris classis dicuntur propriè Apocryphi, non solùm, quia occultæ sunt originis [quo sensu etiam priores quandoque ita appellantur] sed etiam quia abscondendi sunt, neque in Ecclesia legendi, cùm superstitiosas & confictas proponant fabulas.

10. *Cæterum non omnes* illos libros, qui in V. Testamēti codice habentur, esse paris autoritatis, sed quosdam saltem Canonicos, quos enumerat thesis quinta, reliquos verò [nimirùm thesi sexta enumeratos] esse extra Canonem, his demonstramus argumentis.

Euictio librorum Canonicorum.

Primum esto. Quicunque libri non sunt à Prophetis scripti, illi ad Canonem Veter. Test. referri nequeunt. Libri illi thesi sexta enumerati nō sunt à Prophetis scripti. E. ad Canonem V. T. referri nequeunt.

3 Argumentum ab auctore.

Maiorem deducimus ex 2. Petri 1. v. 21. *Non voluntate humana allata est aliquando Prophetia, sed Spiritu Sancto acti locuti sunt sancti DEI homines.* Concludit Apostolus, Scripturam non debere exponi humano arbitrio, ex eo, quia non est perscripta humano arbitrio, sed ex inspiratione Spiritus S. vnde colligi potest, omne id, quod non ex immediata Spiritus S. inspiratione profectum, non pertinere ad Scripturam sacram, siquidem aliàs labasceret argumentum Apostolicum. Pertinet etiam hûc, quòd Eph. 2. v. 20. *extructi* dicimur *super fundamentum Apostolorum & Prophetarum.* Luc. 16. vers. 39. ablegamur ad audiendum *Mosen & Prophetas.* Rom. 16. v. 26. Euangelium Christi dicitur *patefactum per Scripturas Propheticas.* Luc. 24. v. 44. *ex Lege Mosis, Prophetis & Psalmis* Christus de se testatur v. 45. additur, *aperuisse* eum discipulis *mentem, vt intelligerent Scripturas.* vnde colligimus, quicquid non est Propheticum [nomine accepto generaliter pro omni eo, quod à Prophetis immediata Spiritus S. operatione perscriptum] vel, quod idem est, quicquid non continetur in Mose, Prophetis & Psalmis, illud non pertinere ad Canonicas V. T. Scripturas. Minorem confirmamus ex eo, quòd libri illi scripti sint post Malachiæ tempora, qui fuit vltimus Propheta: præterea destituuntur lingua Prophetica: pleraq; enim omnia in libris V. T. Canonicis [exceptis quibusdam n Daniele, Esdra & Ieremia] Hebræo sermone sunt perscripta: Contra verò libri Apocryphi non nisi Græco vel Latino idiomate perscripti hodiè extant [licet Hieron. videatur innuere quosdam ex illis olim Hebræa lingua scriptos extitisse.]

2. Argumentum à Christi & Apostolorum calculo.

11. *Alterum argumentum* hoc esto: Quicunque libri destituuntur Christi & Apostolorum in N. T. approbatione, illi non pertinent ad Canonem V. Test. quia Christus & Apostoli doctrinam suam ex authenticis V. Test. Scripturis semper demonstrarunt. Actor. 10. v. 43. *Omnes Prophetæ testimonium perhibent de Christo. Scrutamini Scripturas,* dicit Christus Ioh. 5. vers. 39. *illæ enim sunt, quæ testantur de me;* quæ verò sunt illæ Scripturæ? Luc. 24. v. 44. *Lex Mosis, Prophetæ & Psalmi,* in illis de Christo scriptum. Actor. 26. ver. 22. testatur Paulus, *quòd nihil dixerit extra ea, quæ Prophetæ locuti sunt futura esse, & Moses.* In his dictis Canonicæ Scripturæ datur testimonium. At libri illi enumerati thesi sexta nunquam à Christo aut Apostolis ad dogmatum confirmationem allegantur, & carent insuper Propheticis oraculis de Christo. Ergo ad Canonem V. T. referri nequeunt.

3. Argumentum à perpetua panharmonia.

12. *Argumentum tertium.* Quicunque libri vel explorato Canonicis repugnant, vel in veritatem Historicam & Chronologicam impingunt, vel sibiipsis contradicunt, vel quorum autores suæ scriptioni veniam precantur, illi Canonici esse non possunt, quia Spiritus sanctus est *Spiritus veritatis,* Ioh. 15. v. 26. c. 16. v. 13. non ergo vel sibiipsi vel Historiis veris contradicit, est etiam *Spiritus certitudinis,* Ps. 51. v. 12. Ergo non opus est, vt veniam sibi precentur, qui ex immediato Spiritus Sancti afflatu scribunt. At illi libri thesi sexta enumerati sæpè contradicunt, vel libris indubitatò Canonicis, vel veritati Historicæ, vel sibiipsis, ac quidam Scriptores eorum veniam suę scriptioni precantur, id quod sigillatim ostendemus alio tempore, & conciliationes, quas operosè conquirunt, qui autoritatem Canonicam illis vendicant, lubricas esse probabimus, quin & multi nostratium idipsum iamdudum præstiterunt. Ergo illi libri ad Canonem V. T. referri nequeunt.

4. Argumentum à testimonio Ecclesiæ veteris.

13. *Argumentum quartum,* Quicunque libri Ecclesiæ veteris Iudaicæ & Christianæ primitiuæ testimonio destituuntur, illi non sunt Canonici. At libri illi thesi sexta enumerati destituuntur Ecclesiæ Iudaicæ in V. T. & Christianæ in N. testificatione. Ergo non sunt Canonici. Maiorem ita explicamus & confirmamus. Etsi Ecclesia sua autoritate nullum librum facit Canonicum, quippe Canonica Scripturæ autoritas est à solo Deo, Deus in Scripturis & per Scripturas nobis loquitur. Quàm ergo augustè de Deo sentim⁹, tam reuerenter etiam eius vocem in Scripturis audiamus: tamen Ecclesia suo testimonio confirmat, qui libri sint verè θεόπνευστοι, à Deo sibi traditi & proinde Canonici. Hinc Apostolus Rom. 3. vers. 2. refert inter prærogatiuas Iudæorum, quòd illis concredita τὰ λόγια θεοῦ, nimirum quia *annunciat Deus verbum suum Iacob & iudicia sua Israelu,* Ps. 147. v. 19. *Non fecit taliter omni nationi, & iudicia sua non manifestauit eis,* vers. 20. Quomodo verò depositum illud Scripturæ Canonicæ Iudęis concreditū fuerit, ex seqq. locis potest colligi. Deut. 31. v. 24. *Cùm Mose finem fecisset scribendi verba legis istius in libro, donec ea complerentur* v. 25. *præcepit Leuitis portantibus arcam fœderis Iehouæ dicendo* v. 26. *Capite librum istum legis, & ponite eum in latere arcæ fœderis Iehouæ Dei vestri, sitque ibi contra te in testem.* Iosuæ 24. v. 26. *scripsit Iosua verba ista in libro legis Dei.* Esa. 8. v. 1. *Dixit Iehoua ad me, sume tibi volumen grande & scribe in eo stylo hominis.* cap. 30. v. 8. *Ingredere & scribe ipsam in tabulam apud eos, & in libro scribe eam, vt sit in die nouissimo in testimonium vsque in seculum.* Ierem 30. v. 2. *Sic dixit Iehoua, scribe tibi omnia verba, quæ locutus sum ad te in libro.* Ex his & consimilibus locis apparet, quod Prophetæ ex DEI mandato præcipua capita doctrinæ diuinitùs reuelatæ conscripserint, & libros hosce scriptos Ecclesiæ Iudaicæ ac Leuitis commendarint, vt in arcæ latere ponerentur, id quod Paulina vox ὑπέθετο innuit. Quæcunque igitur Scripturæ carent isto Ecclesiæ veteris Iudaicæ testimonio, non possunt agnosci pro Canonicis. Finge, quòd partem aliquam Scripturæ diuinæ & Canonicæ Ecclesia Iudaica tempore Christi respuerit, an non fuisset necessarium, eam hoc nomine à Christo & Apostolis accusari? præsertim cùm falsas interpretationes Phariſæorum tàm acriter taxarint; Nusquam verò legimus tale quid in Iudaica Ecclesia istius temporis à Christo vel Apostolis deprehensum ac reprehensum. August. 12. contra Faustum c. 23. *Quid est gens ista* [Iudaica] *nisi scriniaria Christianorum, baiulans legem & Prophetas ad testimonia assertionis Ecclesiæ?* Idem iudicium esto de primitiuæ Ecclesiæ in N. T. testimonio. Minoris vtraque pars manifesta est. Iudæos enim illos solos libros pro Canonicis agnoscere, quos enumerauimus thesi quinta, testatur Iosephus l. 1. contra Appionem & ex eo Eusebius l. 3. c. 10. De Ecclesia primitiua N. T. idem per aliquot annorum centurias demonstrari potest, id quod alibi expeditum dabitur.

Exceptiones Pontificiorum. 1. Apostolos declarasse, quod hi libri sint Canonici.

14. *Neque hîc valet* exceptio, *etiamsi Iudaica Ecclesia libros illos non receperit pro Canonicis, tamen ab Apostolis declaratum esse, quòd etiam hi libri sint Canonici.* Etenim 1. id asseritur sine teste, siquidem Apostoli illis libris non sunt vsi, nec proferri potest vllum documentum, quòd Apostoli autoritatem Canonicam illis tribuerint. 2. quidam ex ipsis Pontificiis negant, libros hosce ab Apostolis approbatos. Catharinus lib. 1. annot. in Epist. Corinth. reprehēdit Caietanum, quòd affirmauerat, *eam solam esse sacram ac diuinam Scripturam, quam Apostoli aut scripserunt aut approbarūt,* atq; addit,

Ecclesiam

Ecclesiam quosdam libros recipere, vt Canonicos, quos nec scriptos ab Apostolis, nec approbatos esse constet. 3. Si tàm multi libri Canonici à vetere Ecclesia Iudæorum non sunt recepti, sequetur, multos libros Canonicos à nulla Ecclesia receptos, quæ enim tùm temporis erat alia quàm Iudaica?

2. Alium esse Canonem Iudæorum, quàm Christianorum.

15. *Neque procedit*, si excipere quis velit, *Patres loqui de Canone Iudæorum non Christianorum*. Etenim 1. inspectio locorum apud Patres ostendit diuersum. Laodi. Synod. c. 59. præscribit, qui libri pro Canonicis *in Ecclesiis* legi debeant. Melito Sardensis apud Euseb. l. 4. cap. 26. testatur, *se profectum in Orientem & libros omnes V. T. accuratè didicisse*, id verò frustraneum, si alium Iudæorum, alium Christianorum Canonem esse statuisset. Athanas. in Synopsi ait, *libros non Canonicos solis Catechumenis legi solitos* ad morum scil. ædificationem. Cyrill. Hierosol. in Catech. 4. enumerat eodem ordine Canonicos [nisi quod Baruch adiungit] & addit: *cum Apocryphis verò nihil habeas negotij, has tantùm studiosè meditare Scripturas, quas in Ecclesia confidenter legimus: Multò prudentiores te & religiosiores fuerùt Apostoli & primi Episcopi veritatis duces, qui nobis eas tradiderunt, &c.* Ruffin. in expos. Symb. dicit, *quos Ecclesia nostra iudicant pro Canonicis*. Hieron. in præf. in paral. *Apocryphæ nescit Ecclesia, ad Hebræos igitur reuertendum, vnde & Dominus loquitur & discipuli exempla præsumunt*. Sic præf. in libr. Salom. *Sicut ergo Iudith & Tobiæ & Maccabæorum libros legit quidem Ecclesia, sed eos inter Canonicas Scripturas non recipit*; vbi expresè de Ecclesia Christianorum loquitur. Hi tamen omnes eodem modo, quo nos Canonicos libros enumerant. Si verò hoc sensu dicunt, aliũ esse Canonem Iudæorum, aliũ Christianorum, quod præter verè Canonicos Ecclesia quosdam publicè ad morum ædificationem legendos receperit, concedimus; addimus tamen, hanc Ecclesiæ receptionem nó efficere, vt pro Canonicis propriè sic dictis & diuina inspiratione editis haberi possint: Ea enim sola, quæ ab Apostolis scripta, seu ab eis approbata sacræ Scripturæ autoritatem habent Augu. contra Faustum c 5. *Distincta est à posteriorum libris excellentia Canonicæ autoritatis Veteris & N. Test. quæ Apostolorum confirmata temporibus per successiones Episcoporum & propagationem Ecclesiarum, tanquam in sede quadam sublimiter constituta est, cui seruiat omnis fidelis & pius intellectus.* Vide etiam Caiet. super 1. Cor. 12.

Argumentum sententiæ Pontificiorum.

16. *Huic nostræ* sententiæ de Canonicis Vet. Test. libris solent Pontificij pro defensione Concilij Tridentini hoc opponere, quòd Aug. & Concilium Carthaginense in discriminatim omnes Vet. Test. libros nominent Canonicos. Respondere possemus, 1. non omnia quę Patres & Concilia statuunt, esse recipienda; 2. vetustiores Patres & Concilia vetustiora nostram sententiam probare; 3. plura Patrum & Conciliorum testimonia vnius Patris & Concilij sententiæ esse præferenda; 4. Patres tàm pòst, quàm ante illud Concilium & Augustinum obseruare discrimen librorum Canonicorum & Apocryphorum; 5. fuisse hoc Concilium particulare; 6. si dicatur confirmatum esse in vniuersali Trullano, respondere possemus, Piggium, Canum, Bellarminum statuere, quòd Canones Synodi Trullanæ sint dubiæ fidei; 7. multa esse in illis Synodis, quæ nec ipsi Pontificij recipere possunt. Hæc, inquam, & plura alia respondere possemus ad vim argumenti infringendam, sed vnicum hoc pro solida eius explicatione vrgebimus, quòd Augustin. & Concilium [cui Augustinus interfuit] non tres cum Eusebio & Hieronymo [quos superius non secuti sumus] sed duos tantùm scriptorum ordines vocabulis Canonicorum & Apocryphorũ distinguant. 1. vocant Apocrypha, quæ sunt fabulosa, adulterina & falsa. Sic Augustin. lib. 15. de ciuit. Dei c. 23. vocat *fabulas Scripturarum, quæ Apocryphæ nominantur, quarum propter multa falsa nulla est Canonica autoritas.* Alibi dicit, *a sutoribus fabularum sub nomine Apostolorum scripta esse Apocrypha.* 2. ea, quæ in Ecclesiis legebantur, vocant vno nomine Canonica, quibus tamen parem autoritatem non tribuunt. Sic lib. 18. de Ciu. D. c. 36. dicit Auguit. *Supputatio illa temporum non in Scripturis sanctis, quæ Canonicæ appellantur, sed in aliis inuenitur, in quibus sunt & Maccabæorum libri, quos non Iudæi, sed Ecclesia pro Canonicis habet propter Martyrum quorundam passiones.* (Canonicum ergo Augustino est, quicquid in Ecclesia ad morum ædificationem publicè legitur, etiamsi non sit propriè & verè Canonicum ad firmanda fidei dogmata. Caietan. sub fine comm. in Histor. Vet. Test.) Sic lib. 2. contra Epistolam Gaudent. c. 23. monet, *sobriè legendos Maccabæorum libros* (hanc cautionem propriè dictis Canonicis non adhibuisset, vt colligitur ex 11. contra Faust. c. 5.) lib. 2. de mirab. Scrip. libros hosce *à diuino Canone* distinguit. lib. 17. de ciuit. Dei cap. 20. concedit, *ea minus firma esse, quæ non sunt scripta in Canone Iudæorum.* 2. de doctrin. Christ. cap. 8. *Tenebit* (Catechumenus) *hunc modum in Scripturis Canonicis, vt eas, quæ ab omnibus recipiuntur Ecclesiis Catholicis, præponat eis, quas quidam non accipiunt, in eis verò quæ non accipiuntur ab omnibus, præponat eas, quas plures grauioresque recipiunt.* Ex quibus patet, Canonicum Augustino dici, quod non est plane reiectum tanquam fabulosum, sed quod in Ecclesia legitur ac legi potest ad morum ædificationem, etiamsi cum reliquis verè Canonicis non habeat parem autoritatem. Eodem modo definiunt Patres Carthaginenses, quid sit Canonicum. *Hoc fratri & Consacerdoti nostro Bonifacio & aliis earum partium Episcopis pro confirmando isto Canone innotescat, qui à Patribus ista accepimus in Ecclesia legenda.* Repete hic, quæ diximus suprà thesi 6. & 7. ac obserua, Trullanam Synodum non solùm hoc Carthaginense, sed etiam Laodicenum confirmare Concilium. Cùm verò plures libros in Canonem referat Carthaginensis, quàm Laodicena Synodus, inde apparet, in latiori significatione nomen Canonici à Carthaginensibus Patribus vsurpari.

Carthaginensi Synodo Canonicum quid.

De libris Noui Testamenti.

17. *Atque hi sunt* V. Test. libri Canonici: Vtrùm verò etiam inter N. T. libros itidem tale discrimen statuendum, vt quidam eorum dicantur Canonici, quidam Apocryphi, hac de re videtur etiam inter reformatę Ecclesię scriptores esse diuersitas sententiarum, quam tamen facilè conciliare possumus, si rem ipsam rectè perpendimus & æstimamus. Si dicatur Canonicum, quod ad probanda fidei dogmata, tanquam ab Apostolis profectum adhiberi potest, hoc sensu omnes libri, qui in N. T. codice continentur, sunt Canonici. Si verò dicatur Canonicum, de cuius Scriptore nullo vnquam tempore dubitatum in Ecclesia, hoc sensu distinguuntur à reliquis Nou. Test. libris *Epistola ad Hebræos, posterior Petri, secunda & tertia Iohannis, Epistola Iacobi, Iudæ & Apocalypsis*, de quibus aliquando fuit dubitatum in primitiua Ecclesia, quo respectu dicuntur Ecclesiastici vel Apocryphi, reliqui autem Canonici. Cum modestionibus facilè in hac controuersia potest consensus iniri. Quale fuerit primitiuæ Ecclesiæ de singulis hisce Nou. Test. dubiis libris iudicium, alibi explicabimus.

Augustino Apocryphũ quid.

CAPVT II.

De autoritate Scripturæ sacræ.

18. *Huius Canonicæ Scripturę* autoritas vnde depen-

Scripturæ

Canonica autoritas. deat ac cognoscatur, magno conatu disceptatur. Vt nostrarum Ecclesiarū sententia magis eluceſcat, præmittemus hypotheſeon loco quasdam distinctiones.

Hypotheſes 1. *Prima* hæc sit. De Scripturæ autoritate quæri potest dupliciter: primò absolutè, quatenus in se & per se interna eius autoritas nulla ratione nostræ cognitionis habita consideratur. Deinde relatè, reſpectu nostræ notitiæ ac cognitionis, nimirum vnde nobis illa innoteſcat. 2. Duo sunt hominum genera, quibus Scripturæ autoritas innoteſcit, vel etiam nota facienda, quidam sunt intra Ecclesiæ pomœria, seq; eius membra profitentur, quidam verò sunt extra Ecclesiam. 3. Eorum, qui sunt extra Ecclesiam, quidam reiiciunt totā Scripturam: quidam ex parte vt Iudæi, qui N. T. non admittunt. 4. Quidam afferunt animum discendi cupidum, quidam verò præfractè ac contumaciter veritati reſistunt. 5. Tres sunt classes testium, qui de autoritate Scripturæ testantur. Primus ac præcipuus testis est Deus ipse; vel, quod idem est, Spiritus S. in Scripturis loquens, & corda hominum de veritate confirmans. Altera classis testiū continet interna Scripturæ *χριτήρια*, quę reuocari possunt ad quatuor fontes; Scriptorum manum, doctrinā, stylum, & efficaciam. Per manum Scriptorum intelligimus, quòd Prophetæ, Euāgeliſtæ, & Apoſtoli sua manu scribere vel subscribere conſueuerint. Doctrinæ maieſtas rerum veritate, sanctitate & sublimitate continetur. Veritas elucet ex mutuo conſenſu partium doctrinæ, inter se & cum Vet. Testam. canone, itemq; ex erratis sincere notandis, quin etiam ex Prophetiarum cum earum euentu summa conuenientia. Sanctitas in eo conſiſtit, quòd Deum & officium noſtrum erga ipſum puriſſimè describit. Sublimitas in myſteriis conſiſtit, quæ captum humanum excedunt. In Stylo elucent ſimplicitas & perſpicuitas, verborū pondera & autoritas, quæ emicat ex aſſertionibus & præceptis: nullum in narrationibus, promiſſionibus vel minis dubitationis veſtigium: præcepta non tàm rationum momentis, quàm Dei voluntate firmantur. Efficacia se exerit in conuerſione multorum, & aduerſariorū ſubiugatione. Scriptura enim amorem veritatis & ſanctitatis excitat, inq; aduerſis quibuſcunque firmam conſolationem præbet. Amorem veritatis demonſtrat non ſolùm libera fidelium cōfeſſio, ſed etiam Martyrum per ſanguinem obſignatio. Inuictam Scripturæ firmitatem oſtendit, quòd aduerſus tot machinas ſatanę & mundi furores perſtat, ac mirabili ſucceſſu triumphat. Tertia classis testium continet externa de Scripturæ autoritate testimonia, possunt enim ex omnium hominum genere de ea proferri testimonia.

Testantur de Script. autoritate DEVS. *Manus Scriptorum.* *Doctrinæ veritas.* *Sanctitas.* *Sublimitas. Stylus.* *Efficacia.* *Testimonia externa.*

19. *His præſuppoſitis* dicimus omnem Scripturæ autoritatem dependere à ſolo Deo, quia enim Deus, qui in Scripturis & per eas ad nos loquitur, eſt *αὐτοαλήθεια*, ideò ſimpliciter & per ſe credendum Scripturæ.

Vnde nobis innoteſcat Scripturæ autoritas. 20. *Si dicas, quæſtionem eſſe, vnde nobis Scripturæ autoritas innoteſcat?* Reſp. Homines, qui intra Ecclesiæ pomœria sunt, de Scripturæ autoritate non quærunt, est enim principium. Quomodo possent esse verè diſcipuli Chriſti, ſi doctrinam Chriſti velint in dubium reuocare? quomodo vera Ecclesiæ membra, ſi de fundamento Eccleſiæ dubitare velint? quomodo id ſibi probari petent, quod ad probanda alia ſemper aſſumunt? Quomodo de eo dubitarent, cuius efficaciam in cordibus perſentiſcunt? *Spiritus S.* in ipſorū cordibus *teſtatur quòd Spiritus ſit Veritas*, id est, quòd doctrina à Spiritu S. profecta ſit immota veritas 1. Ioh. 5. v. 6. Si in tentationibus de Scripturæ autoritate dubitare incipiant, perinde cum illis agendum, atque cum iis, qui negant, eſt enim dubitatio negationi proxima.

21. *Illi*, quæ extra Ecclesiæ pomœria conſtituti præfractè & contumaciter veritati reſiſtunt, nullis poterunt argumentis permoueri: cum ſanabilibus res nobis erit, qui ſi ex parte tantùm Scripturam repudient, conuinci poterunt ex parte eius altera. Sic Iudæi de veritate & autoritate N. Teſt. ex Veteri, quod recipiunt, conuinci poſſunt.

22. *Quòd ſi autoritas* Scripturæ perſuadenda illis, qui ex toto eam negant, confugiendum ad classem illam triplicem ſuperiùs propoſitam. Quamuis autem Spiritus S. teſtimonium ſit præcipuum ac ſummum, tamen ab eo non faciendum in conuerſione talium hominū initium, id eſt, non iubeantur expectare, donec Spirit. S. in ipſorum cordibus immediatè de Scripturæ autoritate teſtetur, ſed deducendi ſunt ad teſtimonium Eccleſiæ, quæ hac in parte fungitur officio præceptoris pagani diſcipuli. Quemadmodum igitur *diſcentem primò oportet credere*, donec ipſemet poſtea de præceptis iudicium ferre poſſit, ita oportet paganum Eccleſiæ teſtimonio aſſenſum præbere, qui primus eſt ad autoritatem Scripturę inquirēdam gradus: addenda deinde ſunt interna illa *χριτήρια* antiquitatis, vaticiniorum, miraculorum, &c. Etenim ſolum & vnicum Eccleſiæ teſtimonium non eſt ſufficiens ad perſuadendam pagano Scripturarum diuinam autoritatem, cùm adhuc ipſe dubius ſit, an Eccleſia illa ſit vera Dei Eccleſia. Quemadmodum igitur præceptoris eſt, non ſolùm præcepta proponere, ſed etiam eorum veritatem corroborare, ita nō ſufficit, ſi Eccleſia affirmet, has eſſe diuinas Scripturas, niſi ſui affirmati proferat rationes. Tum demum ſequetur, vt Spiritus S. in corde ipſius ferat teſtimonium, & ſuorum verborum veritatem obſignet, qua de re Auguſtin. contra Epiſt. Fundam. c. 5. hic ſcribit. *Sequamur eos, qui nos primum inuitant credere, quod nondum valemus intueri, vt fide valentiores facti, quod credimus, intelligere mereamur, non tam hominibus, ſed ipſo DEO intrinſecus mentem noſtram firmante & illuminante.*

23. *Pertinet huc* pulcerrima hiſtoria ex Ioh. 4. quæ totam hanc rem declarare poteſt. Samaritana mulier, quæ Chriſtum audierat, & ex eo veritatem didicerat, *abiit in ciuitatem, & dicit illis* v. 29. *Venite & videte hominem, qui dixit mihi omnia, quæcunque feci, nunquid ipſe eſt Chriſtus?* Ciues illi Samaritani ad Chriſtum deducti & ipſum audientes poſtea dicunt verſ. 42. *Non amplius* [ita enim eſt in græco] *propter tuam loquelam credimus, ipſi enim audiuimus & ſcimus, quia hic eſt Saluator mundi.* Ita quoque Eccleſiæ teſtimonio tanquam beneficio cuiuſdam *χειραγωγίας* ad Chriſtum in Scripturis nobis loquentem adducimur; poſtea autem ipſa Chriſti vox animos noſtros ita percellit, vt non ampliùs propter Eccleſiæ teſtimonium credamus, ſed maieſtatem verbi cœleſtis ipſimet Spiritus S. operatione perſentiſcamus.

24. *Quando ergo* Eccleſia de Canonica autoritate Scripturæ teſtatur, ſui teſtimonij rationes profert & proferre poteſt. Eccleſia *primitiua*, quæ ipſos audiuit Apoſtolos, prima acceptione librorū, voce Apoſtolorum, & numero miraculorū ad Canonis autoritatem probandam excelluit: *proxima* durantibus adhuc Apoſtolorum autographis *primitiuam* antecelluit ampliori prophetiarum N. T. cōplemento & verſionum vtriuſque Teſtamenti in varias linguas frequentia, & exarato variis libris fidelium de Scriptura ſacra teſtimonio; *ſequentem*, Apoſtolorum & Euangeliſtarum manu, primitiuæ Eccleſiæ auditione & miraculorum numero ſuperauit. *Poſtrema* autographis Apoſtolorum ſublatis maiori ſaltem prophetiarum complemento primitiuā & mediam Eccleſiam antecedit.

25. *Patet*

Ecclesia testatur de Canonis auctoritate, nō autem eam constituit.

25. *Patet ex his* Ecclesiæ testimonium nec vnicè nec præcipuè autoritatem Scripturę Canonicam nobis persuadere. Testatur quidem Ecclesia de Canonis autoritate, num autem hîc subsistimus? minimè verò. Hodierna enim Ecclesia hoc suum testimonium accepit à primitiua, primitiua ab Apostolis, qui testimonium perhibuerunt de Christo. Iohan. 15. v. 27. & fuerunt eius testes vsque ad extrema terræ. Act. 1. vers. 8. Apostoli acceperunt à Christo, qui est ὁ μάρτυρ ὁ πιστὸς Apoc. 1. v. 5. & Spiritus Sanctus per Apostolos testatus est. Ioh. 15. v. 26.

26. *Vltima omninò* fidei resolutio fieri debet in Scripturas, non in Ecclesiæ testimonium. Scriptura enim fidei principium, non Ecclesia. Non ex Ecclesia Scriptura, sed ex Scriptura Ecclesia æstimanda est. Quæ sit vera Ecclesia, quæ eius autoritas ex Scriptura discendum. Quære à Pontificio, cur Ecclesiæ testimonium sit fide indubitatæ & certissimæ? respondebit ex Concilio Tridentino, quia regitur à Spiritu S. ideò in suis iudiciis ac decretis errare nequit. Quære vlterius, vnde sciat eam à Spiritu S. regi? respondebit hoc Christum pollicitum esse, Matth. 28. v. 20. *Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem seculi.* Iohan. 16. v. 13. *Spiritus S. ducet vos in omnem veritatem.* Quòd si ergo ex Scriptura illa Ecclesiæ autoritas mihi cōprobanda, necesse est Scripturæ autoritatem iam antè mihi debere esse sacrosanctam atq; authenticam, aliàs incertum per æquè incertum probaretur. Pertinent huc, quę Raymundus de Sabūde Theol. Hisp. scribit Theol. natur. c. 209. *Cùm honor sit credere alicui & verbis eius, sequitur, quod homo debet credere Deo, imò debet ei primò & per se sine alio testimonio, sine alia aliqua probatione purè & simpliciter suo simplici verbo solùm, quia ipse dicit vel dici fecit, credere: & per consequens debet homo credere quidquid Deus dicit, ita quòd tota causa, tota radix, totum fundamentum credendi verbis Dei debet esse, quia ipse dicit, & talem honorem tenetur, & debet homo Deo & verbis eius, &c. Scil. credere omnia verba Dei, quia ipse dicit, &c. Si enim nō volo credere verbis Dei, propterea quia ipse dicit, sed quaro aliam probationem & aliud testimonium, tunc magis credo alicui alteri quàm Deo, & reputo aliquid aliud magis verax quàm Deum. Cap. 211. Sicut creatura in nullo fundantur, in nullo sustentantur, nisi in solo Deo immediatè & antè se nihil habent, nisi Deum: ita ipsa verba & dicta Dei & ipsius Biblia in nullo fundantur, in nullo sustentantur, nisi in sola Dei autoritate immediatè, quia non fundantur in aliqua probatione nec argumentatione, &c.* Et postea: *Certitudo & firmitas & soliditas veritatis ipsius Bibliæ sanctissimæ oritur, & dependet ex sola Dei autoritate infallibiliter & in ea solùm fundatur, eo quia ipse dicit, &c.*

An & quomodo dogma de Canone extet in Scripturis.

27. *Ex his patet, quid* respondendum sit ad argumentum. *Dogma de Canone est articulus fidei. Dogma de Canone non extat in Scriptura sacra. Ergo quidam articulus fidei non extat in Scriptura sacra.* Resp. Vtraque propositio explicatione indiget. Dogma de Canone propriè loquendo non est articulus fidei, siquidem Moses, Prophetæ, Euangelistæ & Apostoli ista scriptione non fabricarunt nouum articulum fidei, prioribus, quos viua voce docuerunt, de nouo superadditum. Hinc Bellar. 3. de Eccl. c. 14. *Credere Historias Testamenti veteris vel Euangelia Marci, Lucæ, &c. esse Canonica scripta, imò vllas esse diuinas Scripturas, non est omninò necessarium ad salutem, nam sine fide hac multi sunt saluati, antequam Scriptura exararentur.* Hæc Bellarmin. Conscripserunt sancti Dei homines articulos fidei, non autem quod scripserint, est propriè articulus fidei.

28. *Si dicas, omnes fidei articulos niti hoc fundamento, quòd libri, in quibus continentur, sint Canonici*, Respondemus, verissimè hoc esse dictum, sed ex eo sequitur, dogma de Canone esse principium articulorum fidei, non autem propriè articulum fidei. Sic ergo Ecclesia suo de Canone testimonio non facit nouum articulū fidei, sed ad cognitionem principij deducit, ex cognitione principij postea pendet cognitio articulorum fidei. Non ideò libri Scripturæ sunt Canonici, quia de illis Ecclesia testatur, sed inde cognoscuntur esse Canonici quia de illis Ecclesia testatur.

29. *Proinde quod* minor affirmat dogma de Canone nō extare in Scriptura sacra, id absolutè & simpliciter concedi nequit. Quia sacra Scriptura nihil aliud est, quàm Canon siue Canonici libri, nomina igitur Scripturam, nominasti libros Canonicos. Quando ergo Ecclesia de Canone testatur, non conciliat his libris Canonicam autoritatem, sed ad cognitionem Canonicæ autoritatis deducit.

An ex sola Ecclesiæ testimonio constet qui libri sint Canonici.

30. *Si dicas, hos & non alios libros esse Canonicos, ex solo Ecclesiæ testimonio constat.*

Resp. Ex superioribus constare potest, testimonium illud Ecclesiæ nec vnicum nec præcipuum esse argumentum, sed accedere interna χριτηρια & ipsius Spiritus S. testimonium. Initium quidem fieri potest ab Ecclesiæ testimonio, sed postea Scriptura ipsa & Spiritus Sanctus per Scripturam luculentissimè de se testatur: Ecclesiæ testimonium nunquam sufficiens erit ad fidei πληροφοριαν. Egimus superiùs de libris Canonicis, & ostendimus, quosdam in Codice Vet. Test. contentos non esse Canonicos, id verò probauimus non ex solo Ecclesiæ testimonio, sed ex aliis insuper fundamentis.

31. *Quibus argumentis* olim persuasi fuerunt auditores, vt crederent Apostolicæ prædicationi, iisdem argumentis etiam hodie persuademur, credere ipsorum scriptis; eadem enim quæ docuerunt, scripserunt. Argumenta illa *partim* in personis docentium ac scribentium, *partim* in doctrina ipsa, *partim* in effectis doctrinę consistunt. In personis erat diuina vocatio, missio & inspiratio, de qua olim Ecclesię constabat ex intuitu vel auditu miraculorum, aliisq; diuinis testimoniis, nobis de iisdem constat ex iisdem, quia etiamnum de illis testatur Scriptura. In doctrina ipsa erat 1. doctrinæ genus diuinū, quod agnoscitur ex magnitudine rerum & mysteriorū superante quidem captum humanum, sed tamen ex iis, quæ natura nota sunt, conuincēte mentes auditorum de veritate cœlesti; ex puritate & integritate legis, ex concione Euāgelij, de admirabili temperamento iustitiæ & misericordię diuinæ, ex scopo doctrinæ, qui est gloria Dei & animarū consolatio. 2. Styli maiestas & character proprius, qualis in aliis scriptis non inuenitur. 3. Consensus perpetuus doctrinæ Christi & Apostolorū cum Prophetis, Prophetarum posteriorum cum prioribus, priorū cum Mose, Mosis cum Patribus, Patrum cum prima Dei patefactione. 4. Conuenientia Prophetiarum & euentuum, quod documētum hodie luculentius est, quàm in primitiua Ecclesia. Effectus doctrinæ erat in terrendis, consolandis & conuertendis hominibus, itemque in coniuncta S. S. interna testificatione.

Mantuani locus egregius de autoritate Scripturæ.

32. *Hinc Baptista* Mant. lib. 3. de patient. c. 2. scribit. *Sæpè mecum cogitaui, vnde tàm suadibilis sit ipsa Scriptura, vnde tàm potenter influat in animos auditorum, vnde tantum habeat energiæ, vt non ad opinandum tantùm, sed ad solidè credendum omnes inflectat? non est hoc imputandum rationum euidentiæ, quas non adducit; non artis industriæ aut verbis suauibus & ad persuadendum accommodatis, quibus non vtitur; sed vide an id in causa sit, quòd persuasi sumus, eam à prima veritate fluxisse? Sed, vnde sumus ita persuasi nisi ab ipsa? quasi ad ei credendum nos sua ipsius contrahat autoritas. Sed vnde, oro, hanc autoritatem*

sibi vendicauit? neque vidimus nos Deum concionantem, scribentem, docentem, tamen ac si vidissemus, credimus & tenemus à Spiritu S. fluxisse, quæ legimus: forsitan fuerit hæc ratio firmiter adhærendi, quòd in ea veritas sit solidior, quamuis non clarior; habet enim omnis veritas vim inclinatiuam, & maior maiorem, & maxima maximam, sed cur ergo non omnes credunt Euangelio? Resp. quòd non omnes trahuntur à Deo: sed quid longa opus est disputatione? firmiter sacris Scripturis ideò credimus, quòd diuinam inspirationem intus accipimus. Hæc Mant.

Scriptura ἀπὸ αὐτόπιστος.

13. *Credimus ergo* Scripturis Canonicis, quia sunt Scripturæ Canonicæ, id est, quia à Deo profectæ & immediata Spiritus S. inspiratione sunt præscriptæ, non autem ideò illis credimus, quia de illis Ecclesia testatur. ἢ γὰρ θεῖαν λογικῶν διδασκαλίαν τὸ πᾶν ἀφ' ἑαυτῆς; ἢ οὐχὶ δεῖ τὸ θεόπνευστον εἶναι). Nemes. de hom. c. 2. Canonici libri sunt principiũ fidei nostrę, ex quo ipsa etiam Ecclesia & omnis eius autoritas demonstranda. Principio creditur propter se, non propter aliud. Potest quidem principium à posteriori manifestari, non autem per aliquod prius probari, aliàs non esset principium. Vnum ex his eligendum, aut Ecclesia aut Scriptura est fidei & religionis principium. Ecclesiæ credimus quatenus cum Scriptura, id est, Dei voce profert σύμφωνα: Scripturæ non credimus propter Ecclesiam, id est, hominum testimonium, sed propter seipsam, quia Dei vox est. *Ego* [inquit Christus Ioh. 5. v. 34.] *testimonium ab homine non accipio*, id est, *non indigeo*, vt aliquis suo testimonio mihi autoritatem conciliet. Venerat quidem Iohannes, vt testimonium daret de vera illa luce, de Christo Ioh. 1. v. 7. vtique ergo testimonium aliquod hoc respectu ab homine Christus accepit. Hoc autem vult, quòd sua autoritate satis munitus non indigeat, vt quispiam hominum autoritatem aliquam suo testimonio ipsi comparet, sed quòd maius testimonium habeat v. 36. videlicet opera sua, testimonium Patris & Scripturas. Idem nos de Scriptura, in qua sonat Dei vox, dicere possumus, dari quidem ipsi testimonium ab hominibus seu ab Ecclesia, interim tamen nullam ei comparari authenticam autoritatem per hominum testimonium. Et obserua, quod hoc loco Scripturarũ testimonium præferatur ipsi Iohannis de Christo testimonio. Ecquis verò dicere velit Ecclesiæ testimoniũ de verbo Dei esse certius & efficacius, quàm Iohannis de Christo? vnde colligimus, Christum in suo verbo nobis loquentem certius & efficacius de se præbere testimonium quàm ipsam Ecclesiam. Huc pertinet, quòd Petrus dicit 2. Eph. 1. vers. 19. *Habemus βεβαιότερον τὸν προφητικὸν λόγον.* Petrus cum Christo in monte fuerat, ibidemque gloriam Christi per cœlestem reuelationem viderat, & tamen ait, *nos habere firmiorem Prpheticum sermonem.* Quod si diuinis è cœlo reuelationibus Scriptura certior, multò magis Ecclesiæ testimonio certior sit, necesse est.

Quo fine à solo Ecclesiæ testimonio autoritatẽ Scripturæ arcessant Pontificij.

34. *Prodest autem obseruare*, quo fine disputent Pontificij, quòd ex solo Ecclesiæ testimonio nobis Canonicorum librorum autoritas innotescat, nimirum vt Ecclesiam non posse errare cõuincant, & facili compendio in reliquis controuersiis omnibus progredi, ac dogmata sua ex Scripturis probandi labore supersedere possint. Ita enim colligunt: *Ex solo Ecclesiæ testimonio constat, quòd libri hi sint Canonici. Aut ergo Ecclesia ab omni errore immunis, aut errori obnoxia. Si prius, vtique in reliquis omnibus illi credendum: si posterius, tota fides Christiana erit lubrica.*

35. *Atqui* 1. *reiici posset* tota hæc disquisitio, vnde nobis Scripturæ autoritas innotescat, cum de principio ab vtraque parte concesso non sit disputandum, iam verò quòd hi libri sint Canonici & diuinitùs inspirati, est tale principium, de quo inter nos & Pontificios conuenit. 2. ostendimus superiùs, Ecclesiæ testimonium nec vnicum nec præcipuum esse, ex quo Scripturæ autoritas cognoscatur. 3. ac si vnicum esset, qua via agendum cum Ecclesiæ aduersariis & contemtoribus qui illud non admittunt? 4. si vnicum esset, cur alia argumenta à Patribus, qui de hoc argumento contra paganos scripserunt, sunt adhibita? imò verò cur Bellarmin. l. 1. de verbo Dei c. 2. ostensurus, in Scriptura non humana inuenta, sed diuina oracula contineri, Ecclesiæ testimonium nõ attingit? 5. testimonium Ecclesiæ esse merè diuinum nondum ausi sunt Pontificij affirmare, quomodo ergo fidei principium eo nitetur? 6. hac ratione victima fidei nostræ resolutio fiet in sententiam Rom. Pontificis, quem ille nomine Ecclesiæ intelligunt lib. 2. de Sacra. cap. 25. dicit Bellarminus, *omnium dogmatum firmitas pendet ab autoritate præsentis Ecclesiæ.* Quid per Ecclesiam intelligat, explicat. 3. de verbo Dei cap. 3. *esse Pontificem cum Concilio.* At quia non semper haberi potest Concilium, & quandoque Concilij sententia sit Papæ contraria, ideò lib. 4. de Rom. Pontif. c. 2. concludit, *ipsa infallibilitas* [in iudicio doctrinæ & fidei] *non est in cœtu Consiliariorum vel in Consilio Episcoporum, sed in solo Pontifice.* Quin ibidem addit: *Omnes Catholici in hoc conueniunt, Pontificem solum vel cum suo particulari consilio aliquid in re dubia statuentem, siue errare posit, siue non, esse ab omnibus fidelibus obedienter audiendum.* Egregium verò fidei totius Christianæ fundamentum! & quæ hæc verborum monstra? *Vnum hominem esse Ecclesiam, Pontificem etiamsi errare posit, obedienter in omnibus audiendum?* &c. 6. ipsa Ecclesia non nisi ex Scripturis cognosci potest & debet, vt suo loco demonstrabimus, non ergo ex solo Ecclesiæ testimonio de Scripturis Canonicis constat. 7. & cur tàm operosè ex Scriptura Ecclesiæ & Pontificis autoritatem probant Pontificij Scriptores? cur quidam ex illis primo loco agunt de Scriptura, postea demùm de Ecclesia, si ex solo Ecclesiæ testimonio de Scriptura nobis constat? autoritas probans, dignior, certior & notior est conclusione probanda. 8. sed nec iuuat quicquam hoc argumentum causam Pontificiorum, si ita argumententur: *Si credendum est Ecclesiæ testificanti libros hos esse Canonicos & diuinitùs inspiratos, vtique ei credendum est testificanti de aliis quibuscunque dogmatibus.* Resp. esse disparem rationem satis euidentem, quia illa testificatio de Canone est conformis ipsius Scripturæ & Spiritus Sancti per Scripturam loquentis testimonio, qua in parte Ecclesia non errat, quia testificationi Scripturæ eius vox consentit, sed quid hoc ad alia dogmata, quæ vel Scripturæ consensu destituuntur, vel etiam contra Scripturam honorabili Ecclesiæ schemate velata proponuntur? Vide de hoc argumento D. Mentzeri præcept. Disput. Antipistor. 1. eiusque Apolog. Item eruditiss. librum Doct. Schroderi de princ. Theol. c. 1. §. 6. & 7.

CAPVT III.

De perfectione Scripturæ sacræ.

Argumenta pro Scripturæ perfectione.

36. *Hac de Canonica* Scripturæ autoritate demonstranda, imposterum eius perfectio, quo nomine intelligimus, quòd in Scriptura contineantur omnia, quæ ad fidem & mores, ac proinde ad salutis consequendæ viam necessaria. Cumque ex hoc capite longè plurima dependeant, ideò operæ pretium erit, enucleatiùs hac de re disserere.

37. *Fundamenti loco* substernimus hunc Syllogismũ qui est

qui est primum & ἀπρόδεικτον Theologiæ Christianæ principium. *Quicquid Deus in verbo suo testatum facit, id simplicis fidei obedientia ab omnibus est acceptandum. In Scriptura proponitur Dei verbum. Et quicquid in Scriptura proponitur, id simplicis fidei obedientia est acceptandum.* Qui minorem negat, cum eo non amplius, vt Christiano agendum, sed tanquam cum pagano, & persuadenda ei primùm Canonicæ Scripturæ autoritas. Quare cùm versemur in Ecclesia Christiana, quæ hunc Syllogismum credit & concedit integrum, ideò pergimus Scripturæ perfectionem probare hoc modo.

38. *Quicquid in Scriptura proponitur*, id fidei obedientia acceptandum. Atqui Deus in Scriptura de perfectione eius testatur. E. illa est credenda. Minorem confirmabimus triplici argumentorum genere. *Primum* ipsum nomen perfecti Scripturæ tribui ostendet. *Alterum* Scripturam ratione materiæ perfectam esse ostendet, nimirum, quòd contineat omnia, quæ ad fidem ac mores necessaria. *Tertium* ratione finis, eam perfectam esse demonstrabit, nimirum quòd possit sufficienter instruere ad salutem.

1. *Vocatur perfecta.*

39. *Primò igitur notamus*, quod Psal.19.v.7. *lex Iehouæ* dicitur Themimah siue *perfecta sapientiam præstans paruulis.* Psaltes ibidem duas vias Deum cognoscendi prædicat, naturam & Scripturam. Cum enim in prioribus sex versibus ostendisset, cœlos, dierum ac noctium vicissitudinem, Solem, &c. gloriam Dei adeò sonora voce deprædicare, vt sonus eorum terram vniuersam penetret: tandem subiungit v.7. cognitionem Dei per legem, id est, doctrinam in Scripturis propositam esse longè perfectiorem, quam propterea variis elogiis tanquam modis omnibus *absolutam, fidelem, certam, planam, lucidam, mundam ac veracem* prædicat.

2. *Ratione materiæ est perfecta.*

40. *Deinde ratione materiæ* perfectam esse Scripturam, id est, continere omnia, quæ ad fidem & mores necessaria sunt, sic ostendimus. Quodcunque omne Dei consilium de salute nostra proponit, omnes Christianismi partes explicat, ita vt nec addi nec detrahi illi quicquã debeat, sed ad eius normam omnes religionis quæstiones exigendæ sint, illud vtique perfectum est. At Scriptura omne Dei consilium de salute nostra proponit, omnes Christianismi partes explicat, ita vt nec addi nec detrahi illi quicquam debeat, & ad eius normam omnes religionis quæstiones exigendæ sunt. E. Scriptura est perfecta. Maioris connexio pendet ex eo, quia de tali perfectione hîc est quæstio, nimirum ratione eorum, quæ cuilibet ad salutem sunt necessaria. Minoris singula membra sunt confirmanda.

41. *In scripturis omne* Dei consilium de salute nostra proponi sic ostendimus. *Non subterfugi*, ait Paulus Act.20.v.27. ad Ephesinæ Ecclesiæ Presbyteros, *quò minus annunciarem vobis omne Dei consilium* [sc. de salute vestra.] Idem Paulus *nihil dixit extra ea, quæ Moses & Prophetæ locuti sunt, futura esse.* Act.26.v.22. Ergo in Mose & Prophetis omne consilium Dei de salute nostra est propositum. Huc pertinet, quòd Luc.16.v.29. diuitis Epulonis fratres iubentur *audire Mosen & Prophetas*, vt gehennæ cruciatus effugiant. Si in Mose & Prophetis non contineretur omne Dei consilium de salute ipsorum, frustra ad illos fuissent ablegati. Obseruandum verò hoc loco 1. Mosen & Prophetas tùm temporis non potuisse aliter audiri, quàm in ipsorum scriptis. 2. Etiamsi Apostoli plura scripserint, ea tamen non esse diuersa ab iis, quæ in V.T. continentur. In V.T. nouum latet, in Nouo Vetus patet; illud Christum exhibendum promittit, hoc Christum exhibitum ostendit.

42. *In Scriptura omnes* Christianismi partes explicari sic ostendimus. 2.Tim.3.v.16. *Omnis Scriptura* [sacra scilicet] *est* θεόπνευστος [*quia Scriptura S. φερόμενοι locuti sunt sancti Dei homines*] *& vtiles* πρὸς διδασκαλίαν [docet enim conuersionem ad Deum per fidem in Christum, cuius antecambulo est contritio peccatorum, quæ verò sunt bona opera fructus fidei] πρὸς ἔλεγχον, [præbet enim armaturam contra omnes hæreses, quæ omnes quotquot vnquam exortæ sunt vel exoriuntur, telis ex Scripturæ pharetra petitis iugulari possunt,] πρὸς ἐπανόρθωσιν, πρὸς παιδείαν τὴν ἐν δικαιοσύνῃ: [vitia morum ac vitæ corrigit, & viam iustitiæ apertè ostendit] v.17. *vt ἄρτιος perfectus sit homo Dei* [id est, minister Ecclesiæ phrasi Hebraica in V.T. vsitata, & 1.Tim.6.v.11. itidem sic vsurpata] *ad omne opus bonum*, [in ministerij partibus expediendum] *instructus* [ἐξηρτισμένος, metaphora ducta à compage membrorum in humano corpore aptissimè & perfecta συμμετρίᾳ connexorũ.] Ex hoc dicto ita colligimus. Quicquid Ecclesiæ ministro in officij sui partibus expediendis ita vtile est, vt ipsum ad omne bonum opus perfectè instruat, illud vtique perfectum est, quia perfectus effectus non est nisi à causa perfecta. Atqui Scriptura sacra diuinitùs inspirata ita vtilis est ministro Ecclesiæ in officij partibus expediendis, vt ipsum ad omne bonum opus perfectè instruat [quam propterea nouisse debet vers.15.] Ergo Scriptura sacra est perfecta.

Argumentũ ex dicto 2.Tim.3.

43. *Vicissim si minister* omnia ad munus suum necessaria in Scripturis inuenire potest, vtique etiam nihil extra Scripturam populo sibi commisso proponere debet; ex quo iterum consequitur, omnia ad salutem necessaria in Scripturis contineri, quò pertinet dictum Petri 1.Epist.4.v.11. *Qui loquitur, loquatur tanquam elogia Dei.* Idem ἀυθεντ doctrinæ in ministro, & fidei in auditoribus: si sufficienter docere potest minister ex Scripturis. Ergo etiam Scripturis sufficienter potest instrui populus ad vitam æternam.

44. *Vlterius, quicquid* sufficienter vtile est ad doctrinam, ad confutationem errorum, ad informationem morum, ad consolationem, illud etiam est perfectum. Scriptura sufficienter vtilis ad doctrinam, ad confutationem errorum, ad informationem morum, ad consolationem. E. etiam est perfecta. Ad maioris explicationem notandum, quòd *vtilitas*, quæ cum relatione ad indigentiam accipitur, duplex sit: vel *adæquata & totalis* seu sufficiens, omnem omninò indigentiam auferens; vel *partialis*, non sola, sed cum aliis administris indigentiam tollens. Iam verò manifestum est, Apostolum loqui de priori vtilitatis specie: addit enim, *vt homo Dei sit perfectus ad omne opus bonum instructus.* Minor ex ipsis Apostoli verbis immediatè colligitur, & possunt singula eius membra confirmari. Scripturam esse sufficienter vtilem ad doctrinam sic ostendimus, quia *per legem est agnitio peccati.* Rom. 3.vers.20. vnde contritio: In Euangelio proponitur Christus ac docetur fides in Christum. Ioha.20.v.31. quæ postea *per dilectionem efficax est.* Gal 5.v.6. & variis fructibus Spiritus, ad quos passim hortatur Scriptura, se exerit. Scripturam esse sufficienter vtilem ad ἔλεγχον ostendit Historia Ecclesiæ omnium temporum. Quotquot enim vnquam iugulatæ & condemnatæ sunt hæreses, ex Scriptura sunt condemnatæ. Hinc veteres Hebræi Prouerbij loco dicunt: *In omni loco Scriptura, in quo inuenis pro hæreticis obiectionem, inuenis medicamentum à latere eius.* Esse eandem sufficienter vtilem ad ἐπανόρθωσιν & παιδείαν τὴν ἐν δικαιοσύνῃ ostendit res ipsa, præscribit enim singulis homi-

Vtilitas dupliciter accipitur.

num statibus sua officia, singulis animæ potentiis, singulis corporis membris suas assignat operas, Deo & proximo debitas, addit etiam exempla præmiorum & pœnarum, quibus obedientiam, atque inobedientiam Deus compensauit. Denique esse eam sufficienter vtilem ad consolationem, cuiusque pij experientia ostendit, Nulla enim est tentatio interior, nulla afflictio exterior, contra quam non sit parata in Scripturis medicina. Hæc argumenta pro Scripturæ perfectione proponuntur in dicto Apostolico verè aureo.

45. *Si in sermone manseritis, verè discipuli mei eritis*, dicit Saluator, Ioh. 8. v. 31. *Vos amici mei estis, si feceritis, quæ præcipio vobis*, dicit idem Ioh. 15. v. 14. ex quibus dictis colligimus, duas esse Christianismi partes, fidem in Christum, per quam homo coram Deo iustificatur; & opera, per quæ saluifica fides postea est efficax, id quod 1. Ioh. 3. v. 35. sic exprimitur. *Hoc est mandatum Dei, vt credamus nomini Filij eius Iesu Christi, & diligamus nos inuicem, sicut dedit mandatum nobis.* Iam verò hæ duæ Christianismi partes perfectè docentur in Scriptura, quippe *hæc scripta sunt, vt credamus, quòd Iesus sit Christus*, Ioh. 20. v. 31. & postea in operibus à Deo mandatis *lux* fidei nostræ *luceat*, Matth. 5. v. 16. Quid ergo de imperfectione Scripturæ iure conqueri quispiam poterit?

46. *Accedamus ad tertiam* minoris partem confirmandam, quòd Scripturis nec addendum nec detrahendum sit. Hoc docetur Deut. 4. v. 2. *Non addetis ad verbum, quod vobis loquor, nec auferetis ex eo.* Deut. 12. v. vlt. *Quod præcipio tibi, hoc tantùm facito, non addas quicquam, nec detrahas*, Prou. 30. v. 5. *Non addas quicquam verbis eius.* Si Iudæis non licuit aliquid addere scriptis Mosaicis & Canoni V. T. multò minus nobis licebit ad Canonem totius Scripturæ aliquid addere, vnde etiam Canon N. T. his verbis cõcluditur Apoc. 22. v. 18. *Contestor omni audienti verba Prophetiæ libri huius. Si quis apposuerit ad hæc, apponet Deus super illum plagas scriptas in libro isto*, vers. 19. *Si quis diminuerit de verbis libri Prophetiæ huius, auferet Deus partem eius de libro vitæ, & de ciuitate sancta, & de his, quæ scripta sunt in libro isto.*

Exceptiones Pontificiorum.

47. *Neque hîc valet exceptio de prædicatione, non de Scriptura Mosaica hanc prohibitionem intelligendam*, quia Moses eadem scripsit, quæ docuit Exod. 24. vers. 4. *Scripsit Moses omnia Dei verba* vers. 7. *Legit librum coram auribus populi, qui dixit: quæcunque dixerit Dominus, faciamus.* Exod. 34. v. 27. *dixit Dominus ad Mosen: scribe hæc verba, quia iuxta ea pepigi fœdus.* Hinc Ios. 1. v. 7. iubetur Iosua *facere ea, quæ Dominus præceperat*, perinde vt populus Deut. 12. v. vlt. & statim additur, *non recedat liber iste ab ore tuo.* Ergo etiam ad librum pertinet prohibitio addita præcepto de faciendis illis, quæ Deus iusserat. Sic Deut. 28. v. 1. *Si seruauerit ea, quæ tibi præcipio, &c.* vers. 58. *Nisi seruaueris, omnia, quæ scripta sunt in libro legis.* Deut. 27. v. 16. *Maledictus, qui non manserit in omnibus verbis legis huius.* Gal. 3. vers. 10. *Maledictus, qui non manserit in omnibus, quæ scripta sunt in libro Legis*; In his locis habentur tanquam ἰσοδυναμοῦντα quæ scripta sunt in libro Legis, & quæ præcepit Dominus.

48. *Nec dici potest, contraria saltem prohibita esse ne addantur, non autem ea quæ diuersa sunt*, siquidem contrarium propriè non additur priori, sed prius aboler & antiquat: diuersum propriè additur, contraria se inuicem tollunt, sed diuersa simul consistunt, iam verò Deus non solùm prohibet legem suam aboleri, sed etiam ei aliquid addi.

49. *Addamus etiam hoc argumentum.* Testamentum comprobatum plenam & perfectam Testatoris voluntatem continet, *ita vt nemini liceat* διαθήκην, Gal. 3. v. 15. sed Codex sacer per Ecclesias inscribitur Vetus ac Nouum Testamentum. E. plenam & perfectam Dei voluntatem exprimit.

50. *Quartum assumtionis membrum*, quod scilicet ad Scripturæ normam omnes religionis quæstiones exigendæ, demonstrabitur postea suo loco. Certè confirmatur id exemplo piorum Regum V. T. qui iuxta legis normam collapsum vel vitiatum diuinum cultum restituerunt; praxi Christi & Apostolorum, cum Iudæis; primitiuæ Ecclesiæ Patrum cum quibuscunque hæreticis concertantium ex sola Scriptura.

51. *Tertia proinde argumentorum* classis proponenda, quæ ratione finis Scripturam perfectam esse demonstret, nimirùm, quòd possit sufficienter instruere ad salutem, vbi sic colligimus. Ex quo perfectè colligi potest quicquid ad salutem necessarium, idem etiam est perfectum [de tali enim perfectione hîc quæritur.] Atqui ex Scriptura perfectè hauriri potest, quicquid ad salutem necessarium. Ergo Scriptura est perfecta. *2. Ratione finis est perfectio.*

52. *Minorem disertis* verbis proponit Apostolus 2. Timoth. 3. vers. 15. *à puero sacras literas nosti, quæ te possunt erudire ad salutem per fidem, quæ est in Christo Iesu*: quem locum conferimus cum Iohan. 20. v. 31. *Hæc scripta sunt, vt credatis, quòd Iesus sit Christus Filius Dei, & vt credentes vitam habeatis in nomine eius*, & obseruamus emphasin verb. σωφίσαι in dicto Apostolico. In sapientia est perfectio scientiæ, ita vt nihil ampliùs requiratur, iam verò sacræ literæ possunt nos *sapientes reddere ad salutem.* Iohan. 5. v. 39. dicit Saluator: *Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in illis vitam æternam habere*; hanc verò sententiam eorum Christus non improbat, sed addit, *& illæ sunt, quæ testificantur de me.* Scriptura ostendit Christum, in Christo est vita æterna. E. in Scripturis habemus vitam æternam. Luc. 16. v. 27. orat dives epulo in inferno fratres adhuc superstites per Lazarum moneri, vt pœnitentiam agant, *ne veniant in locum tormentorum*, sed v. 29. respondet Abraham: *habent Mosen & Prophetas, audiant illos.* Poterant igitur isti homines Mosen & Prophetas in Scripturis audiendo ad pœnitentiam adduci & sic gehennæ cruciatus effugere.

53. *His igitur modis* Deus ipse testatur de Scripturæ perfectione: sed quia hoc doctrinæ caput præcipuum est, atque acres habet aduersarios, ideò ostendendum, nostram hanc de Scripturæ perfectione sententiam à Patribus, Scholasticis & ipsis Pontificiis Scriptoribus confirmari. In reliquis controuersiis hoc labore supersedebimus. Dionys. [siquidem ita volunt] Areop. c. 5. *In Præsule sacrando Euangelium super caput imponitur, congruè enim tradita diuinitùs eloquia capiti eius imponuntur, quibus continetur & scitè exponitur Theologia omnis, omnisque diuina actio & diuina apparitio, sacra item elocutio & operatio. Atque vt breuiter dixerim, diuina omnia & sacra opera, quæ à benefica Deitate nostræ functioni indulta sunt.* *Testimonia Patrum de Scripturæ perfectione.* *Dionysii Areopagytæ.*

Iustinus in Dial. cum Tryph. *Non te dicentem sustinuissemus, nisi cuncta ad Scripturas referres, vnde argumenta & demonstrationes adducere studio tibi est.* *Iustini.*

Clemens Alexan. Petro tribuit: ὡδὲ ἀπερ γεγραπται. *Clementis Alexandr.*

Iren. l. 2. c. 47. *Credere hæc talia debemus Deo, qui & nos fecit rectissimè scientes, quia Scripturæ perfectæ sunt, quippe à verbo Dei & Spiritu eius dictæ.* *Irenæi.*

Idem lib. 3. c. 1. *Non per alios dispositionem salutis nostræ cognouimus, quàm per eos, per quos Euangelium peruenit ad nos, quod quidem tunc præconiauerunt, postea verò per Dei voluntatem in Scripturis nobis tradiderunt, fundamentum*

mentum & columnam fidei nostræ futurum. c.2. [Omnes hæretici] *cum ex Scripturis arguuntur, in accusationem conuertuntur ipsarum Scripturarum, quasi non rectè habeant neque sint ex autoritate, & quia variè sint dictæ, & quia non possit ex his inueniri veritas ab his, qui nesciant traditionem.*

Tertulliani. Tertull. de resurr. carnis c.3. *Auferr hæreticis, quæcunque Ethnici sapiunt, vt de Scripturis solis quæstiones suas sistant, & stare non possunt.* de præscript. adu. hæret. c.3. *Nobis curiositate opus non est post Christum, nec inquisitione post Euangelium, cùm credimus, nihil vltra desideramus credere: hoc enim primùs credimus, non esse quod vltra credere debeamus.* contra Hermog. c.22. *Adoro Scripturæ plenitudinem, scriptum esse doceat Hermogenis officina, si non est scriptum, timeat væ illud addentibus & detrahentibus constitutum.*

Apollinarij. Apollinarius apud Euseb. l.5. c.16. & Niceph. l.4. c.23. *Euangeliis ac N.T. libris non aduci quicquam, nec adimi potest ab eo, qui vitam secundùm Euangelium instituere cupit.*

Origenis. Origenes in Cant. homil.3. *Scias Iesum semper in montibus & collibus apparere, vt te doceat, ne vsquam eum, nisi in legis & Prophetarum montibus quæras.* in Esai.8. hom.12. *Non est verbum post verbum Mosis, post verbum Prophetarum, multò amplius post verbum Christi & Apostolorum eius.* In Ier. *Necesse est nobis Scripturas sanctas in testimonium vocare, quippè sensus nostri & enarrationes sine his testibus non habent fidem.*

Cypriani. Cyprian. in Epist. 68. ad Cæcil. *Si in sacrificio quod Christus obtulit, non nisi Christus sequendus est, vtiq; id nos obaudire & facere oportet, quod Christus fecit, & quod faciendum esse mandauit, quando ipse in Euangelio dicat: Si feceritis, quæ mando vobis, iam non dico vos seruos, sed amicos. Et quòd Christus solus debeat audiri, Pater etiam de cœlo testatur, dicens: hic est filius meus dilectissimus, in quo benè sensi, ipsum audite. Quare si solus Christus audiendus est, non debemus attendere, quid aliquis ante nos faciendum putauerit, sed quid qui ante omnes est, Christus prior fecerit: neque enim hominis consuetudinem sequi oportet, sed Dei veritatem.* Epist. 74. ad Pomp *Vnde est ista traditio? vtrumnè de Dominica & Euangelica autoritate descendens, an de Apostolorum mandatis atque Epistolis veniens? Ea enim facienda esse quæ scripta sunt, Deus testatur & proponit ad Iesum Naue dicens, non recedat liber legis iste. Si ergo aut in Euangelio præcipitur, aut in Apostolorum Epistolis aut actibus continetur, &c. Obseruetur hæc diuina traditio.*

Athanasij. Athanas. in orat. contra Idola. *Sufficiunt per se sacræ & diuinitùs inspiratæ literæ ad veritatis diiudicationem.* Idem ad Serapionem. *Solùm ex sacris literis condiscas, sufficiunt enim, quæ in illis repertas documenta.*

Cyrilli. Cyrill. Hierosol. Catech. 4. *Necesse est de diuinis fidei mysteriis, nec sine sacris Scripturis temerè quicquam tradere, nec simplici credulitate & verborum apparatu circumferri, neque mihi dicenti simpliciter credas, nisi demonstrationem annunciatorum ex sacris literis acceptas. Salus enim ipsa fidei nostræ non ex commentitia disputatione, sed ex demonstratione diuinarum Scripturarum.*

Hilarij. Hilarius 3. de Trinit. *Benè habet, vt iis tantùm, quæ scripta sunt, contentus sis.* 5 de Trinit. *Ex lege & Prophetis, hoc quod & loquimur & credimus, doceamus.* 12. de Trin. *Dei sermo & vera sapientiæ doctrina, quæ loquuntur & perfecta & absoluta sunt.* Ad Constant. Aug. *In tantum te Domine Constanti Imperator admiror, fidem tantùm secundùm ea, quæ scripta sunt desiderantem & meritò plane ad illa ipsa vnigeniti Dei eloquia festinans, &c. hoc qui repudiat, Antichristus est, & qui simulat, anathema est.*

Basilij. Basil. ferm. de fidei conf. *Infidelitatis argumentum fuerit (φανερὰ ἔκπτωσις πίστεως) & superbia signum certissimum, si quis eorum, quæ scripta sunt, aliquid reiicere velit, aut eorum, quæ non sunt scripta, introducere, cùm Dominus noster Iesus Christus dicat, Oues meæ vocem meam audiunt, & præmiserit, alienum autem non sequuntur, sed fugiunt ab illo.* Epist. 1. *Quacunquè re indigere se quisque senserit, si illas (Scripturas) versauerit, quasi ex communi quadam rerum Medicarum officina commodum infirmitati suæ pharmacum inuenet.* In breu. quæst. q.98. *Quo animo praditus esse debet Præpositus in iis, quæ vel præcipit vel ordinat? Ergà Deum quidem animatus esse debet tanquam minister Christi & dispensator mysteriorum Dei, metuens, ne quid præter voluntatem Dei in Scripturis certò expressam, vel dicat vel instituat, & inueniatur falsus testis Dei aut sacrilegus in eo, quod aut inducit alienum à Doctrina Domini, aut aliquod placitorum Dei omittit.* In ascet. *Nisi nobis omnia Dei mandata ad salutis propositum necessaria essent, non essent vtique omnia conscripta.*

Ambrosij. Ambrosius 2. de voc. gent. c.3. *Scripturis non loquentibus quis loquetur?* de parad. c.12. *Nihil vel cautionis gratia iungere debemus mandato Dei, si quid enim vel addas vel detrahas, præuaricatio est.*

Isidori. Isidorus Peluſiota Epist. 369. *Sacri Codices Scripturarum diuinarum sunt τῶν εἰς θεὸν ἀναβάσεως κλίμακες.*

Saluiani. Saluian. l.3. de prouid. dicit, *Euangelica volumina habere plenam omni perfectionis genere doctrinam.*

Hieronymi. Hieron. in Michæam l.1. c.1. *Ecclesia Christi, quæ habitat benè & in toto orbe Ecclesias posidens Spiritus vnitate coniuncta est & habet vrbes legis, Prophetarum, Euangelij & Apostolorum, non egressa est de finibus suis, id est, Scripturis sacris.*



In Ierem. c.7. *Nec parentum nec maiorum error sequendus est, sed autoritas Scripturarum & Dei docentis imperium.* Super Psal. 98. *Omne quod loquimur, debemus affirmare de Scripturis sacris.* Super Matth. c.23. *Hoc quia de Scripturis sanctis non habet autoritatem, eadem facilitate contemnitur, qua profertur.*

Augustini. August. l.2. de peccat. merit. c.vlt. *Vbi de re obscurissima disputatur, non adiuuantibus diuinarum Scripturarum certis clarisque documentis, cohibere se debet humana præsumptio.* Tract. 49 in Ioh. *Electa sunt, quæ scriberentur, quæ saluti credentium sufficere visa sunt.* Serm. 38. ad fratr. in Erem. *In Scriptura sacra quicquid tenendum & fugiendum sit, plenè inuenitur.* Lib.3. contra lit. Petil. c.6. *Si quis de Christo siue de eius Ecclesia, siue de alia quacunque re, quæ pertinet ad fidem vitamque nostram, non dicam nos, sed omninò, qua secutus adiecit, si Angelus de cœlo vobis annunciauerit, præterquam quod in Scripturis legalibus & Euangelicis accepistis, anathema est.* Lib.3. contra Maximin. cap.14. *Scripturarum autoritatibus non quorumque propriis, sed vtriusque communibus testibus res cum re, causa cum causa, ratio cum ratione concertet.*

Chrysostomi. Chrysost. hom. 49. in Matth. *Nulla alia potest esse verè Christianitatis probatio, neque refugium Christianorum vllam aliud volentium cognoscere fidei veritatem, nisi Scripturæ sacræ.* Super Ps. 95. *Si quid dicitur absque Scriptura, auditorum cogitatio claudicat.* hom. 13. super 2. Cor. *Habemus exactissimam trutinam & gnomonem ac regulam, diuinarum inquam legum assertionem, ideoque & obsecro & oro vos omnes, vt relinquatis, quidnam huic aut illi videatur, deque his à Scripturis omnia inquirite.* 2. Tim. hom. 9. *Si quid vel discere vel ignorare opus sit, in Scripturis discemus.* hom. de S.S. *Si quis sequitur dicta Christi, Spiritum S. habet: ex quo non legit hæc scripta, sed à seipso loquitur, manifestum est, quòd non habet Spiritum S. Saluator venit, vt impleret Legem & Prophetas. Venit S.S. & impleuit Euangelia, vel nega Christum, vel expunge Scripturas, vel seruus Scripturarum obedi Scripturis.*

Damasceni. Damasc. l.1. orthod. fidei cap.1. *Cuncta quæ tradita sunt per Prophetas, per Apostolos, per Euangelistas*

suscipimus, agnoscimus, veneramur, nihil vltra illa perquirentes.

Anshelmi. Anshelm.de conc.præsc.& prædest.q.3. *Nihil ad salutem necessarium prædicamus, quod non in Scriptura sacra contineatur.*

Bernhardi. Bernhard.2. super Cant. *Adinuentio mea est, si non idem & vos recognoscitis de Scripturis.*

Lombardi. Lomb.3.sent.dist.15. *Quia illud autoritas (Scripturæ) subticuit, melius silere hoc puto vel negare, quàm temerè asserere.*

Eyræ. Lyra præfat. in Tob. *Sicut in Scripturis Philosophicis veritas cognoscitur per reductionem ad prima principia per se nota; sic in Scripturis à Catholicis Dd. traditu veritas cognoscitur, quantum ad ea, quæ sunt fide tenenda, per reductionem ad Scripturas sacræ Scripturæ Canonicas, quæ sunt habitæ reuelatione diuina, cui nullo modo potest falsum subesse.*

Thomæ. Thom.p.3. q.1. art.3. *Ea quæ ex sola Dei voluntate prouenient supra omne debitum creaturæ, nobis innotescere non possunt, nisi quatenus in sacra Scriptura continentur, per quam diuina voluntas nobis innotescit.*p.1.q.1.art.8. *sacra doctrina autoritatibus Canonicæ Scripturæ vtitur propriè ex necessitate argumentando, autoritatibus autem aliorum Doctorum Ecclesiæ non quasi arguendo ex propriis, sed probabiliter. Innititur enim fides nostra reuelationi Apostolis & Prophetis factæ, qui Canonicos libros scripserunt, non autem reuelationi si quæ fuit aliis Dd.facta.* Lection.3.super 2.Tim.3. *Quadruplex est effectus sacræ Scripturæ scilicet docere veritatem, arguere falsitatem, quantum ad speculatiuam, eripere à malo, & inducere ad bonum, quantum ad practicam. Vltimus eius effectus est, vt perducat homines ad perfectum.*

Scoti. Scotus in 1. sent.q.2. *Vtrum cognitio supernaturalis necessaria viatori, sufficienter est tradita in Scriptura sacra? Dico (inquit) quòd ista tradit, quid sit finis hominis in particulari, qui visio & fruitio Dei est: ipsa etiam determinat, quæ sunt necessaria ad finem, & quòd illa sufficiunt, &c. Mandatorum explicatio & quantum ad credenda, & quantum ad speranda, & quantum ad operanda, explicatur ex diuersis locis Scripturæ.* Q.sep. *Theologia non est, nisi de his, quæ continentur in Scriptura, & de his, quæ possunt elici ex ipsis.*

Petri de Aliaco. Petrus de Aliaco 2.sent.q.12. *Hæc nouæ Euangelicæ legis doctrina est, penetrans vt gladius, conterens vt malleus, ardens vt facula, rutilans vt lucerna. Quæ velut gladius omnium errorum abscindit zizania, quæ velut malleus hæreses interimit vniuersas, quæ velut facula nostrorum fasciculos criminum caritatem feruore comburit, quæ velut lucerna per nocturna huius mundi silentia lumen commeantibus exhibet; nepedem suum ad lapidem erroris exul homo & & peregrinus offendat.* 4.sent.q 2. *Recurrendum est ad solas Scripturas, vt vitam æternam adipiscamur.*

Gersonis. Gerson de exam. doctr. part.2.nu.17. *Attendendum est, si doctrina sit conformis sacræ Scripturæ tàm in se quàm in modi traditione. Declaratur ex autoritate B. Dionysij dicentis in sententia: nihil audendum dicere in diuinis, nisi quæ à sacra Scriptura nobis tradita sunt: cuius ratio est, quoniam Scriptura sacra nobis tradita, est tanquam regula sufficiens & infallibilis pro regimine totius Ecclesiastici corporis & membrorum vsque ad finem seculi.*

Burgensis. Burgensis in addit.ad Lyram super prolog. art.3. *Attendendum est, quòd sensus literalis sacræ Scripturæ tantæ capacitatis est, seu virtutis, quòd in eo continentur virtualiter omnia ad finem seu bonos mores & virtutes pertinentia, vnde Magister, qui patrum sententias breui volumine compilauit, in cuius voluminis expositione Doctores postremi seu Scriptores omnia quodammodò Theologica introduxerunt, in huius sensus literalis testimoniis totum suum opus fundauit, dicit enim in suo prologo sic: Volumen Deo præstante compegimus ex testimoniis veritatis in æternum fundatis: Constat autem, quod testimonia veritatis in æternum fundata, sint testimonia sacræ Scripturæ secundum sensum literalem sumta, ex quo sensu solo testimonium potest accipi seu argumentum, secundum Augustinum.*

Rabinorum. Veteres Rabini dixerunt: *In quocunque loco Scripturæ inuenis pro hæreticis obiectionem, inuenis quoque medicamentum in latere eius.* c. Nec sufficere 8 q.1. *Nobis in sacris literis vnica est credendi pariter & viuendi regula præscripta.*

Bonauentu-ræ. Bonau.3. sent.dist.1. q.2.art. 2. *Nihil à nobis dicendum præter ea, quæ nobis ex sacris eloquiis clarent.*

Durandi. Durandus 3.sent.dist.25.q.2. *Sacra Scriptura est regula fidei, cui non licet aliquid addere vel demere.*

Disc. de temp. Disc.de temp.serm.23. *In sacra Scriptura locus tenetur ab autoritate negatiuè.*

Antonini. Anton.part.3. rit.18.c.3. in summa. *Materia congrua prædicationis est Scriptura sacra, semel enim loquitur Deus, loquitur autem in Scriptura sacra & ita copiosè, vt exponit Greg. 22. Moral. quod non oporteat Deum iterum loqui aliquid necessarium, cum ibi omnia habeantur.*

Dielis. Biel.4.sent.distinct.1.q.1.ex Hieron. *Quicquid non descendit de monte Scripturæ, eadem facilitate reiicitur, quæ asseritur.*

Emanuelis à Saa. Emanuel à Saa Lusit.de primog.nu.30. *Scriptura sacra est, quæ fontem veritatis retinet, ipsa est domicilium fidei & templum Dei, quò si quis non intrauerit, vel à quo si quis exiuerit, à spe vitæ & salutis æternæ alienus est.*

Caietani. Caietan.super 2.Tim.3. *vt sit homo Dei perfectus, id est, integer, constans ex omnibus requisitis ad perficiendum hominem Dei.*

Costeri. Coster.in Enchir.p.48.fatetur *articulos fidei sufficienter in Scriptura traditos.*

Bellarmini. Bellarmin.l.4.de verbo Dei c 11. *Dico illa omnia scripta esse ab Apostolis, quæ sunt omnibus necessaria, & quæ ipsi palam omnibus vulgò prædicauerunt.*

L.1.de verbo Dei cap.1. *Prophetici & Apostolici libri sunt certa ac stabilis regula fidei.* Si velit dicere (vt dicit) se intelligere regulam partialem, opponimus ei dictum Basilij l.1.contra Eunom. *Regula & amussis, vbi imperfecta fuerint, ne appellationes quidem hasce rectè susceperint.*

Pistorij. Pistorius iactitat, *se paratum esse de omnibus controuersis articulis ex sola Scriptura nobiscum disserere.*

CAPVT IV.

De traditionibus.

Contra traditiones. 54. Ex demonstrata Scripturæ perfectione colligimus, nimis largè à Concilio Trident. sess.4.c.1. statutum, *quod traditiones tùm ad fidem tùm ad mores pertinentes tanquam vel oretenus à Christo vel à Spiritu Sancto dictatæ, & continua successione ab Ecclesia Catholica conseruatæ, pari pietatis affectu & reuerentia* (cum libris scriptis) *suscipiendæ sint ac venerandæ.* Id sic explicant Episcopi Bononiæ congregati in suo consilio Iulio III. Pontif. dato. *Omninò credimus & confitemur tanquam verum articulum fidei, id quod Concil. Trident. statuit, nempe Dominum nostrum Iesum Christum atq; ipsius Apostolos multò plura tùm ad mores tùm ad fidem pertinentia oretenus docuisse, quæ non fuerunt scripta, sed per manus tradita ad ætatem vsque nostram venerunt: & tametsi hoc apertè probare non possumus (nam planè fatemur inter nos, quòd non positmus de traditionibus id, quod tenemus & docemus, probare, sed tantùm habemus coniecturas quasdam) tamen cõfitemur esse verum, quia sic tenet Romana Ecclesia.*

1. Scripturæ perfectio excludit necessitatem traditionum. 55. Atqui si Scriptura perfecta est, id est, omnia ad fidem & mores necessaria continet, superuacaneæ erunt traditiones. Et quàm lubrico nitatur fundamento

mento, quod solo traditionis titulo venditatur, ex eo patet, quod scribæ & Pharisæi specioso hoc schemate legis deprauationes velauerint. Matth.5.v.21. 27.33. quòd Ioh.21.vers.23. ex sermone Christi minùs rectè intellecto statim orta fuisset traditio de Iohanne, nisi per Scripturam error fuisset correctus, quòd iam olim sub ὁ δεσπότης titulo à Iudæis proposita sunt, & adhuc proponuntur, quæ scripto Dei verbo repugnant, quâ de re vide Gal.li.1. de arc.c.2. l.4.c.4.Ioh.Picum Mirand.in Apol.q.5.Hieron. de s. fide l.2. p.96. Thalmud & eius expositores. Iudaicum istud commentum refellunt ex veteribus Irenæus lib.4.c.25.Orig.hom.5.in Num.&super 3.c.Ep. Rom. Chrys. hom.52.in Matth. Hilar.in Psal.2. &c.

2. Opinio traditionū magnis in Ecclesia viris imposuit.

56. Obserua insuper opinionem traditionis non scriptæ, magnis in Ecclesia vitis iam olim impositisse, & quidem statim post ætatem Apostolorum. Exemplum memorabile exhibet Papias Episcopus Hierapoleos, Iohannis auditor, Polycarpi familiaris apud Euseb.l.3.Hist.c.33. *Si quis* (inquit) *presbyter mihi fortè occurrebat, qui cum Apostolis versatus fuisset, dicta Apostolorum diligenter sciscitabar, nempe quid Andreas dixisset, quid Petrus, quid Philippus aut quid alius Domini discipulus, quæ denique Aristion & Iohannis Presbyter, qui in numero discipulorum Domini habebatur, locuti fuissent: neque enim ea, quæ ex libris petebantur, tantum mihi subsidij allatura existimaui, quantum ea, quæ acceperam ex hominum voce & sermone, qui adhuc in vita manebant.* Sed in eodem capite addit Eusebius. *Alia idem autor qua si traditione non scripta ad se peruenisse commemorat, quæ peregrinas quasdam Seruatoris parabolas & nouas eius doctrinas aliaque nonnulla commentitia fabulis referta continent, in quibus asserit, regnum Christi post vniuersæ carnis à mortuis resurrectionem mille annos humano & corporeo more in terra hac continuatum & stabilitum fore. Homo, vt ex eius scriptis licet coniecturam capere, ingenij pertenuis. Caterum plerisque Ecclesiasticis viris, quæ hominis antiquitatem pro suarum partium defensione citabant, persimilis erroris autor extitit, vt Irenæo, &c.*

3. Veterum traditiones nec ipsi Pontificij acceptāt omnes.

57. Adde, quòd ea, quæ à veteribus in numerum traditionum referuntur, ne quidem ab ipsis Pontificiis nostro tempore κατὰ πάντα vel obseruentur vel acceptentur. Clemens l.1.Strom. ex traditionibus Apostolicis refert, *Christum vno solùm anno prædicasse*: sed Iren.l.1.cap.1.p.6. hæreticis hanc traditionem asscribit.& l.2.cap.39.aliam opponit, qua affirmat, *seniores à Iohanne Apostolo accepisse, Christum non multùm abfuisse à quinquagesimo ætatis suæ anno, cùm crucifigeretur.* Atqui neutra traditio vel veritati vel sententiæ Pontificiorum conformis.

58. Idem Clemens ex eodem traditionum fonte haurit, quòd *quemadmodum lex Iudæis fuerit Pædagogia ad Christum, ita quoque Græcis fuerit Philosophia*, lib.2. concedit lapsis *tantùm secundum pœnitentiam*.lib.4.arbitratur *supplicia post hanc vitam cessatura*.l.6. contendit, *Græcos per Philosophiam saluatos*.l.7. disputat, *perfectum non debere iurare, & Christianos non posse contendere iudicio, nec coram gentilibus nec coram sanctis.* Hæc & plura alia Clemens Apostolicarum traditionum encomio ornat, quæ tamen saniores Pontificij hodiè non concedunt.

59. Clementis discipulus Origenes in libros suos περὶ ἀρχῶν, in quibus præcipua religionis Christianæ capita explicare voluit, consimili modo præfatur, se quæ propositurus est, *ex traditione Apostolica accepisse*, & tamen istorum librorum doctrinam, quam Epiph. hæres.64.p.237. vocat *absurdissimam*, per omnia non poterunt probare Pontificij.

60. Apud Basilium lib.de Spirit.S.c.27 habentur traditiones, *vt ad Orientem versi precemur, vt in prima Sabbathi & intra Pascha ac Pentecosten erecti deprecationes perficiamus*. Apud Ignat. Epist.4. ad Philip. *Nemo Sabbatho ieiunet, qui autem ieiunauerit, Christi esse interfectorem.* Apud Epiph. ad finem lib. de hæres. *vt feria quarta statutum sit ieiunium, cùm illa die assumtus sit Dominus, vt per totos quinquaginta dies Pentecostes nec genua flectantur nec ieiunetur, vt Dominicis diebus nec pietatis ἀσκητὰ in ipsa quoque quadragesima ieiunent, vt per sex dies Paschatis omnes populi in siccorum esu perseuerent, pane inquam, & sale & aqua.* At quid horum obseruandum, docent Pontificij?

61. Tertull.de Coron.militis p.446. Hieron.aduers.Lucif. aiunt, *esse traditionem, vt ex Baptismate susceptis lactis & mellis concordiam prægustent, eoque ea die lauacro quotidiano per totam hebdomadam abstineant.* Nec hoc in Ecclesiis Pontificiis vsitatum.

62. *Greg.Rom.l.7.* Regist.c.63. dicit, *fuisse morem Apostolorum, vt ad ipsam solummodò Orationem Dominicam oblationis hostiam consecrarent.* Platina in vita Xysti I. *Nuda primò hæc erant*, [loquitur de celebratione Eucharistiæ] *& omnia simpliciter tractabantur. Petrus enim vbi consecrauerat, oratione Pater noster vsus est.* Idem testantur de Apostolorum more in celebranda Eucharistia, Walafridus Strabo de rebus Eccles. cap.22.[vixit sub Ludouico Pio circa annum 830. à Trithemio celebratur] Berno Abbas Augiensis de quibusdam rebus ad Miss. off. pertinent.c.2. Rupertus Tuicensis l. 2.c.21. Durandus lib.6. ration.c.1. Nec dubium est, quin Apostoli nihil aliud, quàm quod ipsi fecerunt, Ecclesiis tradiderint. At quam multa in Canone Missæ hodiè addita!

4. Traditiones sunt diss. sentientes.

63. *Præterea veterum* sententiæ de traditionibus Apostolicis quandoque inter se minùs conueniunt. Ambrosius, Theophilus, & Hieronymus ieiunium quadragesimale referunt ad traditionem Apostolicam, sed contrarium statuit Irenæus de summa varietate ieiuniorum differens apud Eusebium l.5.c.26. eamque vocat συμφωνίαν ἐν ἀπλότητα ἐν ἰδιοτροπίαν. Et Montanum hoc nomine hæreseos accusatum, quod leges ieiuniis præscribere voluit, testantur Trip.l.9.c. 38.Euseb.l.5.ca.18.Augustin. Epist.68. ad Casulanum, *Quibus diebus ieiunare oporteat, vel non oporteat, præcepto Domini vel Apostolorum non inuenio definitum.* Ita Socrates lib.5.c.22. de controuersia illa, quæ veterum Ecclesiam diu exercuit, de Paschatos die: *Occidentales Ecclesiæ* [inquit] *referebant suum institutum ad Petrum & Paulum: Orientales autem ad alios Apostolos, sed neutra pars proferebat ἔγγραφον δόγμα ἐξ.*

5. Hæretici solent traditionibus inniti.

64. *Nimirum antiquum* hoc ἐπιτήδευμα artificium, prætermisso vno Scripturæ fonte lacunas traditionum cōsectari. De discipulis Simonis Magi [quem Iren.l.3. in præfat. vocat *patrem hæreticorum*] testatur idem Irenæus l.1.c.1.p.14. *quòd glorientur de iis, quæ non sunt scripta, sed viuâ solum voce tradita.* c.17. quòd *inenarrabilem multitudinem apocryphorum & Scripturarum, quas ipsi finxerunt, afferant ad stuporem insensatorum & quæ sint veritatis non scientium literas.*lib.3.cap.2.scribit, *propium esse hæreticorum omnium, quòd cùm ex Scripturis arguuntur, in accusationem Scripturarum conuertuntur quòd non possit ex istis inueniri veritas ab his, qui nesciunt traditionem:* [in cuius dicti allegatione Bellarmin. palpabile crimen falsi committit, Irenæo enim tribuit quòd ipse de hæreticis refert.] Idē de Selgianis tradit Epiphan. hæres.39. de Archonticis hæres. 40.de Seuerianis hæresi 45. de Encraticis hæresi.47. de Bardesanistis hæresi.56.de Artemone refert Eusebius l.5.c.28.*quod de doctrina sua quasi antiqua & ab Apostolis tradita gloriatus fuerit, maiores enim omnes, ipsos*

etiam Apostolos ita sensisse & docuisse. De Basilide hæretico scribit Clemens lib. 7. stromat. p. 353. quòd prædicarit *se Glaucia quodam, qui fuisset interpres Petri Apostoli magistro vsum.* Item de Valentino, *quòd audiuerit Theodadum Pauli familiarem.* de Marcionistis, quòd *Matthiæ discipulos habuerint Magistros, & ab iis traditam doctrinam teneant & producãt.* De Carpocratianis Iren. lib. 1. c. 24. commemorat, quòd *commenta sua hoc prætextu defenderint, quòd Dominus Iesus talia priuatim Apostolis in ministerio locutus sit, Apostolos autem non omnibus sed solùm dignis ista tradidisse.* Ptolemæus hæreticus in Epistola ad Floram, quæ extat apud Epiph. hæres. 33. p. 100. gloriatur, *quòd doctrinam suam ex Apostolica traditione per successionem acceperit.* Eodem traditionum prætextu vsum fuisse Ariũ Athanasius autor est orat. 2. contra Arian. vbi recitat exordium scripti Arij, cuius titulus Θαλεῖα. *Ex electu Dei secundùm finem, peritis Dei rectigradis, qui sanctum & Dei Spiritum acceperunt, ita didici ego.* Denique idem Eutychen fecisse, apparet ex Concil. Chal. act. 1. vbi hæc habentur eius verba. *Sic à progenitoribus meis accepi, sic credidi, &c.*

6. Iisdẽ argumẽtis traditiones propugnantur à Pontificiis & hæreticis veteribus.

65. *Quid quòd iisdem argumentis* hæretici veteres & Pontificij traditiones propugnant. Iren. l. 3. c. 3. refert, hæreticos propterea traditiones vrgere, quia existiment, *non posse ex illis inueniri veritatem ab his, qui nesciunt traditionem.* Eodem argumento vtuntur Pontificij. Sic Bellarm. l. 4. de verbo Dei cap. 8. ad infringendam Scripturæ perfectionem & stabiliendas traditiones abutitur dicto Apostolico 1. Cor. 2. v. 6. *Sapientiam loquimur inter perfectos*, quo eodem pari ratione abusos fuisse Marcionem & Valentinum testis est Irenæus loco dicto. Locum Iohan. 16. vers. 10. *Multa habeo vobis dicere, quæ non potestis portare*, plerique Scriptores Pontificij referunt ad traditionum fulcrum: atqui testatur Augustinus tract. 97. in Iohan. *omnes insipientissimos hæreticos, qui se Christianos vocari volunt, audacias figmentorum suorum occasione huius Euangelicæ sententiæ colorare*, & tr. 96. respondet. *Quæ cùm ipse (Christus) tacuerit, quis nostrum dicat, illa vel illa sunt, aut si dicere audeat, vnde probabit? quis enim est tàm vanus aut temerarius, qui cùm dixerit etiam verba, quibus voluerit, quæ voluerit, sine vllo testimonio diuino affirmet ea esse, quæ tunc Dominus dicere noluit?*

7. Pontificij non possunt certum catalogum suarum traditionum proferre.

66. *Sed enim nec dum* Pontificij integram farraginem traditionum suarum enumerare vel potuerunt vel voluerunt, [qua de re Colloq. Ratisbonense consulatur] verùm hanc quasi communem Topicam sibi seruant, vt quicquid ex Scriptura probare non possunt, ex traditione ortum esse dicant, tantùm abest, vt probare potuerint omnes & singulas illas traditiones indubitatò ab Apostolis profectas esse, præsertim cùm lectio Platinæ & Polydori Virgilij testetur multis retro seculis pleraque ea instituta esse, quæ ipsi ad traditiones Apostolicas referunt. Nimirùm probè viderunt Romanenses, traditiones esse Palladium aliquod, quo sublato non possint amplius arcem illam Pontificiam multos iam annos obsessam tueri ac defendere.

67. *Proinde cùm traditiones* Scripturæ perfectioni derogent, cùm à veteribus quædam traditiones proferantur, quas ipsi Pontificij hodiè non obseruant, cùm quandoque inter se sint contrariæ, cùm sint commune receptaculum, ex quo hæretici suorum errorum fucum depromunt, cùm pro traditionibus Apostolicis venditentur, quæ multis post eorum tempora seculis in Ecclesiam inuecta sunt, concludimus, prætermissis traditionibus, vni Scripturæ sacræ esse adhærescendum.

CAPVT V.

De perspicuitate Scripturæ sacræ.

Quo sensu Scriptura dicatur perspicua.

68. *Hactenus de autoritate* & perfectione Scripturæ egimus, sequitur affectio tertia, videlicet perspicuitas. Vbi primò omnium obseruandum est, quando Scripturam dicimus esse perspicuam, non hoc nos velle, quasi omnia omninò, quæ vspiam in sacris literis proponuntur, ita comparata sint, vt primo intuitu à quouis plenè & planè intelligantur.

69. Quin potius fatemur, quædam in Scripturis obscuriùs dicta & intellectu esse difficiliora. Amplectimur etiam distinctionem, quam [Christophorus Agricola in Antipistorio proponit & explicat, qua classes diuinorum dictorum ita ordinat, vt quædam dicat esse *elementaria*, quædam *sublimia*, quædam *mystica*, quædam *onomastica*.

70. Hoc verò est, quod dicimus & modis omnibus approbare contendimus, tantam esse Scripturæ perspicuitatem, vt ex ea certa aliqua & constans sententia de dogmatibus, quorum cognitio ad salutem cuiuis necessaria est, haberi possit.

71. Si quæ in Scripturis obscuriora, illa 1. manifestiora fient, si afferatur pium studium & adminicula necessaria. Epiphanius hæres. 76. πάντα σαφῶς τῇ θείᾳ γραφῇ τοῖς βουλομένοις εὐσεβεῖ λογισμῷ προσέρχεσθαι τῷ θείῳ λόγῳ. Cyrill. l. 9. contra Iulian. *Nil est difficile iis, qui in Scripturis versantur, vt decet.* 2. aut alibi clariùs sunt expositæ. Augustinus 2. de doct. Christ. c. 6. *Magnificè & salubriter Spiritus S. ita Scripturas modificauit, vt locis apertioribus fami occurreret, obscurioribus autẽ fastidia detergeret. Nihil enim ferè de obscuritatibus illis eruitur, quod non planissimè dictum alibi reperiatur.* Fulg. serm. de Cõfess. *Sic delitiarum cœlestium copia spiritualis in mandatis diuinis exuberat, vt in verbo Dei abundet, quod perfectus comedat, abundet etiam, quod paruulus sugat, ibi enim est lacteus potus, quo tenera fidelium nutriatur infantia, & solidus cibus, quo robusta perfectorum iuuentus spiritualia sanctæ virtutis accipiat incrementa.* Thom. p. 1. q. 1. ar. 9. resp. ad arg. 2. *Ea quæ in vno loco sub Metaphoris dicuntur, in aliis locis expressiùs proponuntur.* 3. aut eorum notitia non est ad salutem æquè omnibus necessaria. Chrysost. hom. 3. in 2. Thessalon. πάντα αὐταρκῆ δῆλα σαφῆ ἐνθεα. Augustinus 2. de pecc. meritis & remiss. ca. 36. *Si quid horum quemadmodum demonstrari & explicari possit, ignorem; illud tamen credo, quòd etiam hinc diuinorum eloquiorum clarissima autoritas esset, si homo illud sine dispendio promissæ salutis ignorare non posset.* Sixtus Senensis lib. 6. Biblioth. annot. 151. *Vna scripturæ classis aperta ac dilucida est, vtpote quæ prima summaque rerum credendarum principia ac præcipua bene viuendi præcepta & exempla cognitu facilia complectatur.*

Duplex perspicuitas Scripturæ.

72. *Præterea duplex est Scripturæ claritas*, vt ait D. Luther. tom. 3. Ienensi lib. 4. de seru. arbit. p. 167. [proinde duplex etiam obscuritatis respectus.] *Vna externa in verbi ministerio posita, altera in cordis cognitione sita. Si de interna claritate dixeris, nullus homo vnum iota ex naturalibus ingenij sui viribus in Scripturis videt, nisi qui Spiritum Dei habet, omnes obscurum habent cor. Spiritus S. requiritur ad totam Scripturam & ad quamlibet eius partem intelligendam. Si de externa claritate dixeris, nihil relictum est obscurum & ambiguum, sed omnia per verbum in lucem producta sunt clarissima.* Hactenus Luther.

Argumenta pro perspicuitate Scripturæ.

73. Si hæc sententiæ nostræ declaratio obseruetur, corruunt pleraque quæ ei opponũtur. Specialem quorumcunque argumentorum solutionem proponemus suo loco, vti etiam assensum Patrum, quem in hoc doctrinæ capite nobis tribuunt. Hac vice ex

Scriptura

Scriptura confirmabimus nostram sententiam.

74. Si Propheticus & Apostolicus sermo tam in Veteri quam N. Test. perspicuus est, sequetur Scripturam minime esse obscuram, quia Propheticus & Apostolicus sermo, quem hoc tempore tantum in scriptis eorum audimus, sunt partes integrantes Scripturæ sacræ. Sed verum prius. E. & posterius.

75. De Prophetico sermone asserit Petrus 2. Ep. 1. v. 19. *attendendum ei esse, velut lucernæ splendenti in obscuro loco, donec dies illucescat, & lucifer oriatur in cordibus.* Psal. 119. v. 105. *Lucerna pedibus meis verbum tuum & lumen semitis meis.* Prouerb. 6. v. 23. *Mandatum lucerna est, & lex lux.*

76. *Non habet hic locum exceptio, quod hæc intelligenda sint tantum de Dominicis præceptis, non de vniuersa Scriptura*: quis enim nostrum dicit, omnia omnino Scripturæ loca cuiuis primo intuitu esse manifesta: requiritur studium, preces, aliaque adminicula, de quibus suo loco. Acceptamus autem, quod conceditur, Dominica præcepta esse manifesta, & addimus, Euangelij doctrinam [partem primariam alteram] itidem perspicue in multis locis Scripturæ esse propositam. An non Euangelij summam Iohan. 3. & alibi Solis radio scriptam esse vident *lucifugæ isti Scripturarum*? [vt cum Tertul. de res. carn. loquamur] Psaltes totum Dei verbum laudat, petit vt totum sciat, atque ea Dei verbo tribuit, quæ non possunt soli legi adaptari: rectius E. de tota Scriptura hic locus accipitur, quæ, quo sensu dicatur perspicua, diximus superius.

77. *Nec locum habet illud* subterfugium *Scripturam esse lucidam, non quia intellectu facilis, sed quia cum intellecta fuerit, tum homines illuminet.* Quid enim? non lucerna in se habet lucem, per quam illuminat, antequam noua illuminatio accedat. Psaltes eo in loco satis manifeste declarat, quare præceptum Domini vocet lucidum, sc. quia sapientia afferat paruulis, *siue, vt in* Hebræo est, illis qui sibi patiuntur persuaderi, v. 8. Et quia illuminat oculos v. 9. Quid Saluator noster Matt. 5. v. 15? Lucerna accenditur, vt luceat omnib. qui sunt in domo. Perinde Apostolus Propheticum sermonem dicit esse lucernam, λύχνον φαίνοντα ἐν αὐχμηρῷ τόπῳ. Est ergo medium, per quod nos Deus illuminat, vnde non solum dicitur φῶς, sed etiam φωτισμὸς 2. Cor. 4. v. 4. Si id perspicuum & lucidum dici potest, quod cum intellectum est, illuminat, obscurissima ænigmata & Sibyllarum vaticinia poterunt dici lucida, atque hac ratione nulla plane Scripturæ perspicuitas relinqueretur. Credimus Apostolo, quod verbum Dei in Scripturis Propheticis propositum sit lucerna, in huius vitæ tenebris intellectum nostrum illuminans, & iter ad Christum veram lucem ostendens, id nobis sufficit. Inuento Christo omnia ad salutem necessaria inuenimus. Quod si de Prophetico sermone id verissime potuit pronunciare Apostolus, ecquis obscuritatis Scripturam arguere velit, cùm iam insuper accesserit sermo Apostolicus in libris N. T. cuius respectu V. T. nox dicitur Rom. 13? Et D. Luth sæpe fuit dicere solitus, N. T. *sibi videri Solem, à quo Luna V. T. illustretur.*

78. Deut. 30. v. 11. Mandatum, quod ego præcipio tibi hodie, non est occultum neque longinquum. In Hebræo, *non est mirabile & longinquum.* Hebræi enim obscura & ambigua, vel quæ alias non intelliguntur, vocant longinqua, quia captum excedunt; quæ vero probe intelliguntur, vocant propinqua. Eadem autem Moses in libro legis scripsit, quæ populo præcepit: & ibidem agi de mandato scripto ostendit v. 10. E. Scripturæ ad intelligendum faciles. Apostolus Paulus Rom. 10. v. 8. locum Mosaicum ita reddidit: *Prope est verbum in ore tuo & in corde tuo, proinde non opus est, vt in cœlum aliquis ascendat, & verbum illud enunciet, vel vt mare propterea transfretandum sit, vt verbum illud afferatur* Deut. 30. v. 12. & 13.

79. *Nec valet exceptio de facilitate intelligendi Decalogum* hoc loco tantum agi, quia v. 10 de tota lege agi ostendit. *Si audieris vocem Domini Dei tui & custodieris præcepta eius & Ceremonias, quæ in hac lege conscripta sunt.* Paulus Rom. 10. v. 8. ad iustitiam fidei, *quæ est summa Euangelij*, locum accommodat, recte ergo ex hoc loco colligitur & legis & Euangelij doctrinam perspicue in Scripturis propositam. Præterea si Decalogus manifestus est, multo faciliores erant libri Historici, qui quasi eius sunt Commentarij.

80. Nec excipi potest, locum hunc de facilitate implendi intelligendum esse, ostendemus enim suo loco legem in hac vita non posse etiam à renatis perfecte impleri. Præterea, si ex hypothesi præcepta Domini facile impleri possunt, multo facilius poterunt intelligi, quomodo n. quis præstare potest, quod non intelligit?

81. Hæc ergo testimonia ostendunt perspicuitatem sermonis Prophetici. De Apostolico sermone pronunciat Paulus 2. Cor. 4. v. 3. & 4. *Si Euangelium opertum est, in his qui pereunt, opertum est, in quibus Deus huius seculi excæcauit oculos infidelium, vt non fulgeat eis illuminatio gloriæ Christi.* Nomine Euangelij intelligitur tota doctrina Apostolica, perinde vt Ro. 2. v. 16. 1. Cor. 9. v. 14. & alibi hanc suam doctrinam iis solum, qui pereunt, Apostolus dicit esse opertam, & causam huius rei tribuit non ipsi Euangelio, sed Diabolo excæcanti homines, ne illuminatio siue clara lux Euangelij eis fulgeat. Quod vero ex accidenti demum obscurum & opertum, id obscuritatem non in se nec à se habet.

82. Si Scripturæ sunt tàm obscuræ & difficiles ad intelligendum, id factum ideò, quia Spiritus S. apertius scribere vel non potuit, vel noluit. Non potuisse quis dicet? probe Lactantius, 6. diu. Inst. c. 21. *Nũ Deus & mentis & linguæ artifex disserte loqui non posset? imo vero summa prouidẽtia carere fuco voluit ea, qua diuina sunt, vt omnes intelligerent, quæ ipse omnibus loquebatur.* Noluisse cum fine scribendi pugnat, *quæcunque enim scripta, ad nostram doctrinam scripta* Rom. 15. v. 4. *vt credamus in Christum & salutem consequamur.* Ioh. 20. v. 31. *fidei ergo nostra ἀσφάλεια scriptionis finis* Luc. 1. v. 4. Quod si ad illum finẽ perducendi eramus per Scripturam, vtique etiam de mediis ad finem perspicue fuit scribendum. Perspicua docent, non obscura.

83. *Et cur iuberemur scrutari Scripturas* Ioh. 5 v. 38. si tam obscuræ essent, vt ex illis certa & cõstans sententia de dogmatibus fidei hauriri nõ posset? si obscuræ sunt, vnde ergo lux illis infertur? Respondet Pistorius c. 3. hodeg. *Ecclesiam illis inferre lucem, sine qua Scriptura tota sit obscura & tenebrosa.* Atqui Scriptura notior & manifestior, quam Ecclesia, quippe ex Scriptura discendum, quæ vera sit Ecclesia; quæ vera vox Ecclesiæ & quomodo plus lucis in Ecclesia [quæ est congregatio hominum per verbum] quam Dei voce sonante in Scripturis.

CAPVT VI.

De norma controuersiarum.

Consectarium de norma fidei & vitæ Christianæ.

84. Ex demonstrata Scripturæ perfectione & perspicuitate consequitur, quòd sit norma fidei vitæque nostræ; proinde & Iudex controuersiarum

Theologicarum. Quia perfecta est, ideò continet omnia ad fidem & mores necessaria; quia perspicua est, iudicium eius in controuersiis perrogari & audiri potest.

85. Quo sensu etiam Canonica dicitur, quòd sit κανὼν & regula, iuxta quam de reliquis fidelium libris atque sententiis iudicamus. Hinc August. II. contra Faustum c. 5. *Scriptura Canonica tanquam in sede quadam sublimiter constituta est, cui seruiat omnis fidelis & pius intellectus.*

1. 86. Deut. 4. v. 2. *Non addetis ad verbum quod vobis loquor, nec auferetis ex eo.* c. 12. v. vlt. *Quod præcipio tibi, hoc tantùm facito:* In his dictis Moses ad verbum DEI (quod viua voce promulgauerat, & postea Dei voluntate in literis redegerat) tanquam ad vnicam normam vult non modo vitæ rationes, sed omnem omnino cultum & doctrinam de DEO exigi. Esai. 8. v. 20. *Ad legem & ad testimonium: Si non dixerint iuxta verbum hoc, non erit eis matutina lux.* 2. Petr. 1. v. 19. *attendendum est sermoni Prophetico velut lucernæ, quæ pedes nostros in viis Domini dirigit.* Psal. 119. v. 105. Norma igitur fidei & vitæ est *doctrina Prophetarum & Apostolorum, super quam extructi sumus,* Ephes. 2. v. 20. quæ in scriptis eorum vnicè extat.

2. 87. *In omnem terram exiuit sonus eorum,* dicit Psal. 19. v. 5. In Hebræo est *linea eorum* [Kavah est perpendiculum directorium, vt ex R. Abenezra docet Munsterus.] est igitur Metaphora ducta ab ædificantium amussi seu perpendiculo. Iam vero pronunciatum illud Dauidicum Paulus Rom. 10. v. 18. applicat ad doctrinam Apostolorum, illa proinde est regula & amussis iuxta quam reliqua dogmata sunt examinanda. Hodie vero Apostolorum doctrina non nisi in ipsorum libris sonat.

3. 88. Intuere hic praxin Prophetarum, Christi & Apostolorum, qui in fidei dogmatibus semper ad Scripturæ normam auditores suos reuocarunt. Deu. 27. v. 26. *Maledictus qui non statuerit verba legis istius faciendo ea,* id sic reddit Apostolus Gal. 3. v. 10. *Maledictus qui non permanserit in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis.* Ergo Moses reuocat populum ad normam scriptæ legis, cui etiam nihil vult ex bona intentione addi Deut. 4. v. 2. Sic Deu. 31. v. 9. *Scripsit Moses legem istam & dedit eam Sacerdotibus filiis Leui portantibus arcam fœderis Iehovæ & omnibus Senioribus Israël.* v. 10. *& præcepit illis Mose dicendo, Septimo quoque anno tempore anni remissionis in solennitate tabernaculorum.* v. 11. *Cùm venerit vniuersus Israël, vt appareat coram Iehovah Deo tuo in loco quem elegerit, leges legem istam coram vniuerso Israële in auribus eorum.* v. 12. *Congrega populum viros & mulieres paruulos & peregrinos tuos, qui sunt intra portas tuas, vt audiant & discant, timeantque Iehouam Deum vestrũ, & custodiant faciendo omnia verba legis huius.* Iosua iam senex c. 23. v. 2. *conuocat totum populum Israëliticum, seniores eius & capita eius & iudices eius & Præfectos eius & dicit* v. 6. *Roborate vos valde, vt custodiatis & faciatis quicquid scriptum est in libro legis Mose, vt non recedatis ab eo, neque ad dextram neque ad sinistram.* 2. Reg. 23. v. 2. *Ascendit Rex (Iosias) in domum Iehovæ & omnes viri Iuda omnesque habitatores Ierusalem erant cum eo & Sacerdotes & Prophetæ & vniuersus populus à paruo vsque ad magnum, legitque in auribus eorum omnia verba libri fœderis, qui inuentus fuerat in domo Iehovæ.* v. 3. *stetit autem Rex iuxta columnam & pepigit fœdus coram Iehova se ambulaturos post Iehovam & custodituros præcepta eius & testimonia, decretaque eius toto corde & tota anima, vt susciterent verba fœderis huius, quæ scripta sunt in libro illo.* Esai. c. 8. reuocat auditores à Pythonibus & ariolis *ad scriptam legem.* v. 19. *Cum dixerint ad vos, quærite* [veritatẽ] *à Pythonibus & ab ariolis, qui mussitant & meditantur.* [ita enim solent incantatores submissa voce nescio quæ demurmurare] *dicetis, Nunquid non populus à Deo suo requiret? num pro viuis* [quærenda veritas] *à mortuis?* v. 20. *Ad legem & ad testimonium* [vbi obserua, si à Deo quærenda veritas in negocio salutis, ad legem & testimonium verbi esse accedendum] Neh. 8. v. 1. & seq. post reditum ex captiuitate *legitur liber Mosis coram vniuerso populo & cultus diuinus iuxta eius normam instituitur.* Mat. 22. v. 29. Christus ad Saducæos: *Erratis nescientes Scripturas,* ibidemque ex Mose contra illos probat resurrectionem mortuorum. Marci 9. v. 12. In controuersia de aduentu Eliæ respondet Christus, *quomodo scriptum est de filio hominis, quòd multa sit passurus.* Luc. 10. v. 25. Cum Legis peritus quæreret, *quid faciendo possidebo vitam æternam?* respondet Christus v. 26. *In lege quid scriptũ est? quomodo legis?*

Luc. 16. v. 27. Cùm rogaret diues Epulo in inferno fratres suos per Lazarum è mortuis de via salutis edoceri, respondet Abraham v. 29. *Habent Mosen & Prophetas, audiant illos.* Luc. 24. v. 20. Christus ex Mose & Prophetis de sua passione & resurrectione concionatur. Iohan. 5. v. 39. dicit Christus ad auditores: *Scrutamini Scripturas.* v. 46. *Si crederetis Mosi, crederetis etiam mihi, de me enim ille scripsit.* Act. 17. v. 11. laudantur Beroënses, *quòd scrutarentur Scripturas quotidie, an illis conformia à Paulo & Sila docerentur.*

Act. 18. v. 28. Apostolus publice redarguit Iudæos, & probat *per Scripturas Iesum* esse Christum.

Act. 26. v. 22. *Paulus profitetur se nihil dicere extra Mosen & Prophetas.* Act. 28. 23. Paulus *testificatur de regno Dei, & docet de Iesu ex Lege Mosis & Prophetis à mane vsque ad vesperam.*

1. Cor. 15. v. 3. *Tradidi vobis imprimis, quod & accepi, quoniam Christus mortuus est secundum Scripturas.* v. 4. *Et quia sepultus est, & quia resurrexit tertia die secundum Scripturas.*

Apoc. 22. v. 18. *Contestor omni audienti verba Prophetiæ libri huius, si quis apposuerit ad hæc, apponet Deus super illum plagas scriptas in libro isto, &c.* Et referri huc possunt loca omnia, quæ ex V. T. Christus & Apostoli allegarunt, quibus ὁμοφωνίαν doctrinę suæ cum doctrina Prophetarum comprobant, seque nihil noui aut alieni docere ostendunt.

89. Adde, quòd omnes proprietates normæ propriè sic dictæ cõueniunt Scripturę. Norma enim debet esse certa, immota, inuariabilis, prima, omnibus adæquata, sui sẽper similis. Atqui talia nec traditioni bus, nec rationis humanæ placitis, nec Patrum scriptis, nec Pontificis aut Conciliorum Decretis, sed soli Scripturæ conueniunt, sola illa certa est, quippe à Deo, qui est veritas, profecta.

1. Tim. 1. v. 15. *Certus hic sermo & omni acceptione dignus, ea est immota.* Luc. 21. v. 33. *Cœlum & terra transibunt: verba autem Christi non transeunt, ea est* inuariabilis. Mat. 5. v. 18. *Donec transeat cœlum & terra, iota vnum aut apex vnus non præteribit à Lege.* Iohan. 10. vers. 35. *Non potest solui Scriptura.* Ea est prima, quia principium Theologiæ vnicum & summum, ideò credimus quæcunque in Scripturis proponuntur, quia à Deo sunt reuelata. Iohan. 14. vers. 6. *Ego sum veritas,* dicit Saluator. Matth. 3. v. vlt. clamat cœlestis Pater de Filio, *Hunc audite. Vt ergo in Scripturis Philosophicis cognoscitur veritas per reductionem ad prima principia per se nota: sic in Scripturis à Catholicis Doctoribus traditis veritas cognoscitur, quantum ad ea, quæ sunt de fide tenenda, per reductionem ad Scripturas sacras Scripturæ Canonicas,* vt supra diximus ex Lyra præf. in Tob. Scriptura est omnibus adæquata, siquidem vti-

lis

lis πρὸς διδασκαλίαν, πρὸς ἔλεγχον, πρὸς ἐπανόρθωσιν, πρὸς παιδείαν τὴν ἐν δικαιοσύνῃ. Tim. 3. v. 16. Atque ita quidem vtilis, *vt perfectus sit homo Dei* [minister Ecclesiæ] *ad omne opus bonum instructus* v. 17. Ergo perfectam doctrinam & errorum refutationem perfectam ex Scriptura haurire potest minister. Ea deniq; est sui semper similis, vnicum est fundamentum Prophetarum & Apostolorum, super quod fideles ædificantur. Ephes. 2. vers. 20. *Nec Paulus vel reliqui Apostoli quicquam annunciant* extra Mosen & Prophetas, *multò minùs contra ipsos* Actor. 26. v. 22.

Encomia Scripturæ.

90. Hinc profluunt egregia illa encomia, quæ Scripturæ Patres tribuunt. Irenæus lib. 4. c. 69. vocat eam κανόνα τῆς ἀληθείας ἀκλινῆ. Chrysost. super 2. Cor. hom. 13. ἀπάντων ἀνεύθυνον ζυγὸν καὶ γνώμονα. Tertull. contra Hermog. *regulam veritatis.* Augustin. 2. contra Donatist. c. 6. *diuinam stateram*, Cyrill. lib. 4. dial. *fidei canonem rectum & perfectum.*

CAPVT VII.

De iudice controuersiarum.

91. *Sit, inquis, Scripturæ norma, nondum tamen erit iudex?* At paria hæc sunt, iuxta Scripturam tanquam vnicam normam esse iudicandum de fidei quæstionibus, & Scripturam esse iudicem summum in quæstionibus fidei. Confer illustrationis gratia, quod Aristot. dicit 5. polit. c. 7. δεῖ τὸν δικαστὴν εἶναι, ἢ ἔστι δεῖ τὸ δίκαιον, ὁ γὰρ δικαστὴς ἕκαστος ἐστὶ καὶ ἔστιν οἷον δίκαιον ἔμψυχον. Ita quoque Scripturâ qui consulit, Dei in Scripturis loquentis iudicium audit, est enim Scriptura vox Dei & Epistola, per quam nobis loquitur. Amicum si audis vel Epistolam eius legis, iudicium eius te cognoscere dicis, idem statuendum de voce Dei in Scripturis sonante.

92. *Confer etiam ista* Ro. 11. v. 32. *Concludit Deus omnes sub incredulitate.* quomodo? voce legis accusantis. Gal. 3. v. 22. *Concludit Scriptura omnia sub peccato.* Sic Ioh. 16. v. 8. *Spiritus S. arguet mundum de peccato*, nimirum ministerio legis Ro. 3. v. 9. Quæcunque lex loquitur, iis, qui in lege sunt, loquitur, vt omne os obstruatur & fiat reus totus mundus coram Deo. Sic Hebr. 1. v. 1. *multifariam multisq; modis Deus olim locutus Patribus.* quomodo? in Prophetis, vt ibidē dicitur, *per os Dauidis* Act. 4. v. 25 *per os Prophetarū* Luc. 1. v. 70.

93. Eodem sensu dicit Christus Io. 12. v. 48. *Sermo quem locutus sum, iudicabit homines in die nouissimo*, nim. *quia Christus*, cui Pater omne iudicium tradidit Io. 5. v. 22. *Per quem Deus iudicaturus est orbem in iustitia.* Act. 17. v. 31. Pronunciabit sententiam iuxta Euangelium, quod ipse & Apostoli prædicarunt. Ro. 2. v. 16. Et hi sunt illi libri, qui aperientur, iuxta quos mortui iudicabuntur Dan. 7. v. 10. Apoc. 20. v. 12. Quòd si augustissimas illas partes iudicij in extremo die Christus verbo suo assignat, ecquis illas in hac vita ei denegare poterit?

94. Referēda huc omnia dicta, in quib. lex & Prophetæ *loqui* dicuntur & *audiri* iubentur, ne quis fortè existimet, nos mutum quendam iudicem producere. Mat. 22. v. 22. *Dictū est à Domino per Prophetam dicentem.* Luc. 16. v. 27. *Audiant Mosen.* Rom. 3. v. 19. *Lex loquitur.* Gal. 4. vers. 30. *Quid dicit Scriptura?* Quorsum verò plura, cùm talia passim in Scripturis sint obuia?

Pulcrè Augustin. super Psal. 96. *Quid est Scriptura sacra, nisi quadam Epistola omnipotentis Dei ad creaturam suam, in qua verba Dei sonant, & cor Dei discitur. Qui amici literas legit, an mentem ipsius non intelligit?* Idem lib. quinque hom. 28. *Quantum attinet ad voces Christi nobis necessarias, quando siluit? non siluit per Patriarchas, non siluit per os carnis suæ, & modò si sileret, Scriptura non loqueretur. Lector ascendit, sed ipse non silet. Tractator loquitur; si vera loquitur, Christus loquitur. Si sileret Christus, ego vobis ista non dicerem.*

95. Deniq; vt tota hæc res fiat euidentior, prætermissis aliis Patrum sententiis duo solùm loca huc referemus, vnum ex Augustin. alterum ex Optato Mileuitano. Aug. super Psal. 23. *Vndecunque prolatum est Testamentum legatur. Quare litigas? fratres sumus. Quare litigamus? non intestatus mortuus est pater, fecit Testamentum, & sic mortuus est. Mortuus est & resurrexit. Tamdiu contenditur de hereditate mortuorum, quamdiu Testamentum proferatur in publicum. Et cum Testamentū prolatum fuerit in publicum, tacent omnes, vt tabulæ aperiantur & recitentur. Iudex intentus audit. Aduocati silent, Praecones silentium faciunt, vniuersus populus suspensus est, vt legantur verba mortui non sentientis in monumento. Ille sine sensu iacet in monumēto, & valent verba illius. Sedet Christus in cœlo, & contradicitur Testamento eius? aperi, legamus, fratres sumus, quare contendimus? placetur animus noster, non sine Testamento nos dimisit Pater. Qui fecit Testamentum, viuit in aternum, audit voces nostras, agnoscit suam. Legamus, quid litigamus? vbi inuenta fuerit ipsa hereditas, ipsam teneamus. Aperi Testamentum.* Cum hoc Augustini loco confer, quæ habet 2. de nupt. & concup. c. 33. *ista controuersia iudicem requirit, at quis iudex erit? iudicet Christus, iudicet cum illo & Apostolus, quia in Apostolo ipse loquitur Christus.*

Sequitur dictum Optati Mileuitani, quod extat l. 5. contra Parmen. *Inter* licet *vestrum &* non licet *nostrum, nutant & remigant animæ populorum. Nemo vobis credat, nemo nobis, omnes contentiosi homines sumus. Quærendi sunt aliqui huius cōtrouersiæ iudices. Si Christiani, de vtraq; parte dari nō possunt, quia studio veritas impeditur. De foris quærendus est iudex. Si paganus, non potest nosse Christiana secreta. Si iudæus, inimicus est Christiani Baptismatis. Ergo in terris de hac re nullum poterit reperiri iudicium. De cœlo quærendus est iudex, sed vt quid pulsamus ad cœlum, cùm habemus hic in Euangelio? Testamentum, inquam, quia hoc loco rectè possunt terrena cœlestibus comparari. Tale est quod quiuis hominum habens numerosos liberos, his quandiu pater præsens est, ipse imperat singulis, non est adhuc necessarium Testamentum. Sic & Christus, quamdiu præsens in terris fuit (quamuis nec modò desit) pro tempore quicquid necessarium erat, Apostolis imperauit. Sed quo modo terrenus pater, cùm se in confinio senserit mortis, timens ne post mortem suam rupta pace litigent fratres, adhibitis testibus voluntatem suam de pectore morituro transfert in tabulas diu duraturas, & si fuerit inter fratres contentio nata, non itur ad tumulum, sed quæritur Testamentum, & qui in tumulo quiescit, tacitis de tabulis loquitur viuus. Is cuius est Testamentum, in cœlo est. Ergo voluntas eius velut in Testamento sic in Euangelio inquiratur, etenim præsentia quæ modò facitis, iam futura conspexerat Christus. &c.* Hæc Optatus.

96. *Ex his fundamentis decretum erat* in Concilio Basilienſi. *Lex diuina, praxis Christi, Apostolica & Ecclesia vnà cum Conciliis & Doctoribus fundantibus se veraciter in eadem pro verissimo & indifferente iudice in hac Basilienſi Synodo admittantur.* Sed cùm anno 1551. quidam Principes ac Ciuitates vellent Tridentum ad illam congregationem suos Theologos mittere, ac præter saluum conductum formulam normæ iudicij in Basilienſi Synodo comprobatam sibi promitti, ac in disputando in Synodo seruari vellent, impetrare id non potuerunt; facilè vides ex quo fundamento.

Antitheſis Pontificiorũ.

97. Hodierni enim errorum Pontificiorum inſtauratores ſummum & authenticum iudicium Pontifici Romano inſolidum tribuunt. Bellarm. 3. de verbo Dei c.9. *Scripturam non eſſe iudicem.* li.4. de Ro. Pontifice c. 1. *ſummum iudicem in controuerſiis fidei & morum eſſe Pont. Romanum.* Idem diſertè affirmant Collocutores Pontificij in Colloq. Ratisbonenſi. Ita enim reliquorum nomine Gretſerus toties hac de re prius compellatus. *Iudex generalis, legitimus, ordinarius omnium controuerſiarum, quacunque poſſunt oriri in negotio religionis eſt Pontifex Romanus, ſiue ſolus definiat aliquid, ſiue definiat cum Concilio generali. Iſte Iudex ſemper eſt infallibilis, quando ex Cathedra definit, vt Pontifex nulli errori obnoxius. Et ſperamus hoc die & hac ipſa hora munere iudiciario fungi ſanctiſſimum Dominum noſtrum Clementem VIII. Pontificem Opt. Maximum.* Argumenta, quibus Scripturam ſacram ex his iudicij ſubſelliis detrahere, inque eius locum Pontificem ſuum collocare ſatagunt, videbimus ſuo loco.

CAPVT VIII.

Ad Laicos pertinere Scripturæ lectionem.

Normam doctrinæ cognoſcere debent etiam Laici.

1.

98. Cæterum quia Scriptura norma eſt omnis doctrinæ Theologicæ, diuinique cultus, & verò ad quoſuis ſpectet, veritatem diuinam ab humanis ſomniis diſcernere, vtique etiam normam huius rei cognoſcere & perquirere ad quoſuis ſpectabit. Mat. 7. verſ. 15. *Cauete à Pſeudoprophetis,* 1. Iohan. 4. verſ. 1. *Nolite credere cuiuis Spiritui, ſed probate Spiritus, an ex Deo ſint.* 1. Theſ. 5. v. 21. *Omnia probate.* Quomodo verò cauteri poſſunt Pſeudoprophetæ? attendendo Scripturis, in quibus ſonat vox Chriſti, *quam oues ipſius reuerenter* audiunt, & alienum non ſequuntur, Io. 10. v. 5. & 27. Quomodo probandi ſunt Spiritus? exemplo *Beroenſium* quotidiè ſcrutando Scripturas. Act. 17. v. 11. Quomodo ritè & legitimè omnia probantur? exigendo ea ad Lydium Scripturæ lapidem. Eſa. 8. v. 20. *Ad legem & ad teſtimonium, ſi non dixerint iuxta verbum hoc, non erit eis matutina lux. Quotquot verò iuxta hunc Canonem ambulant, pax ſuper illos* Galat. 6. v. 6.

2.

99. Iudicare ergo ſi poſſunt & debent Laici (quos ita vocant) ſiue auditores de Paſtorum ſuorum doctrina, vtique etiam normã doctrinæ, videlicet Scripturam, legere, & meditari debẽt, ne in iudicãdo errent. Bellar. 1. de Cler c. 7. reſpondet, *debere populum diſcernere verum Prophetã à falſo, ſed non alia regula, quã diligenter attẽdendo, an is, qui prædicat, dicat contraria iis, quæ dicebantur à prædeceſſoribus, vel iis, quæ dicuntur ab ordinariis paſtoribus, præſertim ab Apoſtolica ſede Eccleſia principali.* Ita etiam Coſterus in Enchir. f. 59. *Beroenſes,* dicit, *ſcrutatos fuiſſe an maiorũ doctrinæ & interpretationi cõſentanea dicerent Paulus & Silas.* At regula hæc valdè irregularis. Τὰς γραφὰς καθ' ἡμέραν ἀνακρίνοντες dicit Lucas, non ergo ſcrutabantur maiorum doctrinã & interpretationem, quippè quæ διδασκάλων ὧν à doctrina Apoſtolica diſtabat, quæ enim conuenientia ſuperſtitionis Ethnicæ ac traditionum Iudaicarum, (quibus innutriti erant Beroenſes iſti hactenus) cum doctrina Apoſtolica? An omnes omninò paſtores ſunt ἀνυπεύθυνοι, & extra omnem erroris aleam poſiti; vt ſemper poſteriores priorum veſtigiis inſiſtere neceſſe habeant? Act. 20. v. 29. prædicit *Apoſtolus, poſt diſceſſum ſuum ingreſſuros lupos.* v. 30. *viros loquentes peruerſa.* Si quis Epheſios ab hiſce lupis poſtliminiò ad doctrinam Apoſtolicam reuocare poſtea voluiſſet, & illi contrà horum ordinariorum paſtorum doctrinæ adhæſiſſent, ne grauiſſimè erraſſent. Nimirum hac ratione ex auditoribus fiunt pſittaci pendentes à nutu paſtorũ, ex paſtoribus fiunt Prophetę & Apoſtoli ἀνυπεύθυνοι. Atqui nullum ſpeciale non errandi priuilegium illis conceſſum, itidem illis dictum, *Si manſeritis in ſermone meo* [qui & veritas Ioh. 17. v. 17.] *veri diſcipuli mei eritis, & cognoſcetis veritatem.* Ioh. 8. v. 31. itidem *ædificati ſunt ſuper fundamentum Prophetarũ & Apoſtolorũ* Epheſ. 2. v. 20. *Ea docere debent, quæ Chriſtus illis mandauit.* Matt. 28. v. 20. ſin minùs, audiendi non ſunt, cùm nec ipſi Chriſtum in Scripturis loquẽtem audiant, perinde vt Chriſtus *audire* iubebat *Scribas Phariſæos ſedentes ſuper cathedram Moſis,* Mat. 28. v. 1. id eſt, ex Moſe & ſecundum Moſen docentes, vt rectè explicat Biel 4. ſent. diſt. 1. q. 4. artic. 3. *Aliàs verò iubet cauere ipſorum* fermentum, id eſt, erroneam doctrinam Matth. 16. v. 6. & 12. quippè quæ non procedat ex cathedra Moſis, ſed ex *cathedra peſtilentiæ.* Quæ de Apoſtolica ſede, id eſt, Rom. Pontificis iudicio & pectoris Papalis ſcrinio attexuntur, habebunt alibi ſuum locum.

100. Negari proinde nequit, quandoq; contraria à paſtoribus doceri, & à veritatis via illos abire, quid ergo tùm agendum erit auditoribus, ſi Scriptura, qui eſt gladius S. S. quo ſe contra hæreſes armare & defendere poſſunt, illis adimitur? Reſpondet Bellarminus, *Cùm paſtor ordinarius & aliquis alius, qui prædicat non vocatus, contraria docent, debet omninò populus paſtorem ſuum potius ſequi, quàm illum alterum, qui non eſt paſtor, etiamſi fortè contingat, vt paſtor erraret.* En verò Antichriſti auriculas! Succeſſio ordinaria paſtorum præferenda eſt veritati, id eſt, lux tenebris, error veritati, autoritas humana diuinæ. Et ex hoc Theoremate feliciſsimè ſe tutari poterunt Iudæi, qui attendentes ordinariorum Paſtorum erroribus Prophetas ſpreuerunt, & Phariſæis adhærentes in Chriſti necem conſenſerunt.

101. *Scrutamini Scripturas,* dicit Chriſtus ad ſuos auditores Ioh. 5. v. 39. vbi non audiendi ſunt, qui exiſtimant Chriſtum ſaltem referre quid faciant, quia etiã hoc eorum factum approbat, atque vt illud faciant hortatur, dum ſubiungit: *putatis vos vitam æternam in illis habere, & illæ ſunt quæ teſtificantur de me.* Teſtimonium de Chriſto accipiendum, vtiq; ergo ſcrutandæ ſunt Scripturæ. Neue quis excipere poſſit, *pertinere hoc dictum Chriſti ad ſolos Eccleſiarum præſules* obſeruandum, quod Iudæos in genere Chriſtus ibidem alloquatur, perinde Petrus omnes iubet *attendere ſermoni Prophetico* 2. Epiſt. 1. v. 19.

102. Quibus Prophetę & Apoſtoli ſcripſerunt, illis etiam ſcripta Prophetarum & Apoſtolorum ſunt cognoſcenda, quod ex doctrina relatorũ δεῖγμα. Atqui Prophetæ & Apoſtoli non ſolis [vt loquuntur] Clericis, ſed omnibus Chriſtianis ſcripſerũt. Ergo omnibus Chriſtianis Prophetarum & Apoſtolorũ ſcripta cognoſcenda. Aſſumtum in genere & ſpecie probari poteſt. Eadem quæ docuerunt ſancti illi Dei homines impulſi à Spiritu S. ſcripſerũt: Iam verò non paucis quibuſdam, ſed in genere omnibus, prædicarunt, vt erant à Deo iuſsi, quod negari nequit. Deut. 6. v. 9. *Repetes hæc verba filiis tuis, & loqueris de eis, quando ſedebis in domo tua.* Cap. 31. v. 11. & 12. *Leges verba legis huius coram toto Iſrael.* Ita Apoſtoli ſuas Epiſtolas non presbyteris ſolùm, ſed Eccleſiis integris inſcripſerunt, tota autem Scriptura homogenea eſt, ideò ſi vna Scripturæ pars ad Laicos pertinet, etiam altera. 1. Theſ. 5. v. 27. *adiurat* Apoſtolus Theſſalonicenſes, *vt Epiſtola illa legatur coram omnibus fratribus.* 1. Ioh. 2. v. 12. teſtatur Apoſtolus *ſe infantibus & adoleſcentibus, patribus & ſenioribus ſcribere.*

Exceptio Bellarmini.

103. *Bellarminus excipit, à prædicatione verbi ad scriptionem non procedere argumentum, cùm in prædicatione omnia clarius explicentur*: At quis credat Prophetas & Apostolos obscuriora saltem prætermissis clarioribus conscripsisse? docere voluerunt, & ex mandato DEI debuerũt non solùm viua voce, sed etiam literis, iam verò perspicua docent, non obscura. Quid? quod Apostoli passi fuerunt, imò etiam voluerunt de doctrina sua ex Mosis & Prophetarum scriptis iudiciũ fieri; quomodo ergo ita distingui potest, vt prædicatio verbi pertineat ad totum populum, non autem verbum scriptum, cùm de prædicatione iudicium faciendum ex verbo scripto? Adde quòd argumentum nostrum, non solùm de prædicatione, sed & Epistolis Apostolorum probet, eas ad populum pertinere.

104. Refer hûc quòd commendat Deus Iosuæ, & in genere omnibus Regibus & Magistratibus studium verbi sui, Ios. 1. v. 8. *Non recedat liber legis iste ab ore tuo, sed meditaberis in eo die ac nocte.* Deut. 17. v. 18. *Cùm sederit Rex super solium regni sui, scribet sibi legem hanc in libro à conspectu Leuitarum, &c.* Et refer hûc omnia illa elogia, quibus studium & meditatio verbi exornatur, quæ absit, vt scripto Dei verbo detrahamus, cùm scriptio nihil detraxerit Dei verbo, manet idem Dei verbum siue scribatur & legatur, siue prædicetur & audiatur. *Quæcũq; scripta sunt, ad nostrã doctrinã scripta sunt.* Rom. 15. v. 4. Ipsa scriptura hoc fine edita est, *vt per eius ministerium ad fidem & vitam æternam perueniamus.* Ioh. 20. v. 31. *Ipsa scriptura est θεόπνευστος, & reddit hominem perfectum* 2. Tim. 3. v. 17. *Proinde πλουσίως in nobis habitet Dei Verbum* Col. 3. v. 16. *Audiamus illud, legamus, meditemur, scrutemur & modis omnibus ei attendamus. Beatus qui in lege Domini meditatur die ac nocte* Psal. 1. v. 2.

Confutatio Pontificiũ lectione Scripturæ interdicentium Laicis Censur. Colon.

105. Romanenses varios solent quærere prætextus, cur à Scripturæ lectione Laicos [quos ita vocant] arceant. Cens. Col. p. 119. *Vulgus, quod nec veteres Interpretes ob idiomatis ignorationem, quo scripserunt, intelligit, nec otio abundat, vt quæ alij interpretati sunt, colligat, nec iudicio valet sana à prauis discernendi, meritò à Scripturarum sacrarum maximè difficiliorum lectione arcetur.* Respondemus ex August. 2. de doctrina Christ. c. 9. *In illis, quæ apertè in Scriptura posita sunt, inueniuntur illa omnia, quæ continent fidem moresque viuendi*, proinde vt Greg. Magn. in Epistola ad Leand. dicit, *Scriptura est fluuius, in quo Elephas natat & agnus ambulat.*

Cotterii.

106. *Cotterus in Enchir. p. 5. de modo legendi* (inquit) *quæstio est, an permittenda vulgo lectio Scripturæ, vt simul penes omnes sit tuto eas interpretandi, quod negamus nos, quia multis obstructa difficultatibus.* Resp. 1. Aug. Epist. 3. ad Volusianum rectè dicit, *tantam esse sacrarum literarum profunditatem, vt in iis quotidie proficiat aliquis, si eas solas ab ineunte pueritia vsque ad decrepitam senectutem, maximo otio, summo studio, atque optimo ingenio conaretur addiscere*: sed ibidem addit, *non quod ad ea, quæ necessaria sunt saluti, tanta perueniatur difficultate, &c. Est ergo in illis, quod perfectus comedat, est etiam quod paruulus sugat.* 2. Aliud est publico docendi munere fungi, aliud priuato studio Scripturas scrutari, illud libenter fatemur Laicis non competere, sed hoc illis neutiquam denegandum esse dicimus. 3. quæ in Scripturis apertè posita, in illis perfecta fidei & cultus diuini norma proponitur, & ex illis fidei ἀναλογία constituitur, iuxta quam omnia dijudicanda sunt 1. Corinth 10 v. 15. *Iudicate vos, quod dico*, ait Apostolus, & statim subiungit normam huius iudicij, videlicet ipsam institutionem Dominicam. 4 manet nihilominus gradus donorum Spiritus sancti, quos reuerenter agnoscere debent fideles. 1. Corinth. 14. vers. 29. *Prophetæ duo aut tres loquantur, cæteri diiudicent*, vers. 30. *Quod si alij fuerit reuelatum, prior taceat.* 1. Corinth. 12. v. 20. *Nunquid omnes linguis loquuntur, nunquid omnes interpretantur?*

Ecci.

107. Eccius Enchir. c. 4. dicit, *nos concedere vt Laici & deliræ anus Scripturas tractent imperiosè.* Resp. Calumnia hæc est, nullum in Scripturas diuinas nobis sumimus aut alij concedimus imperium, discipulos earum nos profitemur, discipulos earum etiam Laicos esse volumus.

Stapletoni.

108. Stapletonus relect. princ. fidei contro. 5. q. 3. art. 4. p. 535. recitatis variis aliorum sententiis subiungit, *veram esse opinionem eorum, qui nec in vniuersum prohibent, nec in vniuersum probant, (quod Laici Scripturas legant) sed aliquando vt in pace Ecclesiæ quoad certas partes morales & historicas, vel grassantibus hæresibus etiam quoad totam Scripturam, sed propter corruptas hæreticorum translationes in vulgare, non nisi quibusdam tantùm, id est certa regula præscripta, videl. quibus ordinarij pastores id expedire iudicabunt, non autem promiscuè omnibus vulgarem aliquam Scripturæ editionem pie & vtiliter concedi posse existimant.* Resp. 1. πᾶσα γραφὴ θεόπνευστος 2. Tim. 3. v. 16. *Quinis igitur à puero debet nosse τὰ ἱερὰ γράμματα*, vers. 15. *Cùm prosint ad διδασκαλίαν καὶ ἐυθεσίαν* omnibus necessariam & *quæcunque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt*, Rom. 15. v. 4. nulla ergo hic facienda distinctio. 2. quod Deus ipse concedit, imò iubet, in eo consensus ordinariorum pastorum exspectandus non est, ne accidat quod Tertull. scribit. Apolog. cap. 5. *Apud vos de humano arbitratu diuinitas pensatur, nisi homini Deus placuerit, Deus non erit, homo iam Deo propitius esse debebit.* 3. etiam nondum grassantibus hæresibus contra venturas animi præmunitendi, quemadmodum Ioseph tempore vilitatis annonæ, futuræ prospiciebat fami.

Molani.

109. Audacissimè scribit Iohan. Molanus Theol. Louanienſis de pract. Theol. tract. 3. cap. 27. quæst. 2. *Negamus ab eu (Laicis) requiri studium Scripturarum, imo salubriter dicimus eos à lectione Scripturarum arceri, sufficereque eis, vt ex præscripto Pastorum & Doctorum Ecclesiæ vitæ cursum moderentur.* Modestior videri voluit Bellar. 2. de verbo Dei cap. 15. *Catholica Ecclesia statuit, ne passim omnibus concedatur Scripturæ lectio.* Quam suam sententiam variis ibi nititur pingere coloribus & siculneis regere foliis, quæ suo loco excutiemus.

110. Sed enim veram huius rei causam, cur nimirum Romanenses à Scripturæ lectione arceant Laicos, aperuere nobis Episcopi iussu Pontificis Bononiæ congregati in suo consilio, quod de stabilienda Romanæ Ecclesiæ dignitate Iulio III. Anno 1553. dederunt, quod à Vergerio postea editum est. *Denique* [aiunt] *quod inter omnia consilia, quæ nos dare hoc tempore possumus, omnium grauissimum ad extremum reseruauimus, oculi hic aperiendi sunt, omnibus neruis adnitendum erit, vt quàm minimum Euangelij poterit (præsertim vulgari lingua) in iis legatur ciuitatibus, quæ sub tua ditione ac potestate sunt, sufficiat q; tantillum illud quod in Missa legi solet, nec eo amplius cuiquam mortali ũ legere liceat. Quamdiu enim pauculo illo homines cõtenti fuerunt, tamdiu res tuæ ex sententia successere, eademque in contrarium labi cœperunt, ex quo vlterius legi vulgo vsurpatũ est. Hic ille (in summa) est liber, qui præter cæteros hasce nobis tempestates ac turbines concitauit, quibus prope abrepti sumus. Et sanè si quis illum diligẽter expendat, deinde quæ in nostris fieri Ecclesiis consueuerunt, singula ordine contempletur, videbit plurimùm inter se dissidere, & hanc*

doctrinam nostram ab illa prorsus diuersam esse, ac sæpè contrariam etiam. Quod simul atque homines intelligunt, à docto scilicet aliquo aduersariorum nostrorum stimulati, non ante clamandi finem faciunt, quàm rem planè omnem diuulgarint; nosque inuisos omnibus reddiderint. Quare occultandæ pauculæ illæ chartæ erunt, sed adhibita quadam cautione ac diligentia, ne ea res maiores nobis turbas ac tumultus conciter. Hæc illi.

CAPVT IX.

De translationibus Scripturæ.

111. Cæterùm si ad Laicos etiam pertinet Scripturas legere, vt probatum dedimus, & suum nobis primitiuæ Ecclesiæ Doctores assensum præbent, sequitur Scripturarum in vulgares linguas translationem, nec prohibendam, nec improbandam.

Idioma Hebraeum V.T. proprium.

112. Vetus Testamentum Hebraico idiomate conscriptum est, quippè quod erat Iudæis, quibus τὰ λόγια θεῦ concredita, Rom.3.v.2. familiare, vnde etiam *liber legis* toti populo prælegi debuit, Deu.31.v.11. & lectus fuit 2.Paralip.34.v.30. cuius linguæ vsum in populo Iudaico tẽporibus Esdræ & Christi ita desisse, vt Scripturas non intellexerit ampliùs, nunquã nobis probabit Bellarminus, Esdras Nehem. 8.v.3. *Legit in libro legis à luce vsque ad meridiem, coram viris & mulieribus & intelligentibus* (intelligenter audientibus) *& aures totius populi erant ad librum legis*, quod vers.7. & 8. dicitur Leuitas *apposuisse intellectum*, ita accipiendum est, quòd ad attentionem populum excitarint, distinctè & explanatè legerint, si quis locus obscurior aut difficilior occurreret, eum explicarint, &c. Christus Luc. 4.v.17. *Esaiam Prophetam* in Synagoga legit, *ita vt omnium oculi in ipsum intenti* vers.20. Ita testibus Apostolis Actor.15.v.21. *Moses à temporibus antiquis habet in singulis ciuitatibus, qui eũ prædicent in Synagogis*, vbi per omne Sabbathũ legitur. Act.17.v.11. *Beroenses Iudæi scrutantur quotidiè Scripturas.* Actor. 21. v.40. Paulus alloquitur populum ἑβραΐδι διαλέκτῳ, cumque audirent eum Hebræa lingua loqui, magis præstiterũt silentium Act.22.v.2. Quid? quod Chaldaica & Syriaca linguæ, inflexione saltem & certis literarum mutationibus ab Hebræa distent? quid? quod etiam textus Hebræus in Chaldaicam linguam demum translatus? Extat enim triplex Thargum, Babylonicum, Onkelosij, & Hierosolymitanũ; Babylonicum à Iohanne Vzielis filio, Hillelisque auditore & Simeonis iusti (qui infantulum Christum in brachiis susceperat) condiscipulo factum ante natum Christum annis circiter 42. Thargum Onkelosij ab Onkelos Proselyto, quem Hebræi sororis Titi Imp. filium fuisse asserunt, elaboratum: quibus versionibus Iudæi non minùs tribuunt, quam ipsi textui Hebraico. Thargum Hierosolymitanum videtur postremum, quod nonnulli asserunt, Syriaco idiomate fuisse scriptum.

Thargum triplex.

Graecum idioma N. Test. proprium.

113. Nouum Testamentum Græco idiomate ab Euangelistis & Apostolis perscriptum, fuit enim lingua *omnium* communissima; teste Cic. pro Archia. *Græca leguntur in omnibus fere gentibus.* Aug. Ep. 200. *Hæc lingua maximè excellit in gentibus lib.7. quæst.37. in linguis gentium Græca ita excellit, vt per hanc omnes decenter significentur, vndè Apostolus nomine Græcorum gentes intelligit.* Subsequentibus temporibus secutæ translationes variæ, Augustin.2.de doctr.Christ.c.11. testatur, suo tempore *innumeras fuisse Latinas versiones.* Hieronymus *in Dalmaticam linguam* sacros libros conuertit (consentiente Hosio l. de sacr. vern. ling. leg.) Chrysost. in *Armenam* (consentiente Sixto Senensi lib.6.annot.151.) Vlphius *in Gothicam* [Socrates lib.4. c.33.] iussu Regis Athelstani *in Britannicam linguam* versæ sunt Scripturæ [Vvitak.controu.c.1.de script.q. 2.] breuiter *multi populi habuerunt Scripturas in lingua vernacula* [Ecchius Enchir.c.2.de Missis] *Syri, Aegyptij, Aethiopes, Indi & aliæ innumeræ gentes diuina dogmata in suam linguam transtulerunt* [Chrysost.hom.1.Iohan.] quot & quæso extant Græcę versiones? addit autem Theodoretus l.5. de corrig.Græc.affect. *Hebraici libri non modo in Græcum idioma cõuersi sunt, sed in Romanam quoque linguam, Aegyptiacam, Persicam, Indicam, Armenicam & Scythicam, atque adeò Sauromaticam, semelque vt dicam in linguas omnes, quibus ad hanc diem nationes vtuntur.* Hæc Theodor. Ante versionem D.Luther. Germanicam extant tria vetusta exemplaria Germanica, primum impressum Norimbergæ Anno 1477. alterum ibidem anno 1483. tertium Augustæ anno 1518.

CAPVT X.

De authentica Scripturæ editione.

Nulla versio est authentica.

114. Quamuis verò Scripturæ in alias linguas factam translationem non improbemus, tamen textus Hebraicus in V.Græcus in N.Test. solus est authenticus, in illis enim linguis sancti Dei homines sacros libros ediderunt, proinde vt *in Nou.Testamento recurrimus ad fontem Græci sermonis, quo nouum scriptum est instrumentum: ita in V.T. ad Hebræam recurrimus veritatem.* Hieronym. Epistola ad Suniam & Fret. tom.4. ad Marcel. ad Lucin. ad Vital. comm. super Zach. & alibi passim, August. 2. de doctrina Christ. cap.11. li.15. de ciu. Dei c.13. ibidemque Lud. Viu. Ambros. 2. de Sacram. cap.6. Hilarius in Psal. 118. Cassiod. 1. Instit. c.15. &c. Vide plura apud Bened. Ariam Montan. in præf. super opus Biblicum, vbi Patrum testimoniis & argumentis id euincit. Erasm. in Comp. Theol. &c.

An Bibliæ in fontibus corruptæ.

115. *Corruptum habent sensum*, qui Hebraicam Vet. Nouique Testamenti Græcam Scripturam corruptã esse pronunciant, nec puri sunt, qui fontes purè fluere negant. Aut enim ante Christi ætatem corrupta fuisset Hebræa editio, aut post illam. Non prius teste Iosepho lib. 1. contra Appion. Euseb.3.Eccl. Histor. c.10 lib.8 præpar. Euang. cap.2. & sanè Christus ac Apostoli id non dissimulassent, nec monuissent auditores, vt scrutarentur Scripturas, nec ex ea suam sententiã probassent, nec Paulus dixisset, se credere omnibus, quæ sunt in Mose & Propheris Actor.26.vers. 22. Nec posterius, quia Philo & Iosephus post Christi ætatem protulerunt suum testimoniũ, vt & Euseb. Hieronym. in c.6.Esai. August.15.de Ciu.Dei cap.13. li.22.contra Faustum cap.2. super Psal.56. super Psal. 39. & alibi. Dispersi etiam fuerunt Iudæi per vniuersum orbem quomodo ergo omnia exemplaria adulterare potuerunt? quid? quod adeò religiosè Scripturæ Codicem obseruant, vt ieiunium indicent, si ille in terram ceciderit, teste Ios. Isaac de opt. gen. interpret. Ac si vel maximè aliquid corrupissent, ea quæ de Christo agunt, adulterassent, quæ tamen hodieque integra extant omnia.

116. Dicimus proinde cum Hieronym. super 6 Esa: *Quod si aliquis dixerit, Hebræos libros à Iudæis esse falsatos, audiant Origenem, quid in octauo volumine explanationum Esaiæ huic respondeat quæstiunculæ, quod nunquam Dominus & Apostoli, qui cætera crimina arguunt in Scribis & Pharisæis, de hoc crimine quod erat maximum reticuissent: sin autem dixerint, post aduentum Domi; Saluatoris & prædicationem Apostolorum libros Hebræos*

fuisse falsatos, cachinnum tenere non potero, quod Saluator & Euangelistæ & Apostoli ita testimonia protulerint, vt Iudæi postea falsaturi erant.

117. Satis igitur iniurii sunt in diuinos Codices Lind.1.de opt.gen. interp.c.2. Canus 2.c.2.loc.13.qui eos penitus corruptos esse pronunciant, quibus modestior esse voluit Bellar. aliqua saltem loca corrupta esse asserens, quę tamen facilè explicabimus, & à corruptione libera esse euincemus.

De versione vulgata Latina.

118. Viderint autem Concil. Tridentini hyperaspitæ, quomodo vulgatam illam versionem in dicto Concilio sess.4. ita canonicatam, *vt publicis lectionibus, disputationibus, prædicationibus & expositionibus pro authentica habeatur, vt nemo illam reijcere quouis prætextu præsumat*, quomodo, inquam, ab errorum accusatione iampridem ei à Lyrano, Burgensi, Eugubino, Ioh. Isaaco, Caietano, Iacob. Fabro, Ludou. Viue, Armachano, Isidoro, Clario, Valla, Erasmo, Pagnino, Vatablo, Bened. Aria, aliisque quamplurimis intentata, liberare possint.

119. Latina illa vulgata editio in multis locis barbara est, & solæcismis plena, mendas habet graphicas, ellipticas, pleonasticas, Chorographicas, Topographicas, Historicas, dogmaticas, coniungenda diuitrahit, seiungenda coniungit, fontibus tæpius discedit, id quod ligillatim à nostris iampridē euictum, vt meritò detestemur, quod scribit Simenius Hisp. Cardinalis præfat. in Bibl. Compl. *inter Hebraicam veritatem & LXX. Interpr. editionem, se Latinam translationem velut inter Synagogam & Orientalem Ecclesiam ponere, tanquam duos hinc & inde latrones, medium autem Iesum.*

120. Hieronymi eam non esse, videntur satis multa probare, quæ ex collatione scriptorum Hieronymi cum illa versione proferri possunt, quæ iamdudum collegerunt alij, qua de re vide Erasm. annot. super 1. Matth. p.10. super 1. Cor. 5. p. 314. Pag. præfat. interp. Dried. 2. de catal. script. c. 1. Sixt. Sen. l. 8. Bibl. Munsterum, Paulum Forosempr. &c. Et si maximè Hieron. esset, nondum tamen ob id authentica foret, *aliud enim esse Patrem, aliud interpretem*, vt ipse Hieron. scribit præfat. in pent.

Ἀνακεφαλαίωσις, totius huius Tractatus.

121. Atque hæc de libris Scripturæ Canonicis, eorumque autoritate, perfectione & perspicuitate, quę ex his resultat iudicandi præeminentia, quod illis debetur legendi ac meditandi studio, atque ob id necessaria eorum in vernaculas linguas translatione dicta nobis sunto, ex quibus omnibus hanc definitionem colligimus.

Definitio Scripturæ Canonicæ.

Canonica V. & N. T. scripta sunt libri diuini à Prophetis in V. & Apostolis in Nou. Testamento scripti, atque Ecclesiæ Dei traditi & commendati, vt ex illis diuina veritas perfectè & perspicuè cognoscatur, ac secundùm eos tanquam exactissimum Canonem quæuis dogmata iudicentur, atque hac ratione ex illis erudiamur ad vitam æternam.

DE INTERPRETATIONE SCRIPTVRÆ SACRÆ.

CAPVT I.

Summam huius Tractatus proponit.

I.

Quædam in Scriptura obscuriùs dicta.

IAcimus, esse quidem tantam Scripturæ perspicuitatem, vt ex ea certa aliqua & constans sententia de dogmatibus ad salutem cuiuis scitu necessariis haberi possit; interim tamen quædam in ea obscurius dicta & proinde intellectu esse difficiliora.

Obscuritatis illius vsus.

2. *Nimirum spiritus S. magnificè ac salubriter ita Scripturas modificauit, vt locis apertioribus fami occurreret, obscurioribus autem fastidium detergeret.* Aug. 2. de doctr. Christ. c. 6. *Modus ipse dicendi, quo sancta Scriptura contexitur, quàm omnibus accessibilis, quamuis paucissimis penetrabilis! ea quæ aperta continet, quasi amicus familiaris ad cor loquitur indoctorum atque doctorum: ea verò quæ in mysterijs occultat, nec ipso superbo eloquio erigit, quò non audeat accedere mens tardiuscula & inerudita, quasi pauper ad diuitem, sed inuitat omnes humili sermone, quos non solùm manifesta pascat, sed etiam secreta exercear veritate, hoc inpromtis, quod in reconditis habens; sed ne aperta fastidirentur, eadem rursus aperta desiderantur, desiderata quodammodo renouantur., renouata suauiter intimantur.* Idem Epist. 3. ad Volusian.

3. Obscuritas ergò ista quorumdam Scripturæ locorum ad preces ardentiores nos compellit, studium nostrum excitat, fastidium detergit, veritatem magis commendat, arrogantiam nostram deprimit, profanos à sui cognitione arcet, & reuerentiam erga Ministerium diuinitùs constitutum in nobis excitat.

Quam interpretetur SS. Ministerium.

4. Etenim non tantùm verbi sui depositum sanctissimum Deus nobis concredidit, sed etiam Ministerium Ecclesiasticum inter nos instituit, cuius officium est præcipuum Scripturas interpretari: Istud est *ministerium Spiritus* 2. Cor. 3. v. 8. per quod *in omnem veritatem nos ducere cupit*, Ioh. 16. v. 13. *Spiritum ergò non debemus extinguere*, 1. Thes. 5. v. 19.

5. Ita Christus in forma viatoris euntibus in Emaus conuersans, *exorsus à Mose & omnibus Prophetis interpretabatur illis in omnibus Scripturis quæ de se scripta* Luc. 24. v. 27. Idem *sedens ad dextram Patris non solùm dedit olim Prophetas, Apostolos & Euangelistas, sed & hodiè dat Pastores & Doctores* Eph. 4. v. 11. *ad præparationem Sanctorum, in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi*, v. 11.

6. Sic Historia Matth. 11. & Luc. 7. de ablegatione discipulorum Iohannis ad Christum ostendit, in arduis quæstionibus de religione non sumendum esse iudicium ex hominum opinionibus, sed consulendū os illius, de quo Pater dixit, *Hunc audite*, Deuter. 18. v. 18. is vicissim *ad Scripturas* nos ablegat Ioh. 5. v. 39. & Scripturæ verbis ibidem responsionem suam discipulis Iohannis exprimit. Neque tamen Ministerium vt otiosum & inutile ob id contemnendum, sed Christus propositis Prophetarum dictis Legatos rursus mittit ad Iohannem, vt eius opera in inuestiganda sententiarum Scripturæ explicatione vtantur.

Idque secundum Spiritus S. dictamen.

7. Sed enim Interpretes isti Ecclesiastici, quocunque sanè dignitatis gradu consistant, non debent priuatos aliquos sēsus Scripturæ inferre, sed vt ex Spiritus S. inspiratione conscriptæ sunt sacræ tabulæ, ita quoque secundùm eiusdem dictamen exponi debent, vnde Spiritum S. esse supremum & authenticum Scripturæ Interpretem pronunciamus.

8. Colligitur id euidenter ex loco Apostolico 2. Pet. 2. v. 20. *πᾶσα προφητεία γραφῆς, ἰδίας ἐπιλύσεως οὐ γίνεται*, quare? v. 21. *quia nec proprio & priuato arbitrio olim locuti sunt sancti Dei homines, sed ex inspiratione Spiritus sancti.* Idem ergo qui Scripturæ autor, is supremus & authenticus eiusdem est interpres. Qui condit legem, optimus & supremus legis est Interpres.

9. De eo autem quæritur, quæ sit *ἰδία ἐπίλυσις*? vnde petendum sit Spiritus sancti in Scripturis interpretandis dictamen? vnde agnosci possit, Eccle-

siasticos illos Interpretes mentem Spiritus S. in Scripturis loquentis rectè assequi?

CAPVT II.

Pontificiorum de interpretatione Scripturæ sententiam exponit.

Pontificij statuunt ab Ecclesia.

10. Pontificij statuunt, Ecclesiæ hoc tribuendum esse, quòd in ea & per eam euidenter atque infallibiliter doceamur, quæ sit vera & genuina sacrarum literarum sententia: Scripturam in se & per se esse literam mortuam, quæ explicari possit modis variis & instar nasi cerei quouis inflecti, sed Spiritum S. per Ecclesiam nos docere, quæ sit vera & authentica Scripturæ interpretatio.

Quid per Ecclesiam intelligant.

11. Et quia cardo rei in hoc vertitur, ideò vt ipsorum sententiam plenius percipiamus, referemus quæ Nicol. Cusanus Cardinalis hac de re disputat in suis contra Bohemos Epistolis; ex illis enim poterimus intelligere, quid honorabili Ecclesiæ nomine intelligant, quamve in Scripturis interpretandis autoritatem ei tribuant, denique quamnam esse infallibilem Spiritus S. interpretationem statuant.

Cusanus.

12. *Sic ergo Cusanus. Dicunt aliqui, præcepto Christi obediendum esse primo loco, deinde Ecclesiæ, & si aliud præceperit Ecclesia quàm Christus, non Ecclesiæ sed Christo obediendum:* [subiicit deinde ὅπαεσιν] *Certè in hoc est omnium præsumptionum initium, quando particulares iudicant suum sensum in diuinis præceptis voluntati diuinæ conformiorem, quàm vniuersa Ecclesiæ. Iste vero in Ecclesia manet, qui suum sensum præsumptuosè non eleuat supra dictamen maioris partis Sacerdotum, quibus verbum creditum est, & qui Christi legatione funguntur: in obediendo enim illis sententiæ, quam saniorem Ecclesiæ partem videt affirmare, nihil periculi incurrit Christianus: Veritas cathedræ adhæret, quare membra cathedræ vnita & Pontifici comuncta Ecclesiam efficiunt.*

13. *Et posteà. Videmus in Scripturarum intelligentia varia hominum ingenia varios sensus explicare, variamque autoritatis Scripturarum opinionem existere, possibileque fore, aut in autoritate earundem, aut in intellectu mèxtricabilem dubietatem hominum mentes suspendere, vbi erit solidum refugium peregrinantium? certe in alio nullo, quam in militante Ecclesiæ vsu atque approbatione, siue hæc sit circa Scripturam & eius autoritatem atque intellectum, siue extra Scripturam in consuetudine accepta per Ecclesiam: in his enim firmitas est, vt solida petra & veritatis columna, non vt per Scripturarum autoritatem ad Ecclesiam pergat, & eam, si cum Scriptura non concordat, iuxta priscorum aut suum intellectum in operis exercitio impunè spernere possit & Scripturæ inhærere. Hæc est omnium sanè intelligentium sententia, qui Scripturarum autoritatem aut intellectum (vt Augustinus de Euangeliis dicit) in Ecclesiæ approbatione fundant, quæ vnam accipit, & alteram abiicit, & non è conuerso Ecclesiæ fundamentum in Scripturarum autoritate locant.*

14. Ex hoc fundamento respondet ad argumentum Bohemorum. *Dices fortasse, Ecclesia hodierna non ita ambulat in ritu communionis, sicut ante ista tempora, quando sanctissimi viri vtriusque speciei Sacramentum necessarium esse vi præcepti Christi & verbo & opere astruebant. Potuitne tunc Ecclesia errare? certe non. Quod si non, quomodo id hodie verum non est, quod tunc omnium opinione affirmabatur, cùm non sit alia Ecclesia ista quàm illa? Certe hoc te non moueat, quòd diuersis temporibus alius atque alius ritus Sacrificiorum & etiam Sacramentorum stante veritate inuenitur. Scripturasque esse ad tempus adaptatas & variè intellectas, ita vt vno tempore secundùm currentem ritum Vniuersalem exponerentur, mutato ritu, iterum sententia mutaretur, &c. Quare etiamsi hodie alia fueris interpretatio Ecclesiæ eiusdem præcepti Euangelici quàm aliquando, tamen hic sensus nunc in vsu currens ad regimen Ecclesiæ inspiratus, vti tempori congruus & salutis via debet accepti ari.*

15. Qualem autem Ecclesiam intelligat, posteà explicat. *Quare vniuersa Catholica Ecclesia & ad Petri cathedram conglobata à Christo nun quam recedet, qui Veritas est, cum qua Christus semper se mansurum pollicitus est. Tandem concludit. Ex præmissis constat, quod tota Catholica Ecclesia non potest ad literam Scripturarum obligari, licet semper ad Spiritum: quando n. litera non seruit ædificationi & Spiritui, recipit id, quod magis seruit Spiritui. Quare nec miram, si praxis Ecclesiæ vno tempore Scripturam interpretatur vno modo, & alio tempore alio modo: nam intellectus currit cum praxi: Intellectus enim, qui cum praxi concurrit, est Spiritus viuificans, Ecclesia igitur sicut recipit Scripturam, ita & interpretatur: Sequuntur igitur Scripturæ Ecclesiam, quæ prior est, & propter quam Scriptura & non è conuerso.*

Error eò im plex.

Hactenus Cusanus. Breuiter hæc omnia effert Hosius Cardinalis de expresso Dei verbo. *Siquis habet interpretationem Romanæ Ecclesiæ, etiamsi nec scit nec intelligit, an & quomodo cum Scripturæ verbis conueniat, is tamen habet ipsissimum verbum Dei.* *Hosius.*

16. *Ex his constare potest*, quid sibi velint Patres Concilij Tridentini, quando sessione 4. decreto 2. seriò prohibent, *ne quis sacram Scripturam interpretari audeat contra eum sensum quem tenuit & tenet mater Ecclesia, cuius sit iudicare de vero sensu & interpretatione Scripturarum sanctarum, aut contra vnanimem consensum Patrum.* *Concil. Tridentin.*

17. Videamus, quomodo Bellarminus mentem Concilij explicet. *Conuenit inter nos & aduersarios*, ait 3. de verb. Dei c. 3. *Scripturas intelligi debere eo Spiritu, quo factæ sunt, id est, Spiritu S. Tota igitur quæstio in eo posita est, vbi sit iste Spiritus. Nos* [Pontificij] *existimamus, hunc Spiritum, etsi multis priuatis hominibus sæpè concedatur, tamen certò inueniri in Ecclesia, id est, in Concilio Episcoporum confirmato à summo Ecclesiæ totius Pastore, siue in summo Pastore cum Concilio aliorum Pastorum:* vnde concludit, *iudicem veri sensus scripturæ esse Ecclesiam, id est, Pontificem cum Concilio.* *Bellarmin.*

18. Nondum dimittere possumus Bellarminum. Cùm enim Pontifici adiungat Concilium, quærimus, an Spiritus sanctus tùm solum immediatè per Pontificem loquatur, quando cum Concilio & in Concilio aliorum Pastorum aliquid definit, an verò etiam tùm, quando solus extra Concilium suam promulgat sententiam? quæ. imus secundò loco, an Concilij, an Pontificis major in Scripturis interpretandis autoritas, notum enim est, non semper conuenire Pontifici cum Conciliis? *Duo quærimus.*

19. Ad prius respondet Bellarm. 4. de Pontifice Rom. c. 2. *ipsa infallibilitas non est in cœtu Consiliariorum vel in Concilio Episcoporum, sed in solo Pontifice. Ad posterius* respondet 2. de Concil. c. 13. *nondum hac de re conuenire inter Catholicos* cap. 14. subiicit *tres Doctorum* [Papisticorum] *sententias. Aliqui asserunt, Concilium esse suprà Pontificem, aliqui volunt Papam quidem esse supra Concilium, nec posse inuitum à Concilio iudicari, at posse seipsum Cõcilio subiicere. & causam suam Concilio iudicandam permittere, ac si id fecerit, tùm ipsi in Concilij sententia esse acquiescendum. Alij verò asserunt, Papam adeò esse supra Concilium, vt non possit etiam se subijcere eius sententiæ coactiuæ:* quam opinionem dicit esse communem, eandemque sequitur. *Resp. Bellarmin.*

20. Ex his omnibus colligimus, Pontificios statuere, quòd vera Scripturæ interpretatio ex solo Papalis pectoris scrinio sit petenda, eò enim tandem per *Interpretationem Scripturæ stare solis deferunt Papæ.*

per longas istas ambages disputationum, de Ecclesiæ autoritate nos deducunt, quod cordatiores atque ingenui inter ipsos non negabunt, vnde scribit Bellar. 4. de Pont. c. 2. *Omnes Catholici in hoc conueniunt, Pontificem solum vel cum suo particulari Concilio aliquid in re dubia statuentem siue errare possit, siue non, esse ab omnibus fidelibus obedienter audiendum.*

CAPVT III.

Pontificiorum sententiam examinat.

Error professò multiplex.

21. Sunt autem huius opinionis errores longè plurimi. Πρῶτον ψεῦδος totius structuræ est, quod Spiritus S. sensum à verbis Scripturæ seperant, quæ tamen non separanda & distrahenda, sed coniungenda sunt arctissimè. Spiritus S. in Scripturis & per Scripturas ad nos loquitur, ergo in illis ipsis Scripturæ verbis sonat Spiritus S. vox & sententia, non aliunde inferenda in Scripturam, sed ex ea haurienda atque audienda: quò pertinent omnia illa pronunciata, in quibus *os Domini locutum esse* dicitur, *& sanctos Dei homines à Spiritu S. actos locutos esse* afferitur, vt proinde Scriptura sit θεόπνευστος: imò verò totus Christianismus nititur hoc fundamento, quòd Spiritus S. per Prophetas & Apostolos ea, quæ in Scripturis legimus, annotarit.

22. Nimirum Pontificij proponunt nobis talem Scripturæ ideam, quòd sit quasi sceleton quoddam & statua muta atque mortua, quæ sit priùs animanda per Spiritum in Ecclesia & per Ecclesiam, id est, per Pontificem loquentem. *At viuus sermo Dei & efficax* Hebr. 4. v. 12. & cogitet quilibet, quantum abiit hæc Pontificorum sententia à Suencfeldianismo, qui itidem literam Scripturæ, vt mortuam negligendam esse dicit, & internum Spiritum sequendum.

23. Verba Scripturæ sunt verba Spiritus S. eius ergo mentem nobis exponunt. Eo semper animo ad Scripturarum lectionem accedendum, ac si in illis & per illas loquentem Spiritum sanctum audiamus. Vt enim Pontifex loquitur suis hominibus in Decretalibus, ita nobis Spiritus sanctus loquitur in Scripturæ oraculis. Si quis velit sensum Spiritus sancti à verbis Scripturæ separare, illum etiam oportebit sensum Pontificis separare à verbis Decretalium, & sic nemo hodie nosse poterit, quid sibi voluerint prisci Pontifices. Quinimò hodiernus Pontifex non potest aliter exprimere suam sententiam, quàm per verba: si quis ergo velit excipere, esse quidem hæc verba Pontificis, sed quærendum adhuc de verborum sensu, eundemque aliunde petendum esse, is meritò ridebitur, quia verba sunt sensuũ animi notæ. Perinde igitur absurdi sunt Pontificij, quando verba Scripturæ & sententiam Spiritus sancti disiungunt ac separant, nam ex illis Scripturæ verbis sensus Spiritus S. hauriendus, non aliunde in illa inferendus.

24. Declaremus rem exemplo. Quando Bellarminus & alij scriptores Pontificij conantur ostendere, nos à Patrum doctrina secessionem fecisse, semper solent ingeminare, Ita statuit Hieronymus, ita sentit Augustinus, ita loquitur Ambrosius, &c. Quæro igitur, vnde sciunt hanc fuisse sententiam Hieronymi, Augustini, Ambrosij, &c. vtique ex ipsorum verbis, aliud enim quod respondeãt, non habent: perinde etiam nos dicimus, Ita statuit, ita sentit, ita loquitur Spiritus sanctus: si quærant, vnde sciamus, hanc esse Spiritus sancti mentem, vel si vrgere nos velint, ex Ecclesiæ, Ecclesiæ, Ecclesiæ voce Spiritus S. sententiam hauriendam esse, quid aliud respondere possumus, quàm ex verbis Scripturæ Spiritus S. mentem discendam esse?

25. Quàm ergo primùm conceditur, Scripturam esse θεόπνευστον, Prophetas & Apostolos fuisse Spiritus sancti amanuenses (quod nullus Christianus, qua talis negare potest) statim etiam concedi oportet, Spiritus sancti mentem ex illo libro & illis verbis discendam esse, nec opus esse, vt ex Pontificis Romani pectore demum hauriamus, quæ sit Spiritus S. mens & sententia: *num enim mentis & linguæ artifex disertè loqui non posset*, ait Lactantius. 6. diu. Instit. c. 21. *imò verò summa prouidentia carere fuco voluit ea, quæ diuina sunt, vt omnes intelligerent, quæ ipse omnibus loquebatur.*

26. Idem illud, quod Prophetæ & Apostoli suis auditoribus proposuerunt, idem, inquam, & nihil aliud *in Scripturas Dei voluntate redegerunt*. Iren. lib. 3. aduersus hær. c. 1. Perinde igitur, vt ab auditoribus Prophetarum & Apostolorum percipi potuit, quæ sit Dei voluntas, quæ Spiritus S. mens & sententia, ex ipsorum verbis: ita quoque nos lectores Scriptorum Propheticorum & Apostolorum ex ipsorum libris percipere possumus, quæ Dei sit voluntas, quæ Spiritus S. mens & sententia. Prædicatio & scriptio externa accidentia sunt, quæ rei essentiam non mutant, vt sensuum animi ἀπηκόνισμα est oratio, ita verborum ore prolatorum ἀπεικόνισμα est scriptio, quæ de re disserit Philosophus περὶ ἑρμην. cap. 1. ἔστι μὲν οὖν τὰ ἐν τῇ φωνῇ τῶν ἐν τῇ ψυχῇ παθημάτων σύμβολα καὶ τὰ γραφόμενα τῶν ἐκ τῆ φωνῆ.

27. Quid, quod Pontifex suam promulgaturus sententiam, non semper vtitur suis illis à latere Legatis, qui viua voce eam exponant, sed sæpè mittit tantùm Diplomata, & vt in Curia eius loquuntur, Breuia: qui hęc audit, Pontificis sententiam se audire dicit: ita Spiritus S. non solùm milit olim Prophetas & Apostolos, qui viua voce mentem eius exposuerunt, sed etiam hodie tradit Ecclesiæ scripta Prophetica & Apostolica, in quibus Prophetæ & Apostoli nobis loquuntur, & per illos Spiritus sanctus: qui ergo hæc legit vel audit, Spiritus S. sententiam se cognoscere statuat.

28. Accedamus propiùs. Dicit Papista ex sola Ecclesia, id est, Pontifice discendum, quis sit verus Scripturæ sensus, quæro igitur, vnde hoc Pontificis priuilegium probent? afferunt ibi varios Scripturæ textus ex V. & N. Testamẽto, peculiariter illud Christi, *Tibi dabo claues regni cœlorum, &c. Super hanc petram ædificabo Ecclesiam: rogaui pro te, ne deficiat fides tua, &c.* [vt videre est apud Bellarminum 3. de verbo Dei c. 4. & 5.] quæ hoc sensu ab illis exponuntur, quòd cathedræ Romanæ ac Pontifici super eam sedenti data sit promissio de infallibili Scripturas interpretandi autoritate, quod in illis semper sit assecuturus Spiritus S. genuinam sententiam: Quid si de illa interpretatione dictorum Scripturæ dubitem, an hoc sensu ea sint accipienda? quò me deducet Pontificius? vtique ad scrinium Papalis pectoris. Egregia verò confirmatio! Papæ competit hoc non errandi priuilegium, quia Scripturæ loca ita interpretatur, vt sibi illud competere ostendat, & loca illa Scripturæ ita sunt intelligenda, quia Papa ita intelligi voluit.

29. Quem verò ex Patribus ita vides Scripturas interpretari: hæc explicatio est vera & genuina, quia Papa Romanus eam proposuit? & cur Iesuitæ hodie videri volunt, quòd operosè ex Scripturis disputent,

consulendo fontes, conferendo loca, &c. Compendio tota res finiri poterit, si dicant: hi articuli sunt credendi, & Scriptura hoc modo exponenda, quia Papa ita definiuit. Nimirum Papa cunctator est in suo officio, dudum omninò debuisset interpretationem quandam Scripturæ vel Lyrani vel alterius facere authenticam, aliàs quomodo sciri poterit, quæ sit propriè Romani Pontificis Interpretatio?

30. Magnum certè in Scripturis interpretandis priuilegium sibi tribuit ac tribui patitur Romanus Pontifex, sed ostendat nobis priuilegij istius tabulas ac sigilla, diuina inquam oracula: fortè reperiri poterunt, *si membrana, in qua donatio Constantini perscripta, pars exterior accuratiùs inspiciatur*, vt olim à Venetis in casu dissimili est monitus, teste Camer. parte 1. medit. histor. c. 61.

31. Quæ pro confirmando illo priuilegio ex Scripturis hodie producunt Iesuitæ, nimis longè sunt petita, & semper τὸ ἐν ἀρχῇ λαμβάνειν, vel enim de summo Pontifice Veteris Testamenti, vel de Ecclesia in genere, vel de Petro agunt, nullum autem proferri potest testimonium, in quo disertè fiat Pontificis mentio. *At in tenore priuilegiorum perspicuè & expressè fieri debet mentio illius, cui talia conceduntur*, ita enim docent ICti. Specialis istorum locorum tractatio, quæ in hoc argumento proponunt Iesuitæ, pertinet ad articulum fidei Romanensis de Pontifice.

FREE CHURCH OF SCOTLAND COLLEGE LIBRARY EDINBURGH

32. Videamus insuper, quomodo magno isto priuilegio [si quod vnquam ipsi concessum] Pontifex sit vsus, & quàm dextrè Scripturas fuerit interpretatus, docent enim ICti, *beneficia per priuilegium concessa, abusu amitti*. Thema est in Decretis Pontificum satis tritum: Episcopos & Sacerdotes non esse accusandos aut damnandos à Principe & Iudice seculari. Id Clemens Epist. 1. probat ex eo, quia Paulus dicit, *Pro minimo nobis esse debet, vt à talib. arguamur vel ab humano die.* Anacletus. Epist. 1. 2. 3. probat ex eo, quia Christus dicit, *Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei*: quia Petrus scribit, *Deus resistit superbis, humilibus autem dat gratiam: quia Iohannes monet*, ne omni Spiritui credamus: *quia Paulus pronunciat*, vnusquisque pro se rationem reddet: *quia Dominus non per alium*, sed ipse Sacerdotes ementes & vendentes flagello è templo eiecit: *quia dictum à Regio Psalte*, Deus stetit in Synagoga Deorum, *& dixit*, Dij estis & filij Excelsi omnes: *quia Paulus quarit*, Tu quis es, qui iudicas seruum alienum? *Telesphorus inde probat*, quia Dominus negat, discipulum esse supra Magistrum.

Clemens. *Anacletus.*

33. Ita Siricius Epist. 4. & Innocentius Epist. 3. probare cupiunt, Sacerdotum coniugia esse illicita, quia scriptum sit, *Sancti estote, quoniam & ego sanctus sum: Qui in carne sunt, Deo placere non possunt: Si Sacerdos contaminatus fuerit carnali concupiscentia, quo pudore sacrificabit, vel qua conscientia, quove merito exaudiri se credit, cùm scriptum sit*, Omnia munda mundis, *coinquinatis autem & infidelibus nihil est mundum?* Vide c. Decernimus dist. 28. c. proposuisti. dist. 82. c. Tenere dist. 31. &c. ac tom. 1. Conc. f. 422.

Siricius. *Innocentius.*

34. Ecclesiam Romanam obtinuisse à Domino primatum & eminentiam potestatis super vniuersas Ecclesias ac totius populi Christiani gregem, ex eo probat Anacletus, *quia Petro Christus dixerit*, Tu es Petrus, & super hanc petram, *id est, Romanam sedem* ædificabo Ecclesiam vniuersam: *quia Paulus dicat*, se sine intermissione memoriam facere Romanæ Ecclesiæ in suis orationibus: *quia Petro à Domino sit concessum, vt reliquis præesset Apostolis & Cephas, id est, caput & principium teneret Apostolatus.*

Primatum Rom. Ecclesiæ quomodo probet Anacletus.

35. Sic solitæ extra de maiorit. & obed. [quod Glossa dicit, *esse multùm allegabile*] probare vult Innocentius III. *Imperium teneri obedire Sacerdotio, quia dictum sit Sacerdoti*, Ecce constitui te super gentes & regna vt euellas & dissipes, ædifices & plantes: *Item*, Quia Deus fecerit duo luminaria magna in firmamento cœli, *id est, duas in Ecclesia instituerit dignitates, quæ sunt Pontificalis autoritas & Regalis potestas: sed quanta est inter Solem & Lunam, tantam esse inter Pontifices & Reges differentiam.*

Innocent.

36. Sic in famoso illo cap. [vt vocant Interpp.] Vnam sanctam. eod. Bonifacius VIII. Ita Scripturas interpretatur. *Dicentibus Apostolis*, Ecce duo gladij hîc, *in Ecclesia scilicet, non respondit Dominus, nimis est, sed satis. Ergo in Ecclesia sunt duo gladij, spiritualis videl. & temporalis.* Item Conuerte gladium tuum, *inquit Dominus Petro*, in vaginam. *Ergo in potestate Petri est temporalis gladius.*

Bonifacius VIII.

Talia quam plurima ex Pontificum Decretalibus possunt colligi, in quibus non interpretantur Scripturas, sed deprædantur; non exponunt eas, sed per eas hominibus imponunt, sicque ipso facto ostendunt, se priuilegio interpretandi authenticè abusos esse pessimè, & sic per abusum illud amisisse, si vel maximè tale quid concessum foret.

37. Quæ verò hæc est ἀκυρολογίαν & prodigiosa licentia, quod Ecclesiæ nomine intelligunt solùm Pontificem? num vnus homo est Ecclesia? quam huius rei probationem ex Scripturis proferre poterunt? Sit ex hypothesi Pontifex Christi Vicarius, sit Petri Successor, sit Ecclesiæ caput, non tamen propterea solus Ecclesiæ nomine intelligendus. Et quàm pernicioſæ fraudes sunt, honorabili Ecclesiæ pallio Romanam illam Simiam indutam producere, adeò vt omne, quod in Scripturis de Ecclesia dicitur, vel ad solum Pontificem, vel certè καθ' ἐξοχὴν ad ipsum solum referatur! cur vtuntur ambagibus istis, Ecclesiam nominent, & tamen solum Pontificem intelligant?

38. Quinimò si Pontifex summus & authenticus Scripturarum est Interpres, sequetur immediatam & infallibilem Spiritus sancti assistentiam ipsi assignandam esse, & sic consequenter Decreta & Interpretationes eius erunt Propheticis & Apostolicis literis exæquandæ: quicquid enim ex immediata Spiritus sancti inspiratione profertur, Propheticis & Apostolicis effatis æquipollet.

39. Quidni ergo cum ementitis illis Gabrielis Alexandrini Patriarchæ Legatis tales Pontifici offerimus literas, in quibus hîc præfixus titulus: *Patri patrum, Principi Patriarcharum, Decimo tertio Apostolo, Quinto Euangelistæ, S. Petri successori?* Suscitab. part. 1. c. 16. ex Dousa. Quidni ipsi acclamamus quod in hodierno Bernhardo legimus 2. de consid. ad Eug. col. 1023. *Tu Princeps Episcoporum, tu heres Apostolorum, tu primatu Abel, gubernatu Noë, Patriarchatu Abraham, ordine Melchisedec, dignitate Aaron, autoritate Moses, iudicatu Samuel, potestate Petrus, vnctione Christus.* Quidni cum Gratiano concludimus c. In Canonicis. dist. 19. *Epistolas Pontificum decretales numerari debere inter Scripturas Canonicas. quam sententiam* Gratianus per crimen falsi tribuit Augustino, quasi tale quid docear 2. de doctr. Christ. c. 8. cùm Augustino hoc in mentem non venerit. Bellarm. 2. de Conc. cap. 12. Gratiani crimen agnoscit, interim tamen ita emollit, vt dicat *cum deprauato Augustini codice deceptum esse & dici posse scripta sacra & Canonica.* Quidni cum Angelo Politian. ex orat. pro Senen. ita alloquimur Pontificem,

Ementita Pontificia autoritas.

Gratu-

Gratulamur tibi, Beatissime Pater, quod ad rerum humanarum fastigium subuectus, imo ad diuinitatem ipsam plane sublatus: omnia præter Deum minora, inferioraque te videas, sic vt Rege setiam ipsi & Principes adorare submissi vestigia tua, & pulverem pedem tuorum lingere non dedignentur, sed loco etiam præclari muneris concupiscant.

40. Solenne est Scriptoribus Pontificiis, ea quæ de Summo Sacerdote V.T Scriptura pronunciat, ad Romanum Pontificem transferre: non iam disputo quo iure, cùm in V.T. à Deo ipso nouerimus constitutum summum aliquem Sacerdotem, vt esset typus Christi, docente Epistola ad Hebræos, sed in N. T. nullum alium præter Christum summum Pontificem & Ἀρχιερέα agnoscamus: hac de re, vti dixi, iam non disputo, sed hoc quæro. Num authentica & absoluta iudicandi & Scripturas interpretandi autoritas Vet. T. Pontifici fuerit data? minime vero, quia norma iudicij constituitur lex diuina; Deut. 17.v.11. nec, ipsi soli autoritas tali vendicatur, sed in eiusdem consortium vocatur Iudex v.12. Vt ergo Iudex Politicus non debebat à norma legum forensium in ferendo iudicio de causis politicis recedere, ita quoque Sacerdos non debebat à norma legum moralium & Ceremonialium in ferendo iudicio de rebus Ecclesiasticis abire. Caiet. Cardin. in hunc loc. *Interpres mutauit, nam in Hebræo habetur vel iudici, vbi prudens lector aduerte, quod definitio ambiguæ causæ non ab vno, sed à multis Sacerdotibus & iudice describitur: præcipere executionem attribuitur vel Pontifici vel Iudici, &c.* Hieron. ab Oleastro in hunc loc. *Non est iudicibus liberum iudicare vt volunt, sed iuxta leges: & illis parendum, cùm secundùm eas iudicauerint.*

41. Vbi vero legimus doctrinam, quam prædicabant Prophetæ & Apostoli, à piis ipsorum auditoribus ad sententiam summi Sacerdotis examinatam, aut examinari mandatam? Esaias c.56.v.10. conqueritur: *Speculatores eius cæci omnes, nescierunt vniuersi.* Ieremias exclamat cap.6.vers.13. *A Propheta vsque ad Sacerdotem omnes faciunt mendacium.* Ezechiel queritur c.7.v.6. *Lex peribit à Sacerdote, & Consilium à Senioribus.* Liber legis diuinæ aliquando in tali habebatur precio, *vt diu amissus tandem sub Iosia iterum reperiretur.* 2. Reg. 23.v.2. Malachias c.2.v.7. ius & factum coniungit. *Labia Sacerdotis custodiunt scientiam & legem requirunt ex ore eius* [hoc de iure:] sed v.8 *Vos autem recessistis de via, offendiculo fuistis multis in lege, corruptistis pactum Leui, dicit Iehovah exercituum* [hoc de facto.] Egregij vero hi fuissent prædicationis Propheticæ Interpp. si populus eorum sententiam perrogasset!

42. Sic tempore Christi & Apostolorum summi Sacerdotes ac totus procerum Ecclesiasticorum Senatus doctrinam Christi & Apostolorum damnabat, vt ex Euangelicæ Historiæ digestis constat, quales ergo fuissent doctrinæ Apostolicæ interpretes, si populus eos consuluisset? Quia ergo eadem quæ prædicarunt Prophetæ & Apostoli, in Scripturas postea redegerunt, inde concludimus: Si summo V.T. Pontifici à Deo ipso in gradum illum sublimitatis euecto non competebat authentica quædam & absoluta de vero sensu Propheticæ & Apostolicæ prædicationis iudicandi potestas: multo minus Romano Papæ talis potestas competet, qua de vero sensu doctrinæ in scriptis Propheticis & Apostolicis comprehensæ absolute authenticum & simpliciter infallibile iudicium ferre possit.

43. Ad legem & ad testimonium prouocabant Prophetæ Es. 8.v.20. *ad Scripturas perscrutandas* auditores suos inuitabat Christus Ioh.5.v.39. *ad Mosen & Prophetas* consulendos hortabantur Apostoli, extra quos se nihil dicere protestabantur. Act. 26.v.12. & à Spiritu S. commendantur Berhoënses, *quod Scripturas quotidie fuerint scrutati, perquirentes an Pauli & Silæ prædicatio cum illis congrueret.* Act. 17.v.11.

44. Christus quidem Mat. 23.v.3. seruanda & facienda esse dicit, *quæcunque super cathedram Mosis sedentes Scribæ & Pharisæi dixerint*: sed ne quis absolutum aliquod iudicandi & Scripturas interpretandi priuilegium ipsis tribui arbitretur, ideò alibi Matt. 5. 6.7. & hoc ipso 23. capp. falsa ipsorum dogmata, *quibus claudebant hominib. cælorum fores*, magna παῤῥησίᾳ taxat. & c.16.v.6. *à fermento Pharisæorum & Sadducæorum cauere* monet, hoc est, *à prava ipsorum doctrina*, vt diserte exponitur v.12. Verba igitur illa, Super cathedram Mosis sedent Scribæ & Pharisæi, quæcunque dixerint vobis, seruate & facite, reduplicatiuè sunt accipienda, quatenus scilicet sedent super cathedram Mosis, id est, quatenus ea docent quę cum doctrina Mosis consentiunt, quod si ex *cathedra pestilentia* quædam docent, & sinceritatem doctrinæ Mosaicæ fermento priuatarum opinionum corrumpunt, eatenus non sunt audiendi. Biel. 4. sent. dist. 1. q. 4 art. 3. *Non licet spernere consilium Prælati, quod verum est, nisi contra legem diuinam dixerit, quia sic præcipiendo non sedet super cathedram Mosis, non enim hæc procedunt de cathedra, id est, doctrina Mosis, sed de cathedra pestilentia.* Wesselus, qui vixit circa Annum 1455. *Oportet Prælatorum præceptæ tamdiu obseruare, quamdiu in cathedra Mosis sedentes secundùm Mosen docent, & si quid contra vel extra statuunt, non ligamur, Dei enim serui sumus non Papæ.*

Exponitur Illud Christi. Super cathedram Mosis sedēt Scribæ, &c.

Biel.

VVesselus.

45. Redigamus in compendium, quid in sententia Pontificiorum de vera Scripturæ Interpretatione desideremus. 1. Spiritus sancti sententiam à verbis Scripturæ separant, quasi aliunde Spiritus sancti sententia, quam ex verbis Scripturæ sit petenda. 2. Scripturam constituunt literam mortuā spiritu Ecclesiæ animandā 3. Constituūt reale discrimē inter id, quod prædicarunt Prophetæ ac Apostoli, & inter id, quod in Scripturas postea redegerunt, quasi prædicatio ipsorum potuerit intelligi, non autem eorum scripta absque interpretatione aliunde hauriēda. 4. Nomine Ecclesiæ intelligunt vnum Pontificem. 5. Authenticum illud interpretationis priuilegium tribuunt Pontifici ἄπαξ γραφῆς. 6. Coguntur absurdissimas Scripturæ interpretationes & accōmodationes recipere, quas in decretis Pontificum legimus. 7. Tribuunt Pontifici suo prærogatiuam solis Prophetis & Apostolis debitam. 8. Tribuunt illi tale quid, quod nec V. T. summo Sacerdoti à DEO ipso constituto competiit. 9. Deniq; coguntur vltimam fidei suæ resolutionem facere in scriniū Papalis pectoris: quam autem illud sit quandoque impurum, testantur Historiæ, in quibus dicta & facta Pontificum annotata. Matth. 12. v. 33. Ex abundantia cordis os loquitur.

Ἀναπολαλύσις argumentorū contra Pontificiorum de Scriptura interpretatione sententiam.

CAPVT IV.

Nostram de Interpretatione Scripturæ sententiam explicat.

Vera Scripturæ interpretatio petenda ex solo verbo Dei.

46. Vnde ergo, inquis, certi esse possumus de vera Scripturæ Interpretatione? num priuatus Spiritus in Scripturis interpretandis sequendus: an non fateri cogeris, Scripturam esse in quibusdam locis obscu-

ram & egere interpretatione? vnde illa haurienda est? an non satius est soli Ecclesiæ hanc autoritatem interpretandi vindicare, quàm cuilibet priuato suum Spirituum sequendi licentiam cõcedere? an non verissime ab Hieronymo dictum super 1. Gal. *Ne putemus in verbis Scripturarum esse Euangelium, sed in sensu; non in superficie, sed in medulla; non in sermonum foliis, sed in radice rationis*; vnde ergo sensus ille hauriendus? *Scriptura non potest dicere, quis sit verus suus sensus*, ait Bellar. 3. de verb. Dei c.9. *Scriptura non potest seipsam interpretari, omnes hæretici prouocant ad Scripturas, omnes iactant Spiritum*: Hæc & similia speciose ingeminant Pontificij, quibus respondemus hoc modo.

47. Omnis notitia versatur inter rem cognoscendam & intellectum cognoscentem, *quia intellectio est speciei ab obiecto cognoscendo abstracta in intellectum receptio, cui succedit intellectus agentis actio*, prout hac de re disputat Scalig. exerc. 307. sect. 11. Requiritur igitur inter intellectum cognoscentem, & rem cognoscendam adæquatio, perinde vt in visione, quæ est intellectionis quasi vmbra & παράδειγμα.

48. *Quia ergo mysteria fidei in Scripturis proposita*, sunt diuina, ex immediata Dei reuelatione profecta, ideo intellectus nostri per peccatum miserè corrupti sphæram, vt ita loquar, excedunt, *animalis enim homo non percipit, quæ sunt Spiritus Dei: Stultitia est illi, & non potest intelligere* 1. Cor. 2. v. 14. proinde præter natiuas intellectus nostri vires & primæuas, vt ita loquar, opes, requiritur diuini luminis irradiatio, alias mysteria in Scripturis proposita erunt liber clausus & signatus.

Ad quod requiritur Spiritus S. illuminatio. Lutherus.

49. Hinc D. Lutherus lib. de seru. arbitr. Tom. 3. Ien. pag. 167. dicit, *ne vnum quidem Iota in Scripturis perspicuum esse sine Spiritus sancti luce, omnia enim hac ratione & hoc respectu carni & acumini hominis obscura esse. Relictum quidem rationi nostræ lumen, quo in cognoscendis atque indagandis rebus terrenis, disciplinis Philosophicis & parte quadam legis diuinæ exteriora delicta arguente vti potest, sed ad diuina mysteria in Scripturis cognoscenda planè cæca est, imò etiamsi exterius proponantur, tamen salutarem & solidam eorum notitiam absque interna Spiritus sancti collustratione & lumine habere nequit*, ex quo fonte distinctio inter notitiam literæ & spiritus promanauit.

Preces itaq; sunt necessaria.

50. Diuinum hoc & supernaturale Spiritus S. lument vt impetremus, preces sunt necessariæ, *datur enim Spiritus S. petentibus* Luc. 11. v. 3. *Filius, qui est in sinu Patris, reuelat nobis salutis nostræ mysteria.* Io. 1. v. 18. vicissim, *nemo venit ad Filium, nisi Pater ipsum trahat*, Io. 6. v. 44. Orandus ergo Pater, vt trahat nos ad Filium: orandus Filius, vt manifestet nobis Patrem. *Vnctio est, quæ docet de omnibus*, 1. Io. 2. v. 27. *Spiritus est, qui qui ducit in omnem veritatem* Ioh. 16. v. 13. Orandus ergo Spiritus S. vt ipse scribat in corda nostra & obsignet ea, quæ exterius in verbo proponuntur.

51. Hæc Spiritus S. collustratio necessaria est ad totam Scripturam, & quamlibet eius partem *salutariter* cognoscendam & interpretandam, vnde ad collustrationem illam diuini luminis impetrandam, quibusvis sacrarum Literarum Lectoribus & Interpretibus preces sunt necessariæ, & quidem seriæ. Psal. 119. v. 10. *Domine, ne errare sinas me à mandatis tuis.* v. 12. 26. 64. 68. 124. *Doce me iustificationes tuas.* v. 18. *Reuela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua.* v. 73. 125. *Da mihi intellectum, vt discam mandata tua*, &c.

Ireneus.

52. Nouerunt hoc pij Veteres. Iren. lib. 4. c. 14. *Sine Deo non cognoscitur Deus*, id quod Poëta Christianus sic expressit:

Desine, cur videat nemo sine Numine Numen,
Mirari, Solem quis sine Sole videt?

Origen. homil. 17. in Exod. *Supplicandum Domino, vt ipse accipiens librum signatum dignetur aperire, ipse enim est, qui aperit mentes, vt intelligantur Scripturæ.* Hieron. ad Pammach. itidem Scripturam *dicit esse librum signatum, quem nullus aperire posset, eiusque mysteria reserare, nisi Leo de tribu Iuda: orandus ergo Dominus, & cum Petro dicendum*: Edissere nobis parabolam istam. Theophyl. super. 10. Ioh. ἐτοῖ ἐν πνεύματι ἀγίῳ νοήσεναι ἢ ἀνοιγόμεναι αἱ γραφαὶ δεικνύουσιν ἡμῖν τὸν χειστὸν, εἰποτως θυρωρὸς τὸ πνεῦμα ἅγιον. *Origenes.*

53. Referemus huc pulcerrimam orationem Augustini, quæ extat 11. Confess. c. 2. *Domine Deus meus intende orationi meæ, & misericordia tua exaudiat desiderium meum. Sint castæ delitiæ meæ Scripturæ tuæ, nec fallar in eis, nec fallam ex eis. Domine attende & miserere mei. Domine Deus meus lux cæcorum, & virtus infirmorum, sed tamque lux videntium & virtus fortium, attende animã meam & audi clamantem de profundo. Nam nisi adsint & in profundo aures tuæ, quò ibimus? quò clamabimus? tuus est dies & tua est nox: ad nutum tuum momenta transuolant. Largire inde spacium meditationibus nostris in abdita legis tuæ, neque aduersus pulsantes claudas eam: neque enim frustra scribi voluisti tot paginarum opaca secreta. Vide Pater, aspice & vide & approba, & placeat in conspectu misericordiæ tuæ inuenire me gratiam ante te, vt aperiantur pulsanti mihi interiora sermonum tuorum. Obsecro per Dominum nostrum Iesum Christum, Filium tuum, per eum te obsecro, qui sedet ad dextram tuam & interpellat pro nobis, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ absconditi, ipsum quæro in libris tuis, Moses de illo scripsit, hoc ipse ait, hoc veritas ait.* *Augustini oratio.*

54. Ceterùm, quòd de Spiritus sancti illuminatione in Scriptis pernoscendis necessaria diximus hactenus, illud primariò & potissimum de mysteriis fidei in Scriptura propositis intellectum volumus. Etsi enim quædam in Scripturis ita comparata sunt, vt intellectus humani captum non excedant, verbi gratia, exterior Historiarum cortex: tamen ad fidei mysteria solide ac salutariter cognoscenda absque Spiritus S. irradiatione non potest mens humana natiui luminis vi assurgere. Possunt quidem nondum à Spiritu sancto collustrati cognita habere Scripturarum dogmata, fidemque historicam tenere per externum verbi ministerium, at πληροφορίαν certam, solidam ac salutarem notitiam habere non possunt sine Spiritu sancto interiùs mentes illuminante.

Necessitas illuminationis S. S. non arguit Scripturæ obscuritatem.

55. Hæc illuminationis à Spiritu S. petendæ necessitas propter intellectus nostri tenebras requiritur: non autem Scripturas in mysteriis fidei proponendis obscuras esse arguit: ἀπαιδεύτως igitur agunt Bellarminus & alij scriptores Pontificij, qui ex hoc fundamento suam de obscuritate Scripturarum sententiam probare satagunt: Oculi cæcorum ne lucidissima quidem obiecta, adeoque nec ipsum Solem perspiciunt, quis verò propterea tenebras Soli tribuere velit? Sic intellectus noster adeò tenebricosus est, vt fidei mysteria verbis claris & perspicuis in Scriptura proposita non percipiat, quis verò propterea ipsi Scripturæ tenebras hasce tribuere velit?

Scriptura perspicuitas.

56. *Quinimò tantum abest*, vt Scripturis diuinis propterea tenebras assignari patiamur, vt potius lucem, & sic vim illuminandi intellectum nostrum illis tribuendam esse contendamus, quia Spiritus sanctus per istam Scripturam mentem nostram illuminat, quod comprobant omnia illa pronunciata, in quibus verbum Dei in Scripturis propositum confertur luci, cuius proprium est illuminare. Psal. 19. v. 9.

v. 9. *Mandatum Domini lucidum.* Psalm. 119. vers. 105. *Lucerna pedibus meis verbum tuum & lumen semitis meis.* Prouerb. 6. versicul. 23. *Mandatum lucerna est, & lex lux.* 2. Pet. 1. versicul. 19. λόγος προφητικὸς est λύχνος φαίνων ἐν αὐχμηρῷ τόπῳ: Sicut lux naturalis pellit tenebras: ita per Scripturæ lucem intellectus nostri spirituales tenebræ illuminantur: vnde etiam φωτισμὸς Dei verbo tribuitur 2. Cor. 4. v. 4.

57. Dicimus igitur, requiri lucem Spiritus sanctus ad salutarem diuinorum oraculorum intellectum, sed addimus per diligentem verbi tractationem, Spiritum sanctum velle in nobis istam lucem accendere. Non ergo cogitandum est, prius à Spiritu sancto immediatam è supernis illuminationem expectandam esse, quam ad Scripturas legendas, meditandas & perscrutandas accedamus: sed in Scripturis, & per Scripturas, lux illa Spiritus sancti quærenda & impetranda, vnde D. Petrus dicebat, *attendendum esse sermoni Prophetico quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco, donec dies (agnitionis diuinæ) illucescat, & Lucifer* [Christus, stella illa matutina Apocal. 12. versic. 16.] *in cordibus nostris oriatur.*

58. Nimirum ea, quæ ad salutem cuiuis scitu sunt necessaria, verbis propriis, claris & perspicuis in Scriptura proponuntur, vt suo loco ostendimus, ad illa igitur intelligenda & interpretanda non requiritur externum quoddam lumen, aut interpretatio longe petita, sed ipse Spiritus sanctus lucide & perspicue in illis loquitur, & pecatiuas intellectus nostri tenebras vult dispellere.

59. Perinde igitur, vt clarissimum Solis iubar res in clara luce collocat: ita per hanc Scripturæ lucem natiua mentis nostræ cæcitas pellitur. Præter illam ἔμφυτον τῇ σύμφυτον mentis nostræ caliginem, est insuper alia quorundam ὕπνωτος cæcitas; qua lucem illam Spiritus sancti repudiant, sponte ab ea oculos auertunt, perinde ac si quis oculos suos Solis lumine collustrandos vel collustratos sponte ac scienter claudat. De hac cæcitate igitur Esai. 9. versicul. 10. *Claude oculos populi huius, &c.*

Ὕπνωτος quorundam cæcitas.

60. Ex hac impiorum excæcatione & indurationе itidem non est colligendum, Scripturas in fidei mysteriis edocendis obscuras esse, & externo lumine indigere, perinde vt non licet colligere: quidam oculos suos claudunt, ne Solis lux illis appareat. Ergo ad Solis lucem intuendam requiritur alia insuper irradiatio. 2. Corinth. 4. versic. 3. *Si opertum est Euangelium nostrum, in his qui pereunt, opertum est.* versic. 4. *In quibus Deus seculi huius excæcauit mentes infidelium, ne irradiet eos lumen Euangelij gloriæ Christi.*

Regula fidei

61. Ex perspicuis illis Scripturæ locis colligitur *regula fidei*, quæ est summa quædam cœlestis doctrinæ ex apertissimis Scripturæ locis collecta. Partes eius duæ sunt: prior de fide, cuius capita præcipua exponuntur in Symbolo Apostolico: posterior de caritate, cuius summam explicat Decalogus 2. Timoth. 1. versic. 13. ὑποτύπωσιν ἔχε *sanorum verborum, quæ à me audisti in fide & dilectione in Christo Iesu.*

62. Quæcunque ergo necessaria, *manifesta sunt in sacris literis*, ait Chrysostom. hom. 3. super 2. Thessal. Si quæ in illis sunt obscuriora, illorum cognitio non est perinde ad salutem omnibus necessaria, ac proinde etiamsi propriam & genuinam eorum interpretationem non semper assequamur, sufficit tamen in illis interpretandis nihil proferre, quod fidei regulæ aduersetur. Roman. 12. versicul. 6. Prophetia (*instituenda*) κατ' ἀναλογίαν τῆς πίστεως.

63. Cauendum igitur, ne in obscuriorum locorum interpretatione quicquam proferatur, quod pugnet cum constanti & perpetua sententia, quæ de vnoquoque doctrinæ cœlestis capite verbis perspicuis in Scriptura comprehensa est. Tota enim Scriptura est θεόπνευστος, proinde omnia in ea sunt συμφωνα, nihil hîc contrarium, nihil repugnans aut secum dissidens.

64. Obscuriora illa Scripturæ loca talia sunt vel per se & seorsum sumta, vel cum aliis collata. Multa enim per se & seorsum considerata satis perspicua, quæ tamen cum aliis Scripturæ pronunciatis pugnare videntur. Etsi enim nulla insit Scripturis vera contrarietas, tamen apparens locorum contrarietas obscuritatem quandam illis conciliat: ἐναντιωσιν à Scriptura remouemus, ἐναντιοφάνειαν quorundam locorum negare non possumus. Sic satis perspicuum est, quod Dominus dicit Ezech. 18. versicul. 20. *Filius non portabit iniquitatem Patris:* sed obscuritas quædam illi conciliatur ex loco Exod. 20. versicul. 5. *Ego Iehouah Deus zelotes, visitans iniquitatem Patrum super filios in tertiam & quartam generationem.* Huic obscuritati medelam affert locorum conciliatio ex circumstantiis eorum haurienda, & fidei analogiæ conformanda. *Remedia & fontes obscuritatis.*

65. Quæ per se & seorsum sumta obscura sunt, talia vel sunt propter res, vel propter verba. Est enim rerum & verborum tanquam signati & signorum perpetuus nexus, ac proinde si res sunt obscuræ, conciliatur orationi vel scripto obscuritas, etiamsi verba sint perspicua: vicissim si verba sunt obscura, conciliatur itidem orationi vel scripto obscuritas, etiamsi res sint notæ & perspicuæ. *Alia per se & seorsum sumta.*

66. *Obscuritati rerum medelam affert Spiritus sancti illuminatio*, siquidem absque ea articuli fidei manent obscuri, & sunt liber clausus ac signatus. Et quia res seu mysteria fidei dupliciter in Scripturis proponuntur, alibi Catechetice, id est breuiter, simpliciter & generaliter [qui docendi modus appellatur *lac*, 1. Corinth. 3. versic. 2. Hebr. 5. versic. 12. 13.] alibi copiosè, luculenter & specialiter [qui docendi modus appellatur *cibus solidus*] In schola Aristotelis diceretur acroamatica tractatio, prior autem exoterica: ideò non mediocriter confert ad amoliendam hanc ex rebus natam obscuritatem, tenere in quouis articulo certa quædam axiomata, ad quæ tanquam ad Cynosuram semper respiciamus, ne quid contra ea in Scripturæ interpretatione referamus. *Obscuritas rerum.*

97. *Obscuritas illa, quæ per verba Scripturæ conciliatur*, duplex est: alia enim ex verbis sigillatim sumtis, alia ex illis non coniunctis nascitur. Vt enim ad orationem vel scriptum quoddam [quæ hac in parte sunt æquipollentia] non sufficiunt verba seorsum sumta, sed consungenda illa sunt atque aptè connectenda, vt fiant enunciationes, ita quoque ad orationem vel scriptum quoddam intelligendum requiritur non solùm verba seorsum sumta intelligere, sed eadem coniunctim sumta etiam oportet intelligi. *Verborum.*

68. Obscuritas ex verbis seorsum sumtis nata duplex est, verba n. sũt vel propria vel figurata. Propriis verbis intelligendis & interpretandis inseruit Grammatica vocum expositio, & emphasium obseruatio: hîc autem quiuis accurati Scripturæ Interpretes de- *Seorsum sumtorum.*

prehendent, si diligenter obseruetu, vbi eadem vox in aliis Scripturæ locis vsurpetur, huius collationis & obseruationis esse vsum longe maximum. Siue enim in eadem, siue in alia significatione vox illa vsurpetur, semper hæc obseruare est ex re studij Theologici & fidi Scripturarum Interpretis. Troporum & figurarum expositioni inseruit Rhetorica.

69. Vtitur Scriptura metaphoris & parabolis, quæ cum ex intimis Naturæ penetralibus sint petitæ, maximopere prodest ad illas exponendas rerum naturalium cognitio. Quis enim dextre interpretabitur illas Saluatoris parabolas de fermento, zizaniis, grano sinapis, vinea, &c. nisi proprietates eorum naturales exacte vel ad minimum populariter perspectas habuerit?

Coniunctorũ 70. Si quam verba coniuncta obscuritatem Scripturæ conciliant, ea nascitur vel ex phrasi, vel ex tota orationis habitu. Phrasibus Scripturæ cognoscendis non solùm Grammatica, sed vel maximè prudens & diligens locorum Scripturæ collatio inseruit. Toti contextui recte cognoscendo inseruit obseruatio ordinis & circumstantiarum. Ad obseruationem ordinis pertinet Dialectica obseruatio scopi & membrorũ in Oratione. Circumstantiæ variæ sunt, quas ad hæc capita referre possumus: Persona, Occasio, [causa, consilium] Tempus, Locus, Modus, [Instrumentum.] Hæc omnia possunt vlterius subdiuidi. Circa personam enim consideranda, Quis loquatur, ad quem, de quo, coram quo, &c.

Αυτοσφαλείους prædictorum de vera Scripturæ interpretatione.

71. Redigamus in compendium, quid de vera Scripturæ interpretatione statuamus. 1. In cognoscendis & interpretandis Scripturis mens nostra est cæca absque Spiritus sancti lumine. 2. Præter hanc natiuam omnium nostrum cæcitatem, quidam propria malitia & præfracta petulantia excæcantur, quorum oculos Spiritus sanctus vel aperuit, vel aperire voluit: ipsi autem eidem contumaciter resistunt: sed neutra cæcicas efficit aut euincit, Scripturas esse obscuras. 3. Quia mens nostra cæca, ideo per preces implorandum Spiritus S. lumen. 4. Illam vero mentis illuminationem Spiritus sanctus confert non immediate, sed per verbi auditi & meditati lucem. 5. Si quidem dogmata cuiuis ad salutem scitu necessaria, verbis propriis, claris & perspicuis in Scriptura proponuntur. 6. Ex illis lucem sortiuntur reliqua Scripturæ loca. 7. Etenim ex perspicuis Scripturæ locis colligitur regula fidei, ad quam reliquorum expositio conformanda. 8. Ac si vel maxime proprium & genuinum omnium locorum sensum non assequamur, tamen sufficit nihil contra fidei ἀναλογίαν in illis interpretandis proferre. 9. Vtile tamen est, etiam obscuriora illa Scripturæ loca recte & dextre interpretari, id quod fiet, si conuenientia amoliendis obscuritatibus adhibeamus remedia. 10. Vt remedia illa inueniamus, quærendi sunt obscuritatis fontes. 11. Quædam Scripturæ loca obscura sunt per se, & seorsum considerata, quædam cum aliis collata. nimirum si cum aliis locis pugnare videantur, huic obscuritati medetur locorum conciliatio. 12. Quæ per se & seorsum obscura sunt, talia deprehenduntur vel propter res, vel propter verba. Obscuritati rerum medelam afferunt certa quædam axiomata in singulis fidei articulis, quæ instar cynosuræ obseruanda. 13. Obscuritati verborum inseruiunt Grammatica vocum enodatio, Rhetorica troporum & figurarum expositio, Dialectica ordinis & circumstantiarum obseruatio, denique Physica rerum naturalium cognitio, quin etiam maximum præbebit in his omnibus adiumentum prudens & diligens locorum Scripturæ collatio, vbi vel eædem voces & phrases, vel diuersæ ad res easdem vel diuersas exprimendas adhibeantur.

72. Hæc in genere dicta sint de mediis, quæ ad legitimam Scripturæ Interpretationem requirimus. Summum & authenticum Scripturæ Interpretem dicimus esse Spiritum sanctum qui dogmata fidei ad salutem cuiuis scitu necessaria verbis propriis & perspicuis in Scriptura proponit; ad eorum vero, quę præter hæc in Scripturis sunt obscuriora, dextram interpretationem requirimus preces; linguarum, quibus vsi sunt Spiritus sancti amanuenses, cognitionem, ordinis circumstantiarum in quouis loco obseruationem, prudentiam & diligentem locorum collationem, imprimis autem fidei regulam sedulo attendendam dicimus, ne quid contra eam in obscuriorum interpretatione proferatur.

CAPVT V.

De mediis Interpretationis, quæ Pontificij proponunt.

73. De his omnibus in specie postea agemus pluribus, vbi prius exposuerimus, quænam media Pontificij nobis proponant. Illi enim, vt in locum summi & authentici Interpretis constituunt suum Pontificem, ita etiam alia media substituunt, quibus in Scripturarum interpretatione vti debeamus. Egit hac de re satis prolixe Stapleton. libr. 11. princip. fidei, & in eorundem relectione controu. 6. quem audiamus. *Media interpretationis Pontificiorum.*

74. Proponit ille quatuor media, quibus ad verum Scripturæ sensum peruenire possimus. *Primum est regula fidei: Secundum praxis Ecclesiæ: Tertium consentiens interpretatio: Quartum Conciliorum præscripta & decreta*; hæc media sola dicit esse certa & authentica. *Secundum Stapletonũ.* De his ergo sigillatim videamus, postea quid contra nostra media proferat, ad veritatis trutinam appendemus.

75. Requirit Stapletonus regulam fidei, requirimus eandem & nos, sed sensu planè diuerso: ὅμοια μὲν λαλοῦμεν, ἀνόμοια δὲ φρονοῦμεν. Per regulam fidei intelligimus perspicua Scripturæ loca, in quibus claris & disertis verbis articuli fidei proponuntur: Hûc pertinent omnia illa argumenta, quibus suo loco probauimus, Scripturam esse perfectam & perspicuam, ac proinde canonem omnium controuersiarũ Theologicarum. *1. Regula fidei.*

76. Ceterum quia summa & præcipua capita huius Regulæ proponuntur *in Symbolo Apostorum*, ideo Patres istud vocant fidei regulam. Iren. libr. 1. adu. hæres. cap. 2. regulam fidei explicans ad Symbolum Apostolorum se refert. Tertul. de veland virg. *Regula quidem fidei vna omnino est & sola inmobilis & irreformabilis, credendi scilicet in vnum Deum omnipotentem mundi conditorem & filium eius Iesum Christum, natum ex virgine Maria, crucifixum sub Pontio Pilato, tertia die resuscitatum à mortuis, receptum in cœlos, sedentem ad dextram Patris, venturum iudicare viuos & mortuos per carnis etiam resurrectionem.* Augustin. in Enchir. cap. 56. *Nisi Spiritus sanctus esset Deus, non poneretur ante Ecclesiam in regula fidei.* Ambros. sermon. 38. *Ad hoc Apostoli in vnum collecti, vt regulam fidei prascriberent.*

77. In hisce dictis Symbolum Apostolorum

vocatur

vocatur fidei regula, sed quia omnia & singula istius capita verbis perspicuis in Scriptura proponuntur, ideo alibi ipsa Scriptura ab illis *Fidei Regula* appellatur. Iren. lib. 4. cap. 69. verbum Dei vocat *regulam veritatis*. Clemens Epistol. 5. *ex diuinis Scripturis* integram & firmam regulam veritatis *petendam esse dicit*. August. de bono vid. cap. 1. *Sacra Scriptura* doctrinæ nostræ regulam figit. 2. contra Donatist. cap. 6. sacras Scripturas vocat diuinam stateram. 11. de ciuit. Dei, capit. 33. *Etsi voluntatem autoris libri huius indagare nequiuimus*, à regula tamen fidei, *quæ per alias eiusdem autoritatis sacras literas satis fidelibus nota est, non aberrauimus*. Chrysostom. hom. 13. super 2. Corinth. Scripturam vocat ἀπάρτων ἀκριβῆ ζυγὸν καὶ γνώμονα καὶ κανόνα. Gerson. de com. sub vtr. spec. Scriptura sacra est regula fidei, *contra quam bene intellectam non est admittenda autoritas hominum*.

78. Aliam fidei regulam proponunt Pontificij. Addunt Scripturæ traditiones, quas *pari pietatis affectu amplectendas esse statuunt*. Sed hæc regula est valde irregularis, vt demonstrauimus suo loco. Scriptura est canon totalis & perfectus, quippe cui nec addendum nec detrahendum, proinde si traditiones consentiunt cum Scriptura, eas acceptamus: si vero dissentiunt, iure eas repudiamus. *2. Praxis Ecclesiæ.*

79. *Alterum medium erat praxis Ecclesiæ.* At suo loco ostendemus, Ecclesiam Scripturis, non autem Scripturas Ecclesiæ subiici: Quæ sit vera Ecclesia, quæ sit vera & salutaris praxis Ecclesiæ, id omne ex Scripturis est discendum. Præscriptio, praxis & ius consuetudinarium non currunt in diuinis, nec Christus dixit, Ego sum consuetudo, sed veritas.

80. Vt ergo Pontificij non subsistunt in Ecclesiæ praxi, sed eam solum Ecclesiæ praxin probant & sequuntur, quæ est à Pontifice confirmata, [quod ostendit analysis sententiæ Pontificiæ] ita nos longe maiori iure non subsistimus in nuda Ecclesiæ praxi, sed eam demum Ecclesiæ praxin probamus & sequimur, quæ in Scriptura habet fundamentum. *Breuiter*, quod illis est Pontifex ex cathedra pronuncians, id nobis est Spiritus S. in Scripturis loquens.

81. Dicunt Pontificij, auditores sequi debere suos Pastores: vicissim Pastores sequi debere Episcopos, ipsos autem Episcopos sequi debere institutionem Papæ: ita & nos dicimus, Auditores sequi debere suos Pastores; Pastores autem ipsos sequi debere institutionem Spiritus S. in Scripturis à Deo profectis.

82. Dicunt Pontificij, in Scripturis interpretandis sequendam esse regulam fidei, praxin Ecclesiæ, Patrum consentientem interpretationem & Conciliorum Decreta: Non improbamus hæc media, sed quemadmodum illi addunt, regulam fidei esse, quam Papa probat; praxin Ecclesiæ, quam Papa seruat: Patrum interpretationes eas demum sequendas, quas Papa non repudiat: illorum Conciliorum Decreta amplectenda, quæ Papa confirmat: ita patiantur à nobis itidem addi, veram fidei regulam esse, quam Scriptura proponit; veram Ecclesiæ praxin esse, quam Scriptura approbat; veram Patrum interpretationem esse, quæ scripturæ non aduersatur; vera esse Conciliorum Decreta, quæ Scripturis sunt conformia. Augustin. 11. contra Faustum capitul. 5. *Scriptura Canonica tanquam in sede quadam sublimiter constituta est, cui seruiat omnis fidelis & pius intellectus.*

83. *Tertium medium erat Patrum consentiens Interpretatio*: Quartum, *Decreta Conciliorum*. De Conciliis suus erit dicendi locus. Patrum interpretationes non aspernamur, sed magnifacimus: nec tamen Scripturæ pronunciatis eas exæquamus vel præferimus sed talem honorem illis deferimus, qualem sibimetipsis vendicant, imo qualem Veritas ipsis attribuit. *3. Patrum consentiens interpretatio.* *4. Decreta Cõciliorum, Quid de Patrum interpretationibus sentiendum.*

84. Sic ergo procedimus. Primo: Patrum autoritatem ipsi Pontificij negant esse semper authenticam. Baron. tomo primo, ann. 34. §. 213. *Sanctissimos Patres, quos Doctores Ecclesiæ ob illorum sublimem eruditionem merito nominamus, quantumlibet eos Spiritus sancti gratia præ ceteris imbutos esse liqueat, in interpretatione Scripturæ non semper ac in omnibus Catholica Ecclesia sequitur.* Bellarmin. 2. de Concil. capitulo duodecimo, *Patrum scripta non sunt regulæ, nec habent autoritatem obligandi.* Pererius in Genes. libro tertio capitulo 2. quæst. 5. *Irenæus affirmat, se quod de Paradiso tradit, à Presbyteris Asiæ, discipulis Apostolorum accepisse, sed quid tum postea? an quodcunque ab istis Presbyteris proditum tanquam certum & indubitatum doctrinæ Christianæ dogma haberi debet? nonne constat hos ipsos Presbyteros, eodem referente Irenæo, quædam & falsa & diuinis literis contraria docuisse?* Canus lib. 7. loc. Theolog. capitul. 3. testatur, *Patres errasse sæpius*. Caietan. in præfat. super libr. Mos. petit, *se non reprehendi, si aliquando à torrente Patrum dissenserit*. Stapletonius in relect. princip. fid. controu. 6. quæst. 4. in expl. articuli: dicit, *distinguenda esse, quæ Patres obiter interdum scribunt, & aliud agentes ab illis, quæ ex proposito & principaliter tractant, hæc enim magnam fidem faciunt, illa vero perexiguam. Rursum quæ semel, ab illis quæ constanter & sæpe affirmant ac repetunt. Sed maxime distinguenda sunt ea, quæ dogmatice & assertiue in tractatu positiuo docent ab illis quæ contentiosè & in certamine contra aduersarium disputando etiam in materia fidei pronunciant. Ab hoc enim posteriori genere dictorum nullæ testimonia sumenda sunt, quia facilè contingit in talibus modum excedere, & veritatis lineam transgredi.* Hactenus Stapletonus, ipsemet cancellis certis Patrum interpretationes includens.

85. *Secundo*: Consensus ille Patrum verbis potiùs iactatur, quam re ostenditur, constat enim nec in dogmatibus, nec in Scripturæ interpretatione eos per omnia consentire. Ne id videamur gratis dicere, exemplo vno atque altero illud confirmabimus. Dicit Psaltes Psalm. 66. versic. 12. *Transiuimus per aquam & ignem, & eduxisti nos in refrigerium*. Hunc locum Orig. Hom. 25. in Num. accommodat ad suum *purgatorium*, quem sequuntur Pontificij. At num consentienter Patres hunc locum eo modo exponunt? percurremus quosdam. Arnobius [vel quicunque autor istorum commentariorum] super Psalm. 65. [ita enim numerant Latini] intelligit *de igne Martyrij, & aqua baptismatis*. Cyril. cathech. myst. 5. intelligit *de transitu tentationis*. Augustin. h. l. ignem explicat *de rebus aduersis*, aquam *de abundantia seculi*. Augustinum sequitur Hugo Cardinalis. Hieronym. h. l. *de Martyrum suppliciis* intelligit. Eodem sensu & Hilarius explicat. Euthymius per ignem & aquam *varias* intelligit *calamitates quæ animam incendunt & demergunt*. Ita etiam Theodoretus. Ruffinus exponit *de tentationibus*. Haymo *de Martyribus, quorum cursus nec igne nec aqua potuerit impediri*. Beda

de variis tribulationibus. Bernh. ſer. in tranſ. Mal. *ignem de triſtibus, aquam de mollibus,* interpretatur: ita etiam Caſſiod. ſuper h. l. Lyranus accommodat *ad ſeruitutem Iſraëlitarum in Aegypto. Tranſiuimus per ignem, id eſt, laborem ignis ad coquendum, & aquam quam portabant proprijs humeris ad commiſcendum cum terra, vt inde lateres formarentur:* Num vero hæc conſentiens Patrum interpretatio?

86. Quod Apoſtolus dicit Roman. 7. verſ. 14. *Ego carnalis ſum, venundatus ſub peccatum*, id Hieronymus, Athanaſius & Ambroſius ita accipiunt, ac ſi Paulus illic non de ſe, ſed in perſona hominis nondum renati loquatur; verum Auguſt. 2. contra Iulian. cap. 2. & alibi de ipſo Apoſtolo id intelligendum eſſe confirmat. Sic quando Rom. 3. verſ. 28. dicitur, *Arbitramur hominem iuſtificari fide abſque operibus legis*, ibi Ambroſius vocabulum Hominis, de ſolis Ethnicis accipit, Chryſoſtom. de vniuerſis hominibus. Per opera legis Hieronymus intelligit Ceremonias, Auguſtinus & Ambroſius totam legem, &c. Talia proferri poſſent longè plurima.

87. *Tertio:* Hinc ipſi Pontificij Patrum interpretationem ſubiiciunt Romano Papæ. Sic Bellarmin. 3. de verbo Dei cap. 3. *ſummum interpretem Scripturæ conſtituit Pontificem cum Concilio*, vnde 2. de Conc. cap. 12. diſputat, *Pontificum Decreta recte dici Scripturas ſacras, vt diſtinguantur à profanis, & Canonicas, vt diſtinguantur à ſcriptis ſacris Patrum quæ non ſunt regulæ, nec habent autoritatem obligandi.* Staplet. lib. 10. princ. cap. 11. *recipiendam eſſe* dicit *Epiſcoporum & Doctorum Eccleſiæ interpretationem adhibitis conditionibus. 1. Si modo in vnitate Catholica permanſerint, id eſt, ſi autoritati Pontificis ſe quiete placideque ſubmiſerint. 2. Si cum ſuis Coëpiſcopis conſenſerint &c.* Piſtorius Hodeg. p. 51. *Patrum interpretationes tum demum valere dicit cùm eas approbauerit Eccleſia:* hoc eſt, vt vltima docet analyſis, Pontifex Romanus. Ita ergo Patrum autoritas ſubiicitur à Romanenſibus Pontificj, quanto maiori iure nos eam Scripturæ ſubiicimus? Sint illi, quod dicuntur, Patres, ſimus nos eorum filij: & quando ex lege & autoritate diuina aliquid præſcribunt, tanquam Parentibus obtemperemus: ſi quid contra cœleſtis doctrinæ normam præſcribunt, non illis ſed Deo obtemperemus. Sint & habeantur Lumina, non autem Numina.

88. *Quarto:* Quod ita comparatum, vt non ſemper fuerit Scripturæ interpretandæ regula, quodque non ſemper habuit autoritatem iudicij authentici, illud ipſum, ne nunc quidem regulæ aut iudicij vim habere debet: etenim *regula ſemper vt ſit vna, eaque certa, firma inuariabilis, requiritur.* At conſentiens Patrum interpretatio non fuit ſemper Scripturæ interpretandæ regula, quia aliquando nulla fuerunt Patrum ſcripta, pauci illorum ante quadringenteſimum poſt Chriſtum annum ſcripſerunt. Ergone nunc quidem regula Scripturæ erit?

89. *Quinto:* Ad vnanimem Patrum conſenſum requirit Stapletonus, vt conſenſerint cum ſuis Coëpiſcopis omnibus, ſed vnde hoc ſcire poſſumus? multi enim alij illorum temporibus Epiſcopi fuerunt, quorum nulla omnino ſcripta ac monumenta ſuperſunt. Auguſtinum, Ambroſium & alios cum ſuis Coëpiſcopis omnibus conſenſiſſe, vnde certò conſtabit?

90. *Sexto:* Quanti vero laboris foret vniuerſa omnium Patrum ſcripta percurrere, vt tandem de eorum, qui ſcripſerunt, conſentiente interpretatione certi eſſe poſſimus? & quæ hominis ætas huic operæ par eſſet? iam vero normam iudicij ac veritatis in Eccleſia oportet eſſe ita comparatam, vt quiuis Chriſtiani ad eam recurrere poſſint, omnibus quippe incumbit *probare Spiritus* 1. Iohan. 4. verſicul. 1. *& cauere Pſeudoprophetas.* Matth. 7. verſic. 15.

91. *Septimò:* Ipſi Patres talem aliquam iudicandi, & Scripturas interpretandi authenticam authoritatem ſibi derogant, id quod locis quam plurimis euinci poteſt. Quoties vel vnus Auguſtinus Canonicam ſacrarum Scripturarum excellentiam ab opuſculis poſteriorum diſtinguit? vid. lib. 11. contra Fauſt. cap. 5. libr. 2. contra Creſcon. cap. 32. lib. 2. contra Donat. cap. 3. Epiſt. 19. ad Hieron. Epiſt. 48. ad Vicent. Epiſt. 112. ad Paulin. Idem repetunt Hieron. ſuper Pſalm. 86. ſuper 2. Mich. ſuper 19. Eſa. ſuper 36. Ezech. &c. Baſil. lib. de Sp. S. cap. 7. Orig. ſuper 2. Roman. Athan. in Syn. Videantur etiam c. Noli. c. Neque. c. Ego Solis. cap. Negare. diſt. 9.

92. *Octauo:* ſed nec eorum Patrum, qui ſcripſerunt, libri omnes, extant, & quæ extant, ſæpius ſunt corrupta, ac multa ſub venerabili Patrum pallio commentitia ſcripta proponuntur, multa etiam ſenſerunt Indices expurgatorios.

93. *Nono: Patres ardore Diſputationis, quandoque incommodè loquuntur.* [Baſil. Epiſt. 64. de Greg. Neoceſ. *Hoc quod dixit, Filium & Patrem ὑποστάσει vnum eſſe, non ex decreto ſed ἐικαιῶς dictum eſt.* Idem de Hyeronymo contra Vigilantium ſcribente iudicat Eraſmus.] *In exhortatione vehementiùs rhetoricantur.* [Sic Hiero. de ſe ipſo; excuſans quædam incommodè dicta: *Rhetoricati ſumus & declamationibus aliquid dedimus.* Sixt. Senenſ. l. 6. Bibl. annot. 152. monet, *concionatorum verba non ſemper eo rigore accipienda, quo primum ad aures auditorum perueniunt, multa enim per Hyperbolen crebro eos enunciare & inculcare, vel occaſione locorum, perſonarum, temporum adductos, vel affectionum impetu, vel orationis curſu raptos, & hoc interdum Chryſoſtomo contingere concludit.* Theod. dial. 3. *Non ego dogmatum & decretorum regulam ea duco, quæ in Eccleſia panegyrice & declamatorie dicuntur.*] *nondum modis certaminibus ſecurius ſunt locuti.* [Sic Auguſt. l. 1. contr. Iul. 2. agnoſcit. *Pelagianis nondum litigantibus veteres negligentius locutos de libero arbitrio & peccato originali*] *indulſerunt aliquid ſuis temporibus.* Sic Auguſt. Epiſt. 119. dicit *propter vitandas nonnullarum vel ſanctarum vel turbulentarum perſonarum ſcandala ſe liberius quædam non improbare.* Canus libr. 11. locorum com. capit. 6. *Negare non poſſumus, viros alioquin grauiſſimos in Diuorum præſertim prodigijs deſcribendis ſparſos rumores & excepiſſe, & ſcriptis etiam ad poſteros retuliſſe, qua in re aut nimium illi ſibi, aut fidelium certè vulgo indulſerunt:*) *quandoque loquuntur recitatiue & hiſtorice, non dogmatice.* [Otto Friſing. libr. 4. cap. 18. *Conſiderandum eſt, ſecundum quid loquantur autores, quid opinando, quid aſſerendo*] *atque inde poſteriores Patres priorum dicta explicant ſecundum fidei analogiam, vel planè repudiant, ſi cum ea conciliari nequeant.* Sic Auguſtinus aperte id refellit, quod in Iuſtino, Irenæo, Clemente & Tertul. extat, gentes lege Naturæ ſaluatas eſſe: Idem ea, quæ à Pelagianis pro ſtabilienda liberi Arbitrij integritate ex Patrum dictis ſatis ſpecioſè proferebantur, iuxta fidei analogiam explicat.

94. *Decimo*: Patres non scripserunt eo fine, vt externo aliquo & nouo lumine Scripturas colluſtrarent, ſed vt ſui temporis hominibus & controuerſiis inſeruirent, ideo etiam profitentur ſe ſua ex ſactis literis hauſiſſe, & ex ea omnia probare ſtudent.

95. *Vndecimo*: Multi ex Patribus deſtituti fuerunt linguarum cognitione, vnde proprium cuiuſque loci ſenſum non potuerunt aſſequi. Legat quiſpiam Auguſtini expoſitiones in Pſalmos, & videbit, quàm procul ab Hebraica veritate quandoque abeat. Plerique ipſorum magis copioſum dicendi genus, præſertim homœoptota & homœoteleuta conſectantur, quàm ſcrupuloſas textus conſiderationes, & Grammaticas vocum enodationes: multi literalem ſenſum leuiter attingunt, mox abeunt ad allegorias. Quis proinde in Patrum interpretatione ſimpliciter acquieſcet?

96. *Duodecimo*: Denique Eccleſias noſtras ab vnanimia Patrum confeſſione in dogmatibus vel Scripturæ interpretatione ſeceſſionem feciſſe, nondum eſt à Pontificiis probatum. Nullum eſt confeſſionis noſtræ dogma, nullum controuerſiarum caput, ad cuius confirmationem non poſſimus multa & euidentia Patrum teſtimonia proferre. Viciſſim non poterit vnanimis & conſentiens Patrum interpretatio ab aduerſariis proferri, qua indulgentias Papales, inuocationem Sanctorum, peregrinationes, venerationem reliquiarum, opera ſupererogationis & alia controuerſa dogmata comprobent.

97. Hæc ergo de mediis Scripturam interpretandi, quæ Pontificij nobis obtrudunt, dicta ſunto: quæ nos non ſimpliciter repudiamus, ſed Scripturarum autoritati ſubordinata eſſe dicimus. Regulam fidei in Scriptura propoſitam eſſe contendimus: Praxin Eccleſiæ, Patrum ſententias, Decreta Conciliorum non repudiamus, modo ex Scriptura robur accipiant. Fides enim noſtra non debet reſolui in ſententiam vel Patrum vel Conciliorum, ſed in Scripturam ſacram. *Extructi enim ſumus ſuper fundamentum Prophetarum & Apoſtolorum*, Eph. v. 20. *atque vnicum fidei Magiſtrum ſummum & authenticum agnoſcimus Chriſtum*. Matt. 23. v. 8. cuius vox in Scripturis ſonat. Videamus quid contra noſtra media afferant.

CAPVT VI.

Quid Pontificij noſtris mediis opponant.

Quid Pontificij contra noſtra media adferãt. 1.

98. Diſputant Pontificij hoc modo. Primo dicunt, *hæc media noſtra eſſe cum omnibus hæreticis, imò etiam Iudæis interdum & paganis communia*. Illi enim itidem conferunt loca Scripturarum, conſiderant antecedentia & conſequentia, inſpiciunt fontes, obſeruant phraſes: nihilo tamen minus à vera Scripturarum intelligentia abſunt quàm longiſſimè. Ita Stapletonus, ita Scriptores reliqui diſputant.

99. Reſp. Si eo ſenſu media hæc dicuntur eſſe omnibus etiam hæreticis & paganis communia, quod omnes poſſint illis vti, concedimus, quod in argumento aſſumitur, omnibus enim in Scripturis loquitur Deus, ab omnibus eas legi & cognoſci, inq; illis audiri expetit. Si verò hoc ſenſu media illa dicuntur omnibus communia, quod actu & legitimè illis vtantur, ſuaſque hæreſes per illa probent, tum id falſiſſimum eſſe dicimus. Concedimus de iure, negamus de facto. Nullus vnquam per legitimum horum mediorum vſum in Scripturis interpretandis aberrauit, ac poterunt hæretici, Iudæi & pagani ex Scripturis per hæc media legitimè expoſitis ſufficienter refutari, quod Scripta noſtrorum luculenter demonſtrant. Qui non acquieſcit in Scripturæ, id eſt, Dei per Scripturas loquentis ſententia, is longè minus in Patrum, Conciliorum aut Pontificis ſententia acquieſcet.

100. *Secundo dicunt, hæc media ſtudio & induſtria humana comparari, ideoque merè eſſe humana, & probabilia tantùm, vel etiam interdum fallacia, ſua verò diuina autoritate niti.*

101. Reſp. Sanè homines ſunt, qui mediis illis vtuntur, interim media ipſa ſunt & manent diuina. Loca n. clariora, ex quibus elucidantur obſcura, ſunt Spiritus ſancti effata: antecedentia & conſequentia ſunt Spiritus S. pronunciata, fontes Hebræi & Græci continent Spiritus S. verba, ſtylus & phraſis Spiritus ſancti loquela eſt. *Deinde vſus horum mediorum* præficimus Magiſterium Spiritus S. precibus implorandum, & analogiam fidei, id eſt vocem Spiritus S. in perſpicuis locis ſonantem. Quando ergo Bellar. 3. de verbo Dei c. 3. & 9. diſputat, *nos ad priuatum cuiuſque Spiritum homines abducere*, obſerua accuratiſſimè: Si priuatus aliquis ex Scripturæ perſpicuis locis de quadam controuerſia religionis iudicat, hoc non proficiſci ex priuato Spiritu, ſed eſſe publicum Sp. S. in Scripturis loquentis iudicium; Viciſſim ſi perſona etiam in publico Eccleſiæ officio conſtituta præter & extra Scripturam in articulis fidei aliquid profert, id eſſe ex priuato Spiritu profectum, etiamſi ipſe Papa ſit, aut ſummus aliquis Epiſcopus.

10. *Ex hoc fundamento pronunciat*. Panor. c. Significaſti. extra de elect. *priuato homini & fideli, qui meliores rationes afferat, potiùs credendum eſſe, quam toti Concilio & Papæ*. Gerſon de exam. doctrin. conſid. 5. *ſtaret, quod aliquis ſimplex non autoriſatus eſſet tam excellenter in ſacris literis eruditus, quod plus eſſet credendum in caſu doctrinali ſuæ aſſertioni, quàm Papæ*. Marſil. Patau. in defenſ. pacis. *In concernentibus fidem vnius etiam priuati ac Laici dictum præferendum eſt dicto Papæ, ſi moueatur melioribus autoritatibus V. & N. T. quàm Papæ*. Io. Fr. Picus Mirand. de fide & ord. cred. theor. 19. *Simplici potius ruſtico & infanti & anicula quàm & Pontifici maximo & mille Epiſcopis credendum, ſi contra Euangelium iſti, illi pro Euangelio verba facerent*.

103. Ipſorum verò media verè ſunt humana & probabilia tantùm: Regula enim fidei, quatenus complectitur traditiones, incerta eſt & dubia, ac continet hominum inſtituta. Quæ n. pro traditionibus diuinis venditant, à Pontificibus inſtituta eſſe pleraque Platina & Polydorus Virgilius teſtantur. Eccleſia eſt hominum cœtus. Concilia ſunt congregationes hominum. Patres fuerunt homines. Papa eſt homo, [niſi fortè dicere velimus cum Gloſſ. c. cùm inter nonnullos. extra de verbor. ſignif. in verbo declaramus. *Papa Dominus Deus noſter*: vel cum gloſſa in Proœm. Clement. in verbo Papa, *quod ſit medium quoddam inter Deum & homines*.] Eccleſia, Concilia, Patres, Papa, errare poſſunt, ſi non à Spiritu S. magiſtro regantur. Illud Spiritus S. magiſterium eſt vel immediatus Spiritus S. inſtinctus, qualis fuit in Prophetis & Apoſtolis, vel regimè per ductum Scripturarum. Prius dici nequit, alias enim Propheticis & Apoſtolicis ſcriptis paria eſſent Eccleſiæ, Conciliorum, Patrum & Papæ Decreta: manet ergo poſterius, & per con-

sequens Ecclesiæ, Conciliorum, Patrum & Papæ regula ex Scriptura sacra.

104. Tertio dicunt, media illa nostra prorsus *subiici illis, quæ ipsimet proponunt, nec vllam habere firmitatem, nisi in quantum illis conueniant.* Nisi enim antecedentium & consequentium obseruatione, locorum collatione, fontium inspectione, &c. eruatur talis aliquis sensus, qui regulæ fidei, Conciliorum Decretis & Sanctorum Patrum doctrinæ conueniat atque congruat, plane fallacia & noxia esse iudicentur.

105. Resp. 1. Fatemur illa media regulæ fidei subiici, sed enim illa fidei regula in claris & perspicuis Scripturæ locis proponitur, illi vero regulam fidei latius patere volunt, quam Scripturam. 2. Praxis Ecclesiæ, Conciliorum, decreta, Patrum sententiæ ad Scripturam exigendæ sunt, non autem contra Scriptura ad illa, tanquam ad normam, accommodanda, hoc enim esset Dei vocem hominum pronunciatis subiicere. 3. Praxis Ecclesiæ est mutabilis, ac sæpe vitiosa. Nec Concilia nec Patres omnes controuersias definiunt, aut omnia Scripturæ loca interpretantur: quinimo posteriores Patres à prioribus, Concilia posteriora itidem à prioribus, Concilia posteriora itidem à prioribus sæpe dissident.

106. Hinc ergo 4. ipsi Pontificij media isthæc omnia Romano Papæ subiiciunt, eam enim Ecclesiæ praxin probant, quam Papa obseruat, illorum Conciliorum Decreta probant, quibus Papa, vel præcedit, vel certe ea confirmauit. Illorum Patrum sententias recipiunt, quos Papa approbauit: Nos multo rectius hæc omnia Scripturæ subiicimus, id veræ Ecclesiæ, veris Conciliis, veris Patribus non erit aduersum, sua enim omnia semper subiecerunt Scripturæ.

107. Dicimus ergo 5. in Scripturæ interpretatione non temerè discedendum esse à praxi Ecclesiæ, Decretis Conciliorum, & Patrum sententiis: sed si ipsa Scriptura, id est, Dei vox in Scripturis sonans diuersum iubeat, quis non malit Deum potiùs audire, quàm homines? Ita quoque si inspectio fontium, antecedentium ac consequentium obseruatio, item collatio cum dictis N. T. ostendat, Augustinum in Psalmis genuinum loci sensum non attigisse, quis non malit eum sequi, qui adminiculo horum mediorum veram & genuinam expositionem proferat, quam Augustinum? Iussit hoc Augustinus ipse, quando Proœm. lib. 3. de Trinit. dicit, *se non solum pium lectorem, sed etiam liberum correctorem desiderare.*

108. Denique 6. quia pium ac diligens Scripturarum studium praxi Ecclesiæ, Concilij & Patribus, hæc autem omnia vlterius vni Papæ subiiciunt Romanenses, meritò dicat aliquis cum Erasmo in annot. super 1. Cor. 7. p. 373. *Si verum est quod quidam asseuerant, Pontificem Romanum errore iudiciali non posse vnquam errare, quid opus generalibus Concilijs? quid opus in Concilium arcessere Iureconsultos ac Theologos eruditos, si pronuncians labi non possit? Cur datus est appellationi locus vel ad Synodum, vel ad eundem rectius edoctum posteaquam semel de causa pronunciauit Pontifex? quorsum attinet tot Academias in tractandis fidei quæstionibus distorqueri, cum ex vno Pontifice, quod verum est, audire liceat? imò qui fit, vt Pontificis huius Decreta pugnent cum Decretis illius?* id quod postea multis exemplis confirmat.

Contra obseruationē antecedent. & conseq.

109. Hæc in genere contra nostra media disputant. In specie contra antecedentium & consequentium obseruationem, hoc vrget Stapletonus, quod interdum quidem plurimùm iuuet, incertum tamen sit & fallax medium. 1. *Quia contextus sacræ Scripturæ non est oratio continua, vel demonstratio methodica, sed in vno & eodem contextu historica, mystica & tropologica permiscentur.* 1.
2. *Ordo dicendi in illo est sæpenumerò interruptus, aliquando præposterus, idque paulo imprimis frequens, ab vna materia subito in aliam transire.* 2.
3. *Quia in vna & eadem sententia aliqua dicuntur proprie, aliqua improprie, &c.* 3.

110. Resp. non proponimus vnicum hoc medium, quasi illud ad omnia Scripturæ loca explicanda sufficiat, sed in quibusdam locis hoc medium, in quibusdam fontium inspectionem, in aliis locorum collationem plurimum valere dicimus, præclare nobiscum agitur, si omnibus illis mediis adhibitis tandem ad verum Scripturæ sensum perueniamus, ac si vel maxime genuinam cuiusque loci sententiam non assequamur, tamen à regula fidei non aberremus. Ideo non improbatur nobis quod ex Augustini lib. 1. Genes. ad lit. c. vlt. profert Stapletonus: *Id potissimum eligendum, quod circumstantiæ Scripturæ non impedit, & cum sana fide concordat. Si autem S. Scripturæ circumstantia pertractari ac discuti non potest, saltem id solum teneatur, quod fides sana præscribit.* Verissime omnino, sed regulam illam fidei non statuit aut quærit Augustinus in scrinio Papalis pectoris, sed in ipsis Scripturis, vti superius ostendimus.

111. Quæ Stapletonus exempla profert, quibus probet hoc medium esse lubricum & incertum, ea adhibitis aliis mediis, quæ proponimus, facile explicari possunt, imo vero hoc ipsum medium in illis non omnino nihil valet. Sic quando Gen. 3. v. 7. dicitur, *apertos fuisse oculos primorum parentum post comestionem fructus vetiti*, id figurate accipiendum esse ostendunt antecedentia; in quibus dicitur, *Euam vidisse fructum ligni pulcrum visu.* v. 6. Sic quod Psal. 22. v. 1. dicitur, *Deus meus, quare me dereliquisti? longe à salute mea verba delictorum meorum*: id collatio locorum explicat, quia Christus Mat. 27. v. 46. testatur hanc esse suam vocem & querelam. Posteriora verba explicat fontium inspectio, sic enim reddi debebant: *longe à salute mea es, à verbis rugitus mei.* Ita quod Ioh 1. v. 10. dicitur, *mundus per ipsum factus est, & mundus eum non cognouit*: ibi in parte huius dicti priore *Mundi* vocem proprie accipiendam esse, in posteriore vero metaphorice, ostendunt antecedentia & consequentia. Item locorum collatio. *Omnia per ipsum facta sunt.* v. 3. *Dixit Deus* Gen. 1. v. 3. *Verbo Dei cœli firmati sunt* Psal. 33. v. 6. Sic ergo mundus factus per Filium. *Lux venit in mundum, & dilexerunt homines potius tenebras, quam lucem* Io. 3. v. 19. *Lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt*, Ioh. 1. v. 5. *In propria venit, & sui eum non receperunt*, v. 11. *Quicquid est in mundo, concupiscentia carnis est, concupiscentia oculorum & superbia vitæ.* 1. Iohann. versic. 16. *Diabolus est princeps mundi*, Iohann. 14. v. 30. Sic ergo mundus Filium non cognouit. Ita quod Ioh. 4. v. 5. dicitur, *Eleuate oculos vestros & videte regiones, quia albæ sunt ad messem*: figurate de spirituali messe accipiendū esse ostendunt sequentia v. 36. *Qui metit, mercedem accipit & cogit fructum in vitam æternā.* v. 38. *Ego misi vos ad metendum id, in quo non laborastis.*

Stapletoni exēmpla probationis loco allata.

112. Sed enim si nostra media ad locorum istorum explicationem non sufficiunt, queso, quod adiumētum nobis in explicatione præstabunt traditiones, Concilia, praxis Ecclesiæ, sententia Papæ, expositio Patrum? *Commentarij Patrum* aliquid forte præstare poterunt, quamuis interdum rem magis inuoluant, quam explicent. Sed ex traditionibus & Conciliis plane nihil adiumenti hac in parte sperandum. Papæ ve-

pæ verò quàm multi nequidem sedem horum locorũ, nedum genuinum eorum sensum promouerunt?

1. *Contra obseruationem phraseos.*

113. Ex obseruatione phraseos nihil certi constitui posse, ita probat Stapletonus: 1. *quia singuli Scriptores tàm Veteris quàm N. Testamenti suum habent loquendi modum, aliter Esaias in aula regia enutritus loquitur, quàm Amos Pastor, aliter Paulus quàm Petrus, &c.* Resp. neque hoc medium per se & solitarie sumtum ad omnia Scripturæ loca explicanda sufficiens esse dicimus: sufficit aliquando nos eo iuuari. Refert Plutarch. in apopht. de Scyluro Rege Scytharum, quod diem suũ obiturus filiis suis, quos post se relinquebat, octoginta hastilium fascem proposuerit, iubens singulos, vt confringerent: id autem singulis se posse negantibus, ipse sigillatim eductа hastilia omnia facile confregit, monens ita firmos ac potentes eos futuros, si vnà esse perseuerarent, imbecilles autem si separarentur ac dissiderent: Eodem modo agit Stapletonus, coniuncta nostra media infringere nequit, separatim igitur ea nititur infringere. Ex infidiis pugnat, debebat hæc media nostra tanquam copias militares coniunctas adoriri, sed ille dispersas aggreditur.

114. Quod ergo de varietate loquendi dicitur facile concedimus sed addimus, studio diligenti illam varietatem deprehendi ac perdisci posse. Ex vnius Spiritus S. inspiratione locuti sunt omnes Prophetæ & Apostoli: vnum habuerunt dicendi Magistrum, neque Amos inter Pastores, aut Esaias in aula ea didicit, quæ locutus est, sed à Spiritu sancto. Num vero ista dissimilitudo in Pontificum Decretalibus explicatur? num in Conciliorum Decretis? Patres forte eam explicant: at illi ipsi, an non in stylo sibi plurimum dissimiles?

2. 115. *Alterum quod contra obseruationem phraseos profert Stapletonus*, hoc est, *quia Interpretum, vel etiam linguarum originalium, varietas eandem circa phrases & loquendi morem incertitudinem parit, phrasis enim obseruata iuxta versionem è Græco aliter sapiet quàm iuxta versionem ex Hebræo.* Resp. ideo huic medio addimus inspectionem fontium, qui non habent tantam varietatem. N. Testamentum multos continet hebraismos, qui ex V. T. phrasi discendi sunt. Et si qua phrasium varietas est in ipsis fontibus, ea longe rectius ex diuersorum locorum prudenti collatione potest cognosci, quàm ex impuris Rabinorum commentis, vel Interpretibus Hebrææ linguæ ignaris, quod Forsterus in præf. sui Lexici confirmat liquidissimè.

3. 116. *Tertium quod contra phraseos obseruationem vrget* Stapl. in eo consistit, *quia in ipsis regulis & obseruationibus huiusmodi nihil certum & perpetuum est, sed multas exceptiones vnaquaque regula & obseruatio patitur.* Resp. Ergóne quia regulæ non sunt absolute generales, nullum proinde habebunt vsum? ipsæ illæ regulæ, & exceptiones regulis additæ, ex Scripturis hauriendæ sunt: Papæ hic itidem raro possunt succurrere, qui raro vel Græce vel Hebraice docti sunt. Sic Staplet. probare vult, non posse constitui regulam generalem, quod per oculos Domini ipsius misericordia, per vultum eius ira significetur, quia vultus etiam alicubi pro clementia accipiatur. At quo fine hęc profert? nimirũ vt probet, regulas de modis loquendi non esse absolute generales: at sufficit quandam generalitatem in quibusdam regulis haberi posse, & si quando exceptio aliqua regulæ addenda, id ipsa Scriptura docebit. Si ergo vnum medium inseruit alteri: obseruationi phraseos succurrit locorũ collatio: locorũ collationẽ moderatur regula fidei, &c.

Contra lo-

17. Collationem locorum esse medium vehementer fallax & incertum, ita probat Stapletonus: *corum collationem.*

Primo, *quia in collatione Scripturarum aliquid similiter vel dissimiliter dictum videtur, non tam ex locorum* 1.
ipsorum similitudine, vel dissimilitudine, quam ex affectu & præiudicata ipsorum conferentium sententia. Respon. talem requirimus Scripturæ interpretem, qui absque præiudicio ad hanc rem accedat, nec sensum suum vel præconceptas opiniones Scripturis inferat, sed veritatem ex Scripturis hauriat, neque *cogat id videri dictis contineri quod ante lectionem præsumpserit intelligendum*, vt loquitur Hilar. 1. de Trinit.

118. Quinimo an collatio locorum similarium vel dissimilarium sit legitima, & sana, id vnde aliter quam ex cuiusque loci circumstantiis cognosci potest? quid hîc adiumenti afferre possunt Patres, qui itidem minus dextrè quandoque loca conferunt? quid Concilia, quæ collatione ista non vtuntur? quid Papa, qui ex cathedra & plenitudine potestatis pronunciat? Qui Scripturis ritè & dextrè collatis non vult assentiri, is Pontificis sententia longe minus permouebitur. Præterea non dicimus, hoc medium per se & solitariè sumendum esse, sed reliquis illud coniungimus, & regulæ fidei subiicimus. Profert Stapletonus exempli gratia, verba Cœnæ: *Hoc est corpus meum*: ac de illis nondum conueniri potuisse dicit, sed potiùs ex variorum locorum collatione ea miserè corrupta esse; idem etiam vrget Bellarmin. 3. de verbo Dei c. 9. sed hac de re paulò post agemus vberrime.

119. *Deinde contra locorum collationem profert hoc* 2.
Stapletonus, *quod nec eadem dictio, nec eadem phrasis vbique idem sonat atque significat.* Resp. id vero num aliunde, quam ex ipsa cuiusque loci inspectione & circumstantiis disci potest? vtile ergo est, non solùm loca vel phrasi vel re similaria inter se conferre, sed etiam ea, quæ vel phrasi vel re sunt dissimilaria, τὰ γὰρ παραλλήλα φαινόμενα. Varię illæ vnius vocabuli significationes non aliundè melius, quam ex collatione locorum cognosci & explicari possunt.

120. *Tertium, hoc est, quia quædam loca semel tantùm in Scripturis dicuntur; vt consepeliri Christo, crucifigi* 3.
cum Christo, conuiuere, conregnare, &c. Resp. neque nos dicimus huius medij vsum esse in locis omnibus. Quæ semel tantùm dicuntur quoad verba, tamen alibi quoad rem ipsam repetũtur, & vel aperta sunt, vel eorum cognitio minùs ad salutem scitu necessaria. Quid sit Apostolo, *consepeliri Christo, crucifigi cum Christo, conuiuere, conregnare, &c.* id ipse orationis Apostolicæ contextus explicat clarissimè, & verbis aliis idem alibi exponitur.

121. *Quartum est quia omnes hæretici conferendo Scri-* 4.
pturas diligentissimè, erranerunt tamen turpissime. Resp. contumelioſum hoc in diuinas tabulas, quod dextra & diligens collatio Scripturarum sit erroris causa, cùm Christus contrà pronunciet, *ignorantiam Scripturarum esse hæreticis errorũ fontem.* Matth. 22. v. 19. Quomodo vero probat Stapletonus suum pronunciatum? *Ariani*, inquit, *illud Christi*, Ego & Pater vnum sumus, *contulerunt cum illo* Iohann. 17. vers. 21. Rogo Pater, vt omnes vnum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te: *& tamen iuxta regulam fidei credit Ecclesia Filium cum Patre vnum esse vnitate essentiæ.*

122. Resp. illa vero fidei regula non aliunde quàm ex perspicuis Scripturæ locis filij Deitatem comprobantibus peti potest. Verissimè Bellarm. 2. de Concil. cap. 12. *Cùm Nicænum Concilium definiuit, Christum esse Patri ὁμοούσιον, deduxit conclusionem ex Scri-*

pturis. Expendamus vero locum Ioh.10.v.30. & manifestè apparebit de vnitate essentiæ Christum loqui. 1. dicit Christus: *nemo oues meas rapiet ex manu mea.*v.28. *Pater meus, qui dedit mihi, maior omnibus est, & nemo potest eas rapere ex manu Patris mei,*v.29.*Ergo & Pater vnum sumus.*v.30. Ergo vnitatem potentiæ inter se & Patrem demonstrat, iam vero potentia & essentia in Deo sunt vnum. 2. dicit, *se ouibus suis daturum vitam æternam,*id vero soliusDei proprium,qui est ἀυτεζωὴ.3. Iudęi statim senserunt,Christũ se Patri ὁμοούσιον dixisse, ideoque lapidibus eum tanquam blasphemum obruere volunt. Augustt. tract. 48. in Ioh. *Ecce Iudæi intellexerunt, quod non intelligunt Ariani, ideo enim irati sunt, quia senserunt, non posse dici, Ego & Pater vnum sumus, nisi vbi est æqualitas Patris & Filij.* 4.Vt ergo Io.17.v.21.vnitas credentiũ de vnitate voluntatis ac sensus rectè accipitur [ita enim exponitur Act.4.v.31.Ro.12.v.16.] sic vnitas Patris & Filij Io. 10. v. 30. itidem de vnitate voluntatis rectè accipitur, sed ita vt essentiæ vnitas includatur [quia in Deo voluntas & essentia vnum sunt, quod non habet locum in humanis.] Ergo collatio non est latius extendenda quàm res ipsa permittit. Perinde vt non licet colligere, Deus iubet *vt sumus sancti, sicut ipse sanctus est.*Leuit.11.v.44. *vt simus perfecti, sicut ipse perfectus est,*Matth.5.v.48. *vt simus misericordes, sicut ipse misericors est,*Luc.6.v.36. Ergo sanctitas, perfectio, & misericordia sunt itidem accidentia in Deo, vt in nobis: ita etiam non licet colligere, fideles sunt vnum, sicut Pater & Filius vnum sunt: Ergo illa in Deo est tantum vnitas affectus. Minimè verò, quia ratio dissimilitudinis est euidens. Voluntas & essentia in Deo vnum sunt, & per essentiæ vnitatem vnum volunt, vnum possunt, vnum sunt Pater & Filius.

123. Aliud exemplum profert Stapletonus, quo probet, collationem locorum esse medium incertum & fallax: *quia Pelagiani illud Apostoli* Ro. 5. v. 12. in quo omnes peccauerunt, *sic exposuerunt, vt illud in quo significaret propter quod, quia sic accipitur illa phrasis* Psal.118. & Actor.7. *& tamen Ecclesia credit iuxta regulam fidei, quod illud, in quo peccauerunt, ipsum peccatum, vel certe personam peccantis Adæ significet.*

124. *Resp. illa ipsa fidei regula proponitur in Scripturis.* Si vel maximè vocula illa ἐφ ᾧ ita accipiatur, vt significet causæ redditionem, ita enim quandoque vsurpari Varinus, Budæus & Suidas exemplis probant, quam explicationem etiam D. Lutherus sequitur: tamen Pelagij errori locus nihil quicquam patrocinatur. In omnes mors pertransiit, quia omnes peccauerunt. *Pelagius* deprauauit textum vitiosa explicatione, in illos tantum dominari mortem æternam, qui actualibus delictis Adamum sequuntur, cum tamen versu 14. Apostolus disertè dicat, mortem etiam illis dominari, *qui non peccauerunt in similitudine Adæ. Augustt.6.* contra Iulian. cap. 12. illam translationem: eò quod repudiat propter vitiosam Pelagij detorsionem, & sequitur aliam, quæ textum sic reddit, in quo scil. primo homine omnes peccarunt originaliter, & tanquam in massæ vnione communiter. Refellit autem ibidem Pelagium ex illis ipsis Scripturæ locis, quæ pro sua sententia attulerat, & ostendit ex circumstantiis locorum, vitiosam esse istam collationem, id quod vehementer aduersatur Stapletono.

Contra fontium inspectionem.

125. Denique fontium inspectionem esse incertum & fragile medium, ita probat Stapleton.1. *Quia fontes ipsi non sunt ita puri & incorrupti, vt olim fuerunt.* 2. *Quia Latina versio hodie est authẽtica.* Resp. hac de re diximus suo loco, & contra lucifugas istos Scripturarum sacrarum fontium integritatẽ asseruimus. Ostẽdimus etiam Concilium Tridentin. nec debuisse nec potuisse authenticam autoritatem vulgatæ translationi conciliare. 3. *Quia vnius & eiusdem fontis variæ sunt interpretationes.* Resp. sufficit, si non sint contrariæ, aut cum fidei regula pugnent, & an non ex ipsis fontibus disci potest & debet, quæ versio maximè approbanda? 4. *Quia hæretici hodie fontium nomen ad falsitatis perfugium simulato rapiunt, quandoque enim relicta vulgata translatione sectantur Hebraicum textum, quãdoque Latinam versionem sectantur relicto fonte.* Resp. malè habet, Romanenses ex fontibus veritatis ipsorum errores redargui, quibus ex latina translatione fucum aliquem parare possunt, vnde dicebat Albertus Ingolstadiensis, *in veteri litera vulgatæ editionis latere multa mysteria fidei* [Pontificię,] cuius rei exempla vide apud D. Chemnitium parte 1. exam. Concil. Trid. cap. de vers. Script. sed enim riuuli si fluant turbidi, ad puram fontis aquam properare quis prohibebit? Si quando vulgatam translationem vrgemus, id facimus eo fine, vt magis premamus Pontificios, qui coguntur eius autoritati stare, quippe quæ in Concilio Tridentino ipsis facta est authentica. Ergo si κατὰ πρᾶγμα & ἀληθειαν formamus argumenta, fontes sequimur: si καθ' ἄνθρωπον, vrgemus contra Pontificios vulgatam translationem.

126. *Hæ sunt illa machinæ, hi arietes,* quibus mediorum nostrorum vsum eleuare conantur Pontificij, sed perstant illa inconcussa. Concludimus ergo, quia Scriptura est 1. *perfecta,* id est, continet omnia, quæ ad fidem, mores, cultum, adeoque ad salutis consecutionem pertinent, vt peregrinarum doctrinarum assumentum ei non sit necessarium. 2. *est perspicua,* id est verbis propriis, claris & perspicuis vtitur in dogmatibus fidei proponendis, vt externo aliquo lumine non indigeat, quippè ex clarioribus lucem sortiuntur reliqua. 3. *denique quia regula fidei, locorum collatio,* antecedentium & consequentium obseruatio, fontium inspectio, &c. non sunt aliquid extra Scripturam, ideò Scripturæ legitimè interpretatio hæc est, quæ fit ex ipsa per ipsam.

Sola illa interpretatio legitima quæ fit ex Scriptura.

127. *Ita Esdras & ipsius symmystæ* Nehem.8.v.9. legebant *librum diuinæ legis explanatè* מְפֹרָשׁ *& exponendo sensum dabant intelligentiam per Scripturam,* ita enim ex Hebr. Tremell. וַיְבִינוּ בַּמִּקְרָא Et Petrus 2 Ep.1. v. 20. ostendit, *eodem Spiritu esse Scripturam interpretandam, quo est olim edita.* Iam verò Spiritus S. non nisi in Scripturis & per Scripturas hodie nobis loquitur. Ergo per se ipsam & ex seipsa Scriptura est interpretanda. Non est Scripturæ sensus, qui aliunde in eam illatus, nec pro Dei verbo acceptandum, quod humano arbitrio apparet inuentum.

128. Christus Matth. 4. Diabolum Scripturas deprauantem Scripturarum autoritatib. comprimit, ac suo docet exemplo, aduersarios variè torquentes Scripturas, ipsis Scripturarum testimoniis inter se collatis, & prudenter ac rectè adhibitis refutare. *Veteres Rabini* dixerunt: *In quocũq; loco Scripturæ inueniis pro hæreticis obiectionem, statim inuenies medicamentum in latere eius.* Etenim Scriptura, vbi obscurius loquitur, semetipsam explicat, aliquando statim in eodem loco, aliquando in locis aliis vberrime. Mosis Scripta illustrant Prophetæ, & Vetus Testamentum in Nouo aperitur.

129. Qua de re Patres ita disserunt. Iren. libr. 2. adu. hær. c. 47. *Si quadam quæstionum Deo commiserimus, & fidem nostram seruabimus, & omnis Scriptura à Deo nobis data consonans nobis inuenietur, & parabolæ his, quæ manifestè dicta sunt, consonabunt, & manifestè dicta absoluent*

absoluent parabolas, & per dictionum multas voces vnam consonantem melodiam in nobis sentiet laudantem hymnis Deum, &c. lib. 4. c. 63. *legitima & sine periculo est expositio Scripturæ secundum ipsas Scripturas.* Tertul. de vel. virg. *Exurge Veritas ipsa, Scripturas sacras interpretare, quas consuetudo non nouit.* Clem. Alex. 7. strom. *Confirment vnumquodque eorum, quæ demonstrantur ex Scripturis, rursus ex Scripturis.* Orig. hom. 7. in Leu. *Bonū est ex diuinis Scripturis secundum ipsarum traditionem, intelligentiam capere.* hom. 25. in Mat. *Sicut omne aurum extra templum non est sanctificatum, sic omnis sensus, qui fuerit extra Scripturam, quamuis admirabilis videatur, non est sanctus, quia non continetur à sensu Scripturæ, quæ solet eum sensum sanctificare.* Hilar. 1. de Trin. *Optimus lector est, qui dictorum intelligentiam expectat ex dictis potius, quam imploret, & retulerit magis quam attulerit, nec cogat id videri dictis contineri, quod ante lectionem præsumserit intelligendum. Cùm itaque de rebus Dei erit sermo, concedamus cognitionem sui Deo, dictisque eius pia veneratione famulemur, idoneus n. sibi testis est, qui nisi per se cognitus non est.* Aug. in lib. de doct. Christ. sæpius monet, *Scripturam ex seipsa interpretandam esse.* Hier. in Apol. de libris contra Iou. *Commendatoris officium est, non quid ipse velit, sed quid sentiat, ille quem interpretatur, exponere: alioqui si contraria dixerit, non tam interpres erit quam aduersarius eius quem nititur explanare.* Chrys. in Gen. hom. 13. *Ad ipsum Scripturæ scopum pertendamus, quæ seipsam interpretatur. Sacra Scriptura, cum nos tale quiddam docere vult, seipsam exponit, & auditorem errare non sinit.* Vigilius lib. 2. contra Eutych. in princ. *Varius quidem & diuersus, ex vno tamen fonte hæreticæ prauitatis error emersit, cardo pessimus & origo malorum, quæ ex se cunctarum impietatum occasiones peperit, hæc est, dum cœlestium dictorum vis vitio malè intelligentium temerata, non secundum sui qualitatem sensus perpenditur, sed in alias res pro arbitrio & voluntate legentis secus quam veritatis postulat, deriuatur.* Gerson, quæ verit. fund. cred. contra assert. M. Io. Parui n. 14. *Scriptura exponit regulas suas per semetipsas, secundum diuersos passus Scripturæ.* de com. sub vtr. spec. *Sacra Scriptura est quasi vna oratio copulatiua, cuius vna pars confirmat, elucidat & exponit alteram.*

De fidei Regula. 130. Hæc ita in genere dicta sint de mediis legitimæ Scripturarum Interpretationis; de illis in specie deinceps agere, arbitror operæ pretium futurum. *Primum erat,* fidei regulam, quam propriis & perspicuis verbis Scriptura proponit, obseruandam esse; ex quo theoremate colligo hæc consectaria. 1. Scripturæ interpretationem debere esse literalem & propriam. 2. A litera præsertim in fidei articulis non esse discedēdum, nisi ipsa Scriptura impropriet atem ostendat & exponat. 3. Nullum esse fidei dogma, quod non alicubi propriis & perspicuis verbis in Scriptura proponatur. 4. Regulam fidei acceptandam esse integram, neque eius partes sibi inuicem opponendas esse. 5. Si in locis obscurioribus genuinum sensum non possimus assequi, tamen à regula fidei non esse discedendum.

1. 2. 3. 4. 5.

CAPVT VII.

De variis Scripturæ sensibus.

De variis Scripturæ sensibus. 131. Consectaria istæc vt rectius & penitius perspiciamus, hypotheseos loco agemus de variis Scripturæ sensibus, qua de re ita disputat Bellar. li 3. de verb. Dei c. 3. *Scripturæ diuinæ proprium est, quia Deum habet autorem, vt sæpenumero contineat duos sensus, literalem siue historicum, & spiritualem siue mysticum.* Literalis est, *quem verba immediate proferunt.* Spiritualis est, *qui aliò refertur, quam ad id, quod verba immediatè significant, quæ partitio colligitur ex Apostolo,* 1. Cor. 10. vbi dicit, omnia accidisse Iudæis in figura nostri. Literalis duplex est, alius simplex, qui consistit in proprietate verborum, alius figuratus, quo verba transferuntur à naturali significatione ad alienam: & huius tot sunt genera figurarum. Spiritualis sensus à recentioribus Theologis statuitur triplex, Allegoricus, Tropologicus, Anagogicus. *Allegoricum* vocant, cum verba Scripturæ præter literalem sensum significant aliquid in N. T. quod ad Christum vel Ecclesiam pertineat. Sic Gal. 4. ostendit Apostolus, quod Abraham, qui reuera ad literam habuit duas vxores, vnam liberam, & vnam ancillam, & duos filios Isaac & Ismaël, Deum autorem duorum Testamentorum & Patrem duorum populorum significauit. *Tropologicum* appellant, cum verba aut facta referuntur ad aliquid significandum, quod pertineat ad mores. Deut. 25. *Non alligabis os boui trituranti,* quod intelligitur ad literam de veris bobus, significat spiritualiter, non debere prohiberi concionatores, quin victum accipiant à populo, vt explicat Apostolus. 1. Cor. 9. *Anagogicum* vocant, cum verba aut facta referuntur ad significandam vitam æternam, quomodo illud Psal. 94. *Quibus iurauī in ira mea, si introibunt in requiem meam:* quod ad literam intelligitur de terra promissionis, spiritualiter refertur ad vitam æternam, vt Apostolus explicat Hebr. 4.

132. *Pergit Bellarminus & addit.* Ex his sensibus literalis *inuenitur in omni sententia tam V. quam N. T. nec est improbabile, interdum plures sensus literales in eadem sententia reperiri.* At spiritualis *quidem inuenitur omnis in vtroque testamento. Nam de Test. veteri nemo dubitat, quin habeat sensum allegoricum, tropologicum & anagogicum, de Testamento nouo itidem sentiunt permulti & merito. Sed quanquam hæc ita se habeant, tamen non inuenitur spiritualis sensus in omni sententia Scripturæ, nec in Testamento veteri, nec in nouo. Illud enim,* Diliges Dominum Deum tuum, *& similia Præcepta, non habent nisi vnum sensum, id est, literalem. His ita constitutis conuenit inter nos & aduersarios, ex solo sensu literali peti debere argumenta efficacia, nam eum sensum, qui ex verbis immediate colligitur, certum est sensum esse Spiritus sancti. At sensus mystici & spirituales varij sunt, & licet ædificent, cum non sunt contra fidem aut bonos mores, tamen non semper constat, an sint à Spiritu S. intenti.* Hæc omnia iisdem verbis Bellarminus. *Pontificiorum sententia.*

133. *Hæc de re sic sentimus.* Vnus est cuiusque loci proprius & genuinus sensus, quem intendit Spiritus sanctus, & qui ex ipsa genuina verborum significatione colligitur, & ex hoc literali sensu solo efficacia argumenta depromuntur. *Allegoriæ, tropologia, anagogia non sunt varij sensus.* sed varię ex vno isto sensu collectiones, vel variæ vnius istius sensus & rei, quam exprimit litera, accommodationes. Potest eadem Historia diuersimodè applicari, vt tractetur vel allegorice, vel tropologice, vel anagogice. an satis commoda sit hæc diuisio mystici sensus, & an voces sint satis commodæ, quibus species illę mystici sensus exprimuntur, non iam disquirimus: τροπολογία rectius diceretur expositio moralis, quia τρόπος vsitatissime significat mores: ἀναγωγὴ & ἀλληγορίαι appellationem confundunt Dionys. Eccles. Hier. c. 2. Aug. de vera relig. c. 50. Hier. ad Hedib. super Esai. 1. & alibi passim. Ac si ratione materiæ quæritur inter allegoriam & anagogen differentia, cur non itidem alia species statuitur eius spiritualis sensus; qui agit de Ecclesia militante, de Christo, de Sacramētis, &c.] *Nostra sententia.*

interim manèt vnus verborum, quibus Historia describitur, proprius & literalis sensus.

Allegoria.

134. Allegoriæ variæ, eæque diuersissimæ ex vna quadam Scripturę Historia interdum à Patribus petuntur, absit autem vt dicamus tot esse vnius istius loci sensus, quia, vt Bellar. recte dicit, *non constat, an sint intenti à Spiritu sancto*, sed sunt arbitrariæ vnius literalis sensus accommodationes. Quando autem ipsa Scriptura aliquid typice interpretatur, ibi totus & integer loci sensus non est in verbis proprie sumtis, sed pars in signo, pars in significato, in altero horum seorsum & per se considerato pars tantùm sensus continetur, ex vtriusque vero simul coniunctis plenus ac perfectus sensus absoluitur, tum enim constat ex ipsius Spiritus S. interpretatione hunc sensum typicum in illa Historia contineri, de quo in allegoriis à Patribus excogitatis non sumus certi.

135. *Cæterum, quod Bellarminus dicit*, hoc solius Scripturæ *proprium esse, quia Deum habet autorem, vt sæpenumero contineat duos sensus*, id Mythologiæ Fulgentij & Natalis Comitis, Palæphati de non credendis Historiis, Commentarius Sabini in Metamorphosin, & alia scripta abunde refellunt. Et quæ hæc connexio? Scriptura habet Deum autorem, Ergo eius proprium est continere duos sensus: quinimò quia mentis & linguæ artifex in Scriptura loquitur, Ergo perspicuè loquitur, & totum id quod mente complectitur, sermone exprimit, ea enim oratio optima, quæ sensa mentis plenè & perspicuè ἀπεικονίζῃ: si diuinandum adhuc, quid in verbis suis sibi quis velit, quo sensu ea accipienda, si aliud loquitur aliud occultat, id sapientibus non probatur.

136. *Acceptamus ergo illud Bellarmini*, quod ex solo sensu *literali peti possint & debeant firma & efficacia argumenta*. Si allegoriæ, tropologiæ, anagogiæ essent genuini sensus Scripturę, vtique etiam ex illis tanquã Sp. S. pronunciatis peterentur argumenta efficacia, quod cum neget Bellarminus [& rectè] vtique reipsa negat allegorias, tropologias & anagogias esse varios Scripturæ sensus. Approbamus illud Hier. sup. 13. Matt. *Ex mysticis sensibus fidei dogmata non possunt efficaciter confirmari*, quod repetit super 8. Zach. super 1. Malach. Augustin. 2. de pecc. merit. c. vlt. 2. de doctr. Christ. c. 9. Epist. 48. contra Vinc. Intelligendum autem id de mysticis sensibus ab Interpretibus excogitatis: Si enim Apostoli aliquid allegoricè interpretantur, ex illis allegoriis firma petuntur argumenta.

CAPVT VIII.

De allegoria.

137. *Age verò de allegoriis dicamus vberius*. Aug. 15. de ciu. Dei c. 7. asserit, *non esse illis consentiendum, qui solam Historiam recipiunt sine allegorica significatione, nec illis, qui solas figuras recipiunt, repudiata Historiæ veritate*. 17. de ciuit. Dei c. 3. *Mihi sicut multum videntur errare, qui nullas res gestas in eo genere literarum aliquid aliud, præter id, quod eo modo gesta sunt, significare arbitrantur, ita multùm audere, qui prorsus ibi omnia significationibus allegoricis inuoluta esse contendunt*. Hier. in Epistol. ad Pammach. iustissimè conqueritur de Origene, *quod ita allegorizet, vt Historiæ auferat veritatem*. Patres in allegoriis satis largi, hodie quidam illis satis infensi; quid ergò de allegoriis statuendum?

138. Qui accuratè his de rebus disserunt, monent discrimen esse inter allegoriam & typum. *Typus est*, cum factum aliquod veteris Testamenti ostenditur, præsignificasse seu adumbrasse aliquid gestum vel gerendum in N.T. *Allegoria est*, cum aliquid ex veteri vel nouo Testamento exponitur sensu nouo, atque accommodatur ad spiritualem doctrinam seu vitæ institutionem. *Typus* consistit in factorum collatione. *Allegoria* occupatur non tam in factis quam in ipsis concionibus, è quibus doctrinam vtilem & reconditam depromit. *Typi* ad certa quædam capita de Christo, de Ecclesia, &c. contrahuntur: *Allegoriæ* autem latissimè patent, & per quascunque diffunduntur materias. Vnde vna eademque Historia typicè & allegoricè potest exponi. Si dicam, Historiam Dauidis cum Goliatho significasse certamen Christi cum Diabolo, erit expositio per typum: si dixero, significari pugnam carnis & spiritus, erit allegoria. Sed enim Patres non semper obseruant hoc discrimen, & Apostolus Gal. 4. vers. 24. per allegoriam dicta esse asserit, quæ tamen propriè loquendo sunt typica, vnde Chrysost. in Comment. ibidem rectè monet, *Allegoriæ vocabulum ibi pro typo vsurpatum esse*.

Discrimen inter allegoriam & typum.

139. *Quæris, quousque progrediendum sit in allegoriis?* Resp. 1. Præcipua cura esse debet de sensu literali, qui ex verbis & ipso contextu hauriendus est: illum n. sensum qui ex verbis immediatè colligitur, certũ est esse sensum Spiritus sancti: ex illo literali sensu variæ doctrinæ, exhortationes, consolationes & ἔλεγχοι aduersariorum hauriri possunt: hanc literalem Scripturæ expositionem maximoperè commendat Basilius in hexaëm. 2. Si ipse Spiritus S. in Scripturis aliquid typicè vel allegoricè interpretatur, ibi tutò sequimur allegoriam, possumus enim esse certi Spiritum sanctum ad illam respexisse. 3. In præceptis moralibus, promissionibus, comminationibus, & tractationibus dogmatum nullæ sunt quærendæ allegoriæ. Hier. super 4. Gal. *Allegoria non est quærenda in præceptis, quæ ad vitam pertinent, aut in his quæ perspicua & manifesta sunt*. 4. Inepti ergo sunt & præposteri Interpretes, qui in quouis Scripturæ loco quærunt allegorias, Aug. 8. de Gen. ad lit. c. 1. *figuratè qui omnia dici in sacris literis credunt, falluntur*. 5. Leges Ceremoniales V. T. tractari possunt allegoricè, quia fuerunt vmbræ & typi futurorum bonorum. 6. Historiæ itidem allegoricè possunt tractari, ita tamen vt Historica veritas inconcussa seruetur. Dauid Goliathum vicit, ita Christus Diabolum, ita pius affectus carnis, &c. maneat interim, verè olim à Dauide magnum Goliathum deuictum. 7. Allegoriæ in dogmatibus non pariunt firmas probationes, [excipio semper eas, quas ipsa Scriptura proponit] sed ornant solùm fidem. 8. Vsus ergo allegoriarum magis conuenit habendis ad populum concionibus, quàm aduersariis conuincendis: delectant, excitant, tædium auferunt decenter & moderatè adhibitę, vnde exordiis conueniunt maximè. 9. Sedulò in id incumbendum, vt allegoriæ sint aptæ, cumprimis verò vt fidei sint analogæ.

Quousque progrediendum in allegoriis.

140. Quomodo v. conformandæ sunt allegoriæ, vt sint aptæ & fidei analogæ: Scopus totius Scripturæ est Christus, ergo illius officium, illius beneficia, illius regnum potissimum in allegoriis sunt explicanda. *Sic figuram* mannæ & serpentis ænei, historiam Salomonis & Ionæ ad seipsum accommodat Christus, Ioh. 3. 6. Matth. 12. *Sic typum* agni paschalis, propitiatorij, aquæ ex petra, &c. ad Christum accomodat Apostolus 1. Cor. 5. Rom. 3. 1. Cor. 10. Articuli ergo fidei ex propriis & perspicuis Scripturæ pronunciatis priùs exactè percipiendi, antequam

quam ad allegorias quis velit abire, & accurate cauendum, ne quid contra ἀναλογίαν fidei, id est, constantem & perpetuam Scripturæ de dogmatibus fidei sententiam in allegoriis proferatur. Procliuis hîc est lapsus, ideoque iudicium & circumspecta prudentia requiritur.

141. Maximam allegoriæ conciliabit gratiam, si fontes eius ex ipsa Scriptura monstrari possunt: sæpe enim vnica vocula clauis est ad aperiendum sensum allegoricum. Sic pleraque membra præcepti de agno Paschali ad Christum & fidelem eius populum accommodari possunt, quia Paulus 1. Cor. 5. v. 7. dicit, *Pascha nostrum pro nobis immolatus est Christus.* Aptissimæ illæ sunt & suauissimæ allegoriæ, quæ ex verbis Scripturæ inter se collatis erui possunt. & quibus ex ipsis Scripturæ vocibus fulcimentum aliquod vel certe illustratio adhiberi potest.

142. Cauendum vero, ne allegoriæ nimis longe sint petitæ, ita enim erunt crudæ ac durę: neve pugnent cum principalibus partibus Historiæ, quam allegorice cupimus tractare. Nec iusto diutius eis immorandum, sed vt gratia illis accedat, paucis tantum verbis argute & cum suaui quadam acrimonia perstringantur, nec sint nimis intricatæ & perplexæ. *Breuiter*, non est cuiuslibet apte & decenter tractare allegorias, qui ergo minus in eis exercitati, sobrie & prudenter hîc agant. Qui intempestiue & absque iudicio allegorias tractant, facile proferre possunt, quod periti contemnunt, maleuoli deridebunt, & quo infirmi offenduntur. Certe Origenes hoc nomine à veteribus reprehensus.

Allegorias adhiberi suadet quãdoque necessitas.

143. *Monet Hyperius rectissime, quandoque ipsam necessitatem cogere, vt sectemur allegorias, quandoque vero id solum suadere vtilitatem.* Necessitas exponendi per allegoriam tribus ex causis prouenit: Prima, quando Scriptura, nisi tropum subesse accipias, falsitatem præ se ferunt. Sic Psal. 91. v. 13. *Super aspidem & Basiliscum ambulabis, conculcabis Leonem & Draconem:* id Christus fecisse non legitur, ergo de superaris ac debellatis Diabolo, mundo, peccato & morte explicandum. Secunda, quando verba Scripturæ in sensu Grammatico accepta pariunt absurditatem. Sic Deo tribuuntur affectus humani, ira, furor, tædium: At qui hæc spirituali & immutabili Dei naturæ sunt minus congrua, explicanda igitur de effectu non de affectu. Tertia, quando sensus Grammaticus pugnat cum regula fidei. Augustin. 3. de doctr. Christ. cap. 10. *Quicquid in sermone diuino nec ad morum honestatem, nec ad fidei veritatem proprie referri potest, figuratum esse cognoscitur.* c. 16. *Si locutio præceptiua flagitium aut facinus videtur iubere, aut vtilitatem & beneficentiam vitare, figurata est.*

1.

2.

3.

Sic Christus oculum eruere, manum ac pedem abscindere iubet. Matth. 18. v. 8. & 9. atqui id in sensu literali acceptum, pugnat cum Præcepto Domini: Non occides. Ergo vt monet Chrysost. hom. 17. in Matth. *Non de disturbanda membrorum compage verba fiunt, sed malum voluptatis arguitur.* Non iubemur corporis nostri, sed veteris Adami *membra, quæ super terram sunt, mortificare, videlicet fornicationem, immunditiem, libidinem, concupiscentiam prauam & auaritiam*, vt exponitur Colos. 3. v. 5.

Quandoque vtilitas.

144. *Vtilitas suadet allegorias adhiberi*, quando verba ipsa Grammaticè sumta nullam videntur afferre vtilem doctrinam aut institutionem, vel si aliqua quidem apparet, longe tamen prouenirent vberior, vbi interpretatio allegorica adiungeretur. Sic legimus Iacobum à Labano deceptum substituta Rachelis loco, Lea, interpretari illud allegorice, quod Deus huius seculi multos decipiat rerum terrenarum amore, vt putent esse Rachelem, id est, pulcerrimã & durabilia bona, sed quando è somno prauæ concupiscentiæ vigilant, agnoscunt esse Leam.

145 August. de vtil. cred. cap. 3. & alibi, paulo aliter Scripturæ exponendæ rationem distribuit, statuit enim eam quadruplicem, *primam secũdum Historiam*, cum videlicet docetur, quid scriptum aut quid gestum sit, quid non gestum. *Secundum* κατ' ἀπολογίαν, cum ostenditur, qua de causa aliquid dictum vel factum sit. *Tertiam* κατ' ἀναλογίαν, qua vtriusque Testamenti congruentia demonstratur. *Quartam* κατ' ἀλληγορίαν, cum docetur, non ad literam accipiendã esse, quæ scripta sunt, sed figurate intelligenda, hanc libro de vera relig. c. 50. subdiuidit *in allegoriam historiæ, allegoriam facti, allegoriam sermonis, & allegoriam sacramenti.*

146. *De allegorico sensu satis diximus.* Illa autem interpretandi ratio κατ' ἀπολογίαν non est nouus sensus præter literalem, sed ad illum omnino referri debet, neque enim in ea à sensu Grammatico discediturr, sed tantum exposita causa facti vel dicti illustrior redditur sententia, in locis aliquam multis verus & genuinus sensus inuestigari nequit absque ἀπολογίας adminiculo, videlicet vt animaduertatur, quis, ad quid, quo consilio & fine quippiam proferat. Ἀναλογία itidem non affert nouum aliquem Scripturæ sensum, sed dicta vel facta N. T. cum dictis V. T. confert, eorumque congruentiam ostendit, sicut id in omni *Scriba instituto ad regnum cœlorum requiritur*, vt similis sit Patrifamilias, qui profert de thesauro suo vetera & noua, Matth. 13. v. 52.

Ἀπολογίας.

Ἀναλογία.

CAPVT IX.

De Consectariis ex regula fidei deductis.

147. His ita expositis redimus ad consectaria nostra deducta ex illo Theoremate, quod fidei regula in Scripturæ interpretatione cum primis sit obseruanda. *Primum erat*, Scripturæ interpretationem debere esse literalem & propriam: huius consectarij confirmatio & verus intellectus patere potest ex illis, quæ de variis Scripturæ sensibus modo diximus. Iren. lib. 2. capit. 46. *Is sanus sensus & sine periculo, qui aperte & sine ambiguo ipsis dictionibus in Scripturis ponitur.*

Consectaria regulæ fidei.

1.

148. *Alterum erat*, non discedendum à litera, præsertim in articulis fidei, nisi ipsa Scriptura ostendat, & exponat improprietatem: sequitur hoc ex primo. Si aliud voluisset Spiritus S. nos intelligere, facili negotio etiam aliter loqui potuisset: is ergo sensus procul dubio est sensus Spiritus S. qui ex verbis ipsis colligitur, si quam in articulis fidei improprietatem Scriptura continet, ea verbis propriis alibi explicatur. Libri Prophetici & Apostolici per totam Ecclesiam inscribuntur V. & N. Testamentum: iam vero notæ sunt grauissimæ admonitiones ICtorum, quibus prohibent à verbis Testamentorum proprie acceptis discedere. Chrys. sup. 5. Esa. *Oportet nonnunquam aliquot diuinæ Scripturæ loca allegorice interpretari, vbi conuenit nos subsequi mentem Scripturæ, & ad eum modum vti allegoria tropo. Non enim permisit illa, vt pones auditores esset autoritas accommodandi à se dicta, quibus vellet rebus aut personis, sed Scriptura ipsa præueniens Scripturam interpretata est.*

2.

149. *Tertium erat*, nullum esse fidei dogma, quod non alicubi propriis & perspicuis verbis in Scriptura proponatur. Sequitur hoc ex secundo, si enim impropria verborum significatio in articulis fidei ex

ipsa Scriptura demonstranda & explicanda, vtique omnia fidei dogmata verbis propriis & perspicuis alicubi in Scriptura exponuntur. Confirmatur id ipsum ex Scripturæ perfectione & perspicuitate. Si enim inter fidei articulos quippiam referēdum, quod non alicubi propriis & perspicuis verbis in Scriptura proponitur, perit vtique eius perfectio & perspicuitas. Impropriè dicta variè exponi possunt, perinde illa sola, quæ propriè & perspicuè dicta, certam & immotam præbent sententiam. Iren. l. 2. c. 24. *Quia parabolæ multas recipere possunt absolutiones ex ipsis de inquisitione* DEI *affirmare dereliquentes, quod certum, indubitatum & verum est, valdè præcipitantium se in periculum & irrationabilium esse, quis non amantium veritatem confitebitur?* August. Epist. 48. *Quis non impudentissimè nitatur aliquid in allegoria positum pro se interpretari, nisi habeat manifesta testimonia, quibus illustrantur obscura?* Thom. p. 1. quæst. 1. art. 10. *Nihil sub spirituali sensu continetur fidei necessarium, quod Scriptura per literalem sensum alicubi manifestè non tradat.*

150. *Quartum erat, regulam fidei accipiendam esse integram*, neque eius partes sibi inuicem opponendas. Ratio huius consectarij est euidens, quia omnia, quæ ad fidei regulam pertinent, sunt Spiritus S. effata, quæ sibi inuicem nec possunt nec debent opponi. Vbicunque ergo fidei articulus proponitur, retinendus literalis sensus, nec opponendus est reliquis fidei articulis. E.g. Ariani negant filij Deitatem, quia vnus Deus, non attendentes ex regula fidei, credendam esse non solùm diuinæ essentiæ vnitatem, sed etiam personarum Trinitatem. Tritheitæ introducunt tres Deos, quia tres Deitatis sunt personæ, non attendentes ex regula fidei credendam esse non solùm personarum Trinitatem, sed etiam diuinæ essentiæ vnitatem.

151. *Quintum* erat, Si vel maximè in locis obscurioribus genuinum sensum non assequamur, tamen à fidei regula non esse discedendum. Laborandum quidem sedulo, vt cuiusque loci genuinum sensum assequamur, sed si quando illum perueſtigare non possimus, caueamus, ne quid contra fidei analogiam proferamus, qua de re diximus superiùs. Aug. 11. de ciu. Dei c. 33. *Non est inutiliter obscuritas huius pertractata sententiæ* (quod per lucem Angeli boni, per tenebras mali intelligantur) *quia etsi voluntatem autoris libri huius indagare nequiuimus, à regula tamen fidei, quæ per alias eiusdem autoritatis sacras literas satis fidelibus nota est, non aberrauimus.* Id. lib. 1. de Gen. ad lit. c. 21. *Cùm diuinos libros legimus, in tanta multitudine verorum intellectuum, qui de paucis verbis eruuntur & sanitate Catholicæ fidei muniuntur, id potissimum deligamus, quòd certum apparuerit, cum sensisse quem legimus. Si autem hoc latet, id certè, quod circumstantia Scripturæ non impedit, & cum sana fide concordat. Si autem & Scriptura circumstantia pertractari ac discuti non potest, saltem id quod sana fides præscribit. Aliud est enim, quid potissimum Scriptor senserit, non dignoscere, aliud autem à regula pietatis aberrare. Si vtrumque videtur, perfectè se habet fructus legentis. Si verò vtrumque vitari non potest, etiamsi voluntas Scriptoris incerta sit, sanè fidei congruam non inutile est tenuisse sententiam.*

CAPVT X.

Declaratio consectariorum ex regula fidei deductorum per verba Cœnæ.

Consecta- 152 *Harum obseruationum & consectariorum*, quæ proposuimus, vsus est in Scripturæ interpretatione maximus. Declaremus rem exemplo. Bellarminus 3. de verbo DEI c. 9. Staplet. in relect. princ. fidei controu. 6. q. 7. & alij Scriptores ita disputant: *Quia tot iam annis, imò seculis de verbis Cœnæ disputatum, nec dum res transacta, Ergo Scriptura non potest dicere, quæ sit verus suus sensus, Ergo Scripturæ interpretatio ex ipsa Scriptura est dubia & incerta. Ergo media Interpretationis superiùs propositæ sunt insufficientia, proinde requiritur ineffabilis aliquis & authenticus iudex ac interpres præter ipsam Scripturam.* riorum declara exēplo borum Cœna.

153. *At sequamur ductum harum regularum.* Interpretatio Scripturæ debet esse propria ac literalis, præsertim in articulis fidei. Iam verò in locis illis, quæ de Cœna Domini agunt, proponitur articulus fidei. Ergo verba in proprio & literali sensu retinenda. Vicissim in articulis fidei non discedendum à litera, nisi ipsa Scriptura exponat improprietatem: iam verò nullibi Scriptura docet, verba Cœnæ ita exponenda, Panis est signum corporis Christi: Vinum est signum sanguinis Christi: nondum etiam idoneum aliquod suæ (quam ita vocant) Sacramentalis Metonymiæ exemplum è Scripturis proferre potuerunt. Ergo non inferenda est in verba cœnæ talis tropica & figurata locutio. Vlterius, nullum est fidei dogma, quòd non alicubi propriis & perspicuis verbis in Scriptura proponatur. Iam verò Matt. 26. Mar. 14. Luc. 21. 1. Cor. 10 & 11. ex professo tractatur dogma de cœna, atque hæc est propria huius doctrinæ sedes. Ergo loca illa in sensu proprio & literali accipienda. Obiec Marni

154. Si dicant, regulam fidei nos cogere, vt à literali sensu discedamus, quia scil. iuxta regulam fidei asserendum sit, quòd Christi corpus sit verum & naturale corpus. Item quod Christus suo corpore in cœlum ascenderit: succurrit obseruatio quarta, regulam fidei acceptandam esse integram, neque partes eius sibi inuicem opponendas esse. Vtrumque Scriptura docet, Christi corpus esse verè humanum corpus, & tamen illud verè in Cœna distribui, vtrumque igitur credendum, neque alterum alteri opponendum. Christi enim corpus non solùm est verè humanum corpus, sed etiam Filij Dei proprium corpus. Christus non solùm ascendit ad cœlos, sed etiam sedet ad dextram Dei. An regula fidei cogat literali su discede

155. *Hæc ergo contradictoria non sunt: Christi corpus est* verum corpus: & Christi corpus in sacra cœna manducatur: quia vtrumque in proprio & literali sensu Scripturæ verba docent. Non in vno solùm audienda est Scriptura, quòd Christus habeat verum corpus, sed etiam in altero, quòd verum illud corpus in cœna præsens sit. Si omninò velint alterutrum negandum esse, vel veritatem corporis, vel eius in Cœna manducationem: exponant nobis rationem, quare potiùs mãducationem corporis Christi in cœna negare velint ex veritate corporis, quàm corporis veritatem ex asserta eius in cœna manducatione? Si dicant: veritas corporis est articulus fidei, quærendi sunt vnde sciant? respondebunt vtique ex Scriptura, & quidem sensu literali Scripturæ: At inquam ego, Scriptura itidem docet & quidem in sensu literali, corpus Christi in cœna adesse & manducari. Ergo etiam illa præsentia & manducatio corporis Christi in cœna est articulus fidei.

156. *Dicat aliquis Martionita, Christi corpus non est* verum & naturale corpus, quia in sacra cœna manducandum distribuitur. Ergo loca illa, quæ statuunt, Christi corpus esse verè humanum corpus, figuratè Obiectio Marcionitarum.

figuratè sunt accipienda, vt constet articulo de Cœna sua integritas. Huic certè aliter occurri nequit, quàm vt dicatur, vtrumque asserendum & credendum esse, quòd Christi corpus sit verè humanum corpus, & tamen illud in cœna manducetur, neque hosce fidei articulos inter se oppositos esse, sed simplicis fidei obedientia vtrumque esse acceptandum. Nisi firmum fixum illud teneatur, eadem licentia, qua à literali sensu verborum Cœnæ discediturr, etiam Marcionita discedet à literali sensu illorum locorum, in quibus veritas humanæ Naturæ in Christo asseritur.

Obiect. Bellarmini.

157. *Nimis verò largè concludit Bellarmin. 3. de Sacram.* Eucharist. cap. 19. *verba Cœnæ si propriè accipiantur necessariò inferre transsubstantiationem: Panis*, inquit, *aut metaphoricè mutatur, aut verè & realiter*: Respondemus, imò verò datur tertium, panis mutatur Sacramentaliter, id est, fit medium, ὄχημα & organum, per quod, in quo & cum quo corpus Christi distribuitur. Ac Pronomen *Hoc*, in verbis Cœnæ denotat quidem, sed non solùm, [quæ enim foret constructio, ἄρτος τοῦτο?] verum totum complexum, quando enim duæ res modo quodam vnitæ sunt, vsitato more prædicatum exprimit dignius & sensui minus obuium, partem autem alteram sensui obuiam non exprimit.

Τὸ ῥητὸν in S. Cœnæ an pugnet cum adscessione Christi.

158. *Sed enim quia controuersiam de Interpretatione* verborum Cœnæ exempli loco tractare cœpimus, ipsa rei magnitudo requirit latiùs de illis disserere. Disputat *Perkinsus* lib. de vnic. ratione conc. pagin. 49. τὸ ῥητὸν *in verbis Cœnæ seruatum pugnare cum ascensione Christi & cum Naturæ Sacramenti: contra vero nouum illum sensum, quòd panis sit symbolum corporis Christi absentis* (ita enim scribit) *congruere primò cum analogia fidei.* 1. Christus *verè ascendit in cœlum, hoc est, sublatus à terra in cœlum localiter & visibiliter, eius ergo corpus non ore in cœna percipiendum, sed fide in cœlo.* 2. *Natus ex Maria virgine. Ergo verum & naturale corpus habuit, longum, latum, altum, alicubi situm & loco circumscriptum, vnde constat, panem in Cœna non propriè ipsum corpus, sed eius tantum symbolum esse posse.*

159. *Respon. Panis essentialiter non est corpus Christi, sed* Sacramentaliter, ita vt manducato pane illo mystico, manducetur simul corpus Christi, quod cum analogia fidei non pugnat, vt modò ostendimus: nulla ergo cogit necessitas à literali verborum sensu recedere & nouum sensum quærere. Non quæritur, an Christus corpore suo verè ascenderit in cœlum, & an verum habeat corpus, sed an hoc pugnet cum articulo ascensionis & cum veritate corporis Christi, quod corpus eius in cœna præsens statuitur, qua de re plura inferiùs.

An pugnet cum circumstantiis dati loci.

160. Secundo pugnat τὸ ῥητὸν (ait Perkinsus) *circumstantiis dati loci.* 1. Accepit, fregit: *hic non est verisimile, Christum inter Discipulos sedentem, suis manibus proprium corpus accepisse & fregisse. Ergo panis tantum signum & sigillum est.* Respon. Quæ Deus coniunxit, homo non separet. Referunt Euangelistæ, Christum non solum panem accepisse & fregisse, sed etiam benedixisse, & panem illum benedictum distribuisse, quidque distribuat disertè addidisse, dum hoc esse corpus suum pronunciat. Non ergo verum, nec verisimile est, Christum nudum panem Discipulis suis distribuisse, aliàs verbis fallacibus eos ludificasset. 2. Traditum pro vobis. *Panis nullo modo potest dicit traditus pro nobis, sed Christi corpus. Ergo panis secundum* τὸ ῥητὸν *non est corpus, sed symbolicè.* Respon. inuertimus: Illud Christus in cœna distribuit, quod pro nobis in mortem traditum. Iam verò nudus panis non est pro nobis traditus, sed corpus Christi est pro nobis in mortem traditum. Ergo, non nudum panem, sed corpus suum distribuit. 3. Poculum est Nouum Testamentum *non propriè sed per metonymiam. Ergo nihil impedit, quin similiter metonymia sit in his verbis, hoc est corpus meum.* Resp. poculum non simpliciter dicitur Nouum Testamentum, sed additur, in Christi sanguine, id est propter Christi sanguinem, cuius est κοινωνία. Corinth. 10. versic. 16. Matthæus & Marcus ita efferunt: *Hoc est sanguis meus Noui Testamenti*, quæ collatio τὸ ῥητὸν confirmat. Poculum non significat Nouum Testamentum, sed Nou. Testament. quomodo? non per se & in se, sed in Christi sanguine, quem bibentibus exhibet. 4. *Christus ipse panem comedit, non tamen corpus suum.* Respon. quæ verò Scriptura hoc asserit, quod de mystico pane vnà cum Discipulis Christus participarit? 5. *Hoc facite in mei recordationem: Ergo Christus non corporaliter ori præsens, sed spiritualiter fidei cordis adest.* Respon. confunduntur substantialia Cœnæ, & eius salutaris fructus. Cœna instituta ad Christi commemorationem. Hoc facite, inquit, in mei commemorationem. Ergone Christus à cœna absens? imo vero quia instituta est cœna in Christi recordationem. Ergo reuera ibi præsens ipse suum corpus distribuit. 6. *Donec veniat, Ergo Christus absens corpore.* Resp. discessit & hic est, redibit nec nos deseruit. Christi è cœlis reditum expectamus, & nihilominus corpus eius in Cœna distribui credimus, vtrumque enim in verbo suo nos credere iubet. 7. *Christus non dixit, sub specie panis vel in pane, sed hoc, id est, hic panis est corpus meum.* Resp. hypothesis est falsa, quod particula, *Hoc*, denotet solum panem.

An pugnet cum natura Sacramentorum.

161. *Tertio* pugnare dicitur τὸ ῥητὸν cum Natura *Sacramentorum, in quibus ponenda analogia inter signum & significatum, quæ nulla esse potest, si panis est propriè corpus Christi*: Resp. de quolibet Sacramento iudicandum est ex eius in propria sede descriptione, neque confingenda sunt generalia de Sacramentis vtriusque Testamenti pronunciata ἄτερ χραφῆς. Ac quid impedit ponere analogiam inter panem & corpus Christi, etiamsi illud reuera sit præsens in terra?

An nouus sensus congruat cum locis similibus

162. *Quarto* nouus ille sensus dicitur congruere *cum locis similibus* Genes. 17. versiculo decimo. *Hoc est fœdus meum inter me & vos: Circumcidetis carnem præputij vestri, vt sit signum fœderis*: Respon. procedit à particulari: ibi ponitur fœdus pro signo fœderis. Ergo etiam in verbis cœnæ corpus pro signo corporis. Præterea quando dicitur, *circumcisio est fœdus*, describitur circumcisio à sua forma, & sic circumcisio est fœdus, hoc est, Sacramentum & fœderalis actio, sicut etiam Baptismus est fœdus. Quando postea dicitur, *Circumcisio est signum fœderis*, describitur sacramentum circumcisionis ex suo fine, sicut Rom. 4. dicitur, *Circumcisio est sigillum iustitiæ fidei*, nimirum efficaciter eam obsignans, perinde vt Augustin. conf. art. 13. Sacramenta dicit esse *testimonia & signa diuinæ voluntatis*. 2. 1. Cor. 10. v. 4. *Bibebant ex spirituali petra, petra autem erat Christus.* Resp. loquitur Apostolus de spirituali petra quæ Israëlitas comitabatur, hæc vero non significabat Christum, sed erat ipse Christus: ex hac spirituali petra bibebant omnes, hoc tamen discrimine, quod impij in typo duntaxat, pij verò in typo & fide simul bibebant. 3. Roman. 4. versic. 11. *Et signum accepit circumcisionis*, quod obsignaret iustitiam fidei. Resp. disertè

Apostolus signi vocem ita explicat, quod per eam obsignans σφραγὶς intelligatur. 4. Exod. 12. vers. 11. *Agnus est transitus.* & mox capit. 13. versic. 9. *Agnus est signum transitus.* Resp. neutra propositio in Mose legitur, multo minus expositio nocturni monitoris locum habet. Ac si vel maximè concederetur, circumcisionem certa ratione significasse fœdus, petram significasse Christum: tamen id ad cœnæ negotium applicari non patereturmur discrimen Sacramentorum Veteris & Noui Testamenti: illis propriæ erant σκιαὶ & figuræ, sed in his locum habet εἰκὼν & ipsa rei olim adumbratæ substantia. 5. Actor. 22. versiculo 16. *Baptismus est ablutio peccatorum.* Respon. nomine Baptismi intelligitur Sacramentum integrum non tantum externa ablutio, sed etiam additum Elemento Verbum de regeneratione, adoptione, & vita æterna: atque hac ratione Baptismus non significat peccatorum ablutionem, sed verissimè est lauacrum regenerationis. Vbi vero Scriptura dicit, ablutionem aquæ in Baptismo significare ablutionem à peccatis? alibi hac de re plenius. 6. Iohann. 6. versicul. 35. *Ego sum panis vitæ.* Respon. Christus est panis vitæ, non metonymicè, sed metaphoricè sumto vocabulo Panis. Si in verbis Christi est talis metonymia Sacramentalis, quæ erit eorum paraphrasis? nimirum hæc, *Christus significat panem vitæ*: imò verò non significat, sed verissimè est panis ille vitæ, qui spirtualem nostram esuriem satiare potest. 7. 1. Corinth. 10. versicul. 16. *Poculum benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi? panis, quem frangimus, nonne communicatio corporis Christi? id est, signum communionis.* Respon. quæ vero hæc fingendi licentia, communicationem sumi pro signo communicationis? vbi ergo tandem Scriptura disertè & perspicuè loquitur de Cœna? & quæ hæc erit paraphrasis? Panis est communicatio corporis Christi, id est, panis est signum communicationis signi corporis: ita enim volunt in verbis cœnæ vocabulum Corporis pro signo corporis accipi debere, & sic panis erit signum signi. Quin potius ex hoc loco Apostolico firmissimum potest desumi argumentum pro nostra sententia, quod panis mysticus non sit significatio corporis Christi absentis, sed potius præsentis communicatio.

An nouus sensus congruat cum præceptis Logica.

163. *Quinto* nouus ille sensus congruere dicitur cum *præceptis Logicæ: nam disparatum de disparato non dicitur, nisi per tropologiam.* Respon. falsa recurrit hypothesis, quod vocula *Hoc*, denotet solum panem; præterea num tropus in hisce propositionibus, Deus est homo, Homo est Deus? Non quid Logicæ præceptis, sed quid Christi verbis conueniat, quærendum: τὰ ἡμέτερα ὑπὲρ λόγου, ait Iustinus. Denique nouus ille *sensus congruere dicitur cum recepta loquendi consuetudine, Si ponimus fasces pro imperio, sceptrum pro regno, togam pro pace.* Resp. quis vero scriptor sic loquitur, Fasces sunt imperium, sceptrum est regnum, toga est pax?

An nouus sensus congruat cum recepta loquendi consuetudine

CAPVT XI.

Propter absurdum rationis humanæ non esse discedendum à regula fidei.

164. *Redeamus post hanc digressionem, quam in* huius problematis de Scripturæ interpretatatione ἐργασίᾳ instituere voluit iste Scriptor, ad nostrum institutum. Diximus regulam fidei acceptandam esse integram, neque eius partes sibi inuicem opponendas, siquidem articuli fidei in sensu proprio & literali accepti non repugnant sibi inuicem, sed humana ratio sibi figit contradictiones, atque hic est fons omnium hæresium. Tertull. aduers. Prax. c. 18. *Non periclitatur Scriptura, vt illi de tua argumentatione succurras, ne sibi contraria videatur. Habet rationem, & cùm vnicum Deum statuit, & cùm duos patrem & Filium ostendit & sufficit sibi.*

Ratio humana in articulis fidei

165. *Nimirum iudicium de vera contradictione in* articulis fidei non est permittendum humanæ rationi, aliàs Scripturæ Magistra stattueretur, cùm tamen nec voluntatis nec potestatis diuinæ pernoscendæ regula sit idonea. *Non illius*, quia Deum nemo vidit vnquam, Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarrauit nobis, Iohann. 1. versicul. 18. *Non huius*, quia Deus ὑπερπερισσοῦ *potest facere plus quàm intelligimus.* Eph. 3. versic. 20. *captiuandum ergo* πᾶν νόημα *sub obsequium Christi.* 2. Corinth. 10. versiculo quinto, & cauendum, *ne depræ dationem patiamur à Philosophia.* Col. 2. versic. 8.

Philosophia in sacris vsus.

166. *Procliuis hic est lapsus, ideo non abs re futurum*, si de vsu Philosophiæ in Scripturæ interpretatione dicamus vberiùs. Vsus eius potest esse triplex. Ὀργανικὸς, κατασκευαστικὸς, καὶ ἀνασκευαστικὸς. Organicus vsus est, si Grammaticam vocum proprietatem, Dialecticam ordinis obseruationem, Rhetoricam figuratum expositionem, & Physicam rerum naturalium cognitionem ex disciplinis Philosophicis hausiam ratio nostra secum afferat ad eruendum diuinæ sapientiæ thesaurum in Scripturis reconditum. Vsum hunc commendamus quàm maximè, imo vero necessarium esse dicimus: atque hûc referenda sunt encomia illa, quæ Philosophiæ, præsertim vero Logicæ, tribuuntur veteribus satis honorifica, Aug. 1. contra Cresc on. capitul. 15. vers. 20. 2. de doctr. Christ. c. 31. 3. contra Academ. c. 13. Basil. super 5. Esa. &c.

I. Ὀργανικὸς.

167. *Quod ad vsum* κατασκευαστικὸν *attinet, ita* habendum. Est quædam naturalis Dei notitia Rom. 1. versic. 19. & 20. illa vero subordinari debet illi, quæ diuinitus in verbo reuelata est: sicubi dissentit, illi cedat: in quibus consentit, robur & certitudinem ab ea accipit. *Breuiter*, tanquam famula & ministra illi Dominæ inseruiat & reuerenter assurgat. Gerson. lib. 1. de consol. Theolog. prof. 1. *Philosophia non abiicitur à Theologia, sed in obsequium ab eadem sumitur*, quò etiam pertinet Philonis allegoria lib. de Cherub. qui Philosophiam Agari, Sarę autem Theologiam comparat.

I. Κατασκευαστικὸς.

168. *Disputat Scaliger exercit. 6. sect. 3. artificem ab artificie quæstiones, enunciata, effata, conclusiones duplici modo accipere. Vnus est, cum inferioris cognitio pendet omnino à principiis superioris, quod fit in scientiis subalternis. Alius modus est, cum artifex ea, quæ ab alio posita sunt, admittit, quæ etiam sine ipso cognosceret, sed non tanquam suorum principia, neque perinde ab illo probata, quasi ipse probare non posset, sed vt examinet ac iudicet.* Posteriori hoc modo Theologus à Philosopho quædam accipit. Theorema enim istud, *Deum esse*, Theologus à Philosophia acceptat, non quasi absque principiis Philosophiæ ex Scriptura tanquam principio suæ scientiæ εἰκείῳ illud cognoscere non possit, sed quia in examine ad normam sui principij veritatem eius animaduertit. Gerson. lib. 3. de consol. Theol. prof. 4. *Theologia doctrinas Philosophiæ, si veræ sunt, si rectæ, si salutares, approbat, vtens eis iure suo & Catholicas reddens: si tenebrosiores sunt, illuminat: si noxiis erroribus mixtæ sunt, separat pretiosum à vili, illud retinens, aliud exterminans.*

2. Ἀνασκευαστικὸς. 169. Ἀνασκευαστικὸς seu ἐλεγκτικὸς vsus vt legitimus sit, ita comparatus esse debet. Confutandę prius sunt erroneæ doctrinæ & Scripturæ sacræ fundamentis tanquam vnico & proprio Theologiæ principio, postea etiam addi possunt rationes Philosophicæ, vt ostendatur, falsum illud dogma repugnare non solum lumini gratiæ, sed etiam lumini Naturæ. Verùm vbi dogmatis alicuius veritas ex immotis Scripturæ sacræ fundamentis firmiter demonstrata fuerit, nullis rationibus Philosophicis, quantumvis speciosis, ab ea nos deduci patiamur.

Vetustatis hac de re dicta. 170. *Pertinent hûc pia vetustatis dicta.* Iustin. quæst. 117. *Fieri non potest, vt eorum, quæ supra Naturam diuina sunt potentia, ratione naturali astruatur assertio.* Tertul. de præscript. *Quid Athenis & Hierosolymis? quid Academiæ & Ecclesiæ? quid Hæreticis & Christianis? nostra institutio de porticu Salomonis est.* Chrysost. hom. 5. super. 1. Corinth. *Ex Philosophia res diuinas intelligere velle, est candens ferrum non forcipe, sed digitis contrectare.* Idem. hom. 21. in Gen. *Magnum est periculum, res fidei committere rationibus humanis.* Ambrosius super Psalm. 118. *Nihil nobis cum Philosophia, ne & fidem nostram per Elementa huius mundi traducat à vero. Sic Arianos in perfidiam incidisse cognouimus, dum Christi generationem putant vsu seculi colligendam reliquerunt Apostolum, sequuntur Aristotelem.* lib. de fide cap. 5. *Auser argumenta, vbi fides quæritur.* Bernhard. Epistol. 109. *Quid magis contra fidem, quam credere nolle, quod non possis ratione attingere? Laudatur Maria, quod rationem fide præuenit, & punitur Zacharias, quod fidem ratione tentauit.* Iunil. li. 2. quæst. cap. 30. *Ea quæ ratio docet, fides intelligit: & vbi ratio deficit, fides præcurrit.* Ansh. in Epistol. de fide ad Vrban. Pap. capitulo secundo. *Si quis potest intelligere, Deo gratias agat, si non potest, non immittat cornua ad ventilandum, sed submittat caput ad venerandum:* vnde concludit Altiosod. in præfat. summæ. *Apud Aristotelem argumentum est ratio rei dubiæ faciens fidem, sed apud Christum argumentum est fides faciens rationem.*

Philosophorum hac de re sententia. 171. Quid quod ipsimet Philosophi hoc quodammodo agnoscunt? Plato in Timæo dicit, *eatenus Philosopho de rebus diuinis aliquid confirmandum, quatenus idipsum diuinis Oraculis confirmetur.* In Phædro dicit, *homines duobus vehiculis verarum rationum ab erroribus ad scientiam reduci, quorum vnum sit per demonstrationem cognitarum rerum, quemadmodum cognoscendi vocat* διὰ δείξιν: *alterum diuinitùs ad nos descendentem veritatem, quem* θεῖον λόγον *nominat* ibidemque concludit, *humanam sapientiam præ illa, quæ ab oraculis habetur, nihili faciendam esse.* Idem referente Theophrasto Æneæ Gazæi pag. 720. in operibus Philonis, *eò vsque sibi credendum dixit, dùm quis ipso sapientior aduenat, at DEO nemo sapientior.* Aristoteles λόγως καρτερικωτέρως (per quos autoritatem diuinam quidam intelligunt) alicubi excipit, & propter eos *assensum suspendi* non improbat. In Metaph. laudat tritum illud Simonidis: *de rebus diuinis & præter Naturam soli DEO credendum esse.* 1. anal. cap. 7. cont. 59. requirit, *vt sit terminorum συζυγία in apodixi*, nec fiat μετάβασις εἰς ἄλλο γένος: ἀνάγκη ἐκ τοῦ αὐτοῦ γένους τὰ ἄκρα καὶ τὰ μέσα εἶναι. Alphraganus Arabs lib. 1. protrep. voluit *res diuinas & pura fide credibiles altioris esse ordinis, à quarum comprehensione debilitentur rationes humanæ, ne illas queant assequi*, referente Petro Gregor. in comm. art. mirabil. capitulo primo, pag. 11. Pulcrè Scaliger. exerc. 77. sect. 2. *Quæ supra leges Naturæ, ex Naturæ legibus non sunt iudicanda.* Exerc. 365. sect. 3. *Tanto pejus quidam ex Theologis istis, qui veterum decempeda immensos religionis nostræ agros metiri posse sibi persuaserunt*, sect. 9. *Interest & nostra pietatis & DEI immensitatis ea sentire, quæ sentire non possumus, sentire quidem in ipso, per ipsum, quæ per nos sentire nequeamus.* Erasmus affert exemplum pulcerrimum in Symbol. Catech. 2. pagin. 43. *Si quis idiota tali Philosopho, qualis fuit Aristoteles aut Pythagoras, aut si quis fuit doctior vtroque de materia prima, de rerum principiis, de Infinito aut de cœlestium orbium magnitudine, motu, vique differendi obstreperet, ambigens de omnibus, quæ non posset assequi, nonne audiret arrogans & insaniens? at quanto maior est insania, ideo non credere diuinæ Philosophiæ, quod multa non assequatur humanus intellectus? porrò inter Deum & hominem quantumvis eruditum discrimen est infinitis partibus maius, quàm inter hominem sapientissimum & rusticum stolidissimum.*

Caluinianorum confessio. 172. Vis veritatis assensum eorum meruit: quos non vbique hoc ipsum obseruare conqueri-mur. Caluin. libr. 3. Institut. capitul. 23. sectio 4. *Indignum est ad eam legem opera DEI redigere, vt simul ac eorum ratio nobis non constiterit, improbare audeamus.* Beza in epigramm. pagin. 249. *Quæ voce nobis prodidit Deus sua, Ratione sciri non queunt humanitùs.* Sadaël in præfat. oper. Theolog. de Meth. disp. Theolog. *Cùm Theologia sit supra omnes scientias, eam subiici principiis Philosophicis non ineptum modo, verum etiam iniquissimum ac indignissimum est.* Aret. part. 1. problem. 2. *Quæ est ista petulantia, diuina mysteria communibus Naturæ legibus obnoxia facere, quæ cum sint omni humanæ rationi inexplicabilia, adoranda potius quam ventilanda?* Zanch. 5. de Natura Dei capitul. 2. pagin. 620. *Verbum Dei & humana prudentia semper inter se pugnant.* Petrus Martyr. classe 2. loc. commun. capitul. 1. §. 25. *Primum id, quod credi volumus, ostendi debet ex sacris literis, deinde si id assequi non possumus, fide nitemur, rationem seponemus.* Morn. præfat. lib. de vera relig. *Tantum abest, vt humana ratio fidei sit mensura, vt ne naturæ quidem propter ignorantiam & ptauitatem esse possit.* Idem præfat. libr. de Euch. pagin. 44. *Thomas doctrinam suam directè ad Scripturam restringit, quam hoc ab illis abhorrens, qui ex Philosophiæ alicuiusmvę disciplinarum principiis disputare volunt contra illam Logicæ regulam, μὴ μεταβαίνειν εἰς ἄλλο γένος, ab vna ad aliam scientiam ne transeas, cum secundum verum Logicæ vsum nostra ratiocinatio è principiis vnius scientiæ theoremata, ex his corollaria ad eandem pertinentia deducere debeat.* Hæc illi rectissimè.

An aliquid in Philosophia verum quod in Theologia falsum. 173. *Ergone, inquis, verum aliquid in Philosophia,* quod in Theologia falsum? Respon. egimus hac de re in disputatione quadam Metaphysica de Vero, ex qua transcribemus, quæ hûc pertinent. Idem simul verum & falsum esse nequit, scilicet per se & ὡσαύτως. Nullum enim Ens simul est & non est. Tamen verum Philosophicè dicunt quidam falsum Theologicè. Intelligendum id certo respectu, scilicet ratione vitiosæ applicationis. Virgo parit, virgo non parit: contradictoria hæc per se non sunt. Posterius enim intelligitur naturaliter secundum ordinarium naturæ cursum, de iis enim quæ fiunt naturaliter & ordinariè, agit Physica, ideò cum hac limitatione eius axiomata sunt accipienda. Prius intelligitur fieri per supernaturalem & extraordinariam Dei potentiam. Si quis ergo prius opponere velit posteriori, abutitur eo axiomate: ἀφιλοσόφως enim est particulare & secundum quid accipere vt vniuersale & simpliciter. Nihil quod naturale opponendum supernaturali: Natura enim non

opponitur suo creatori. Naturæ Dominus Deus est, Natura ministra est, Quam fas est Domini iussa verenda sequi. Nec vsus rei extendit se latiùs, quàm res ipsa, Principia autē Philosophica sunt naturalia.

174. *Inuerso igitur & peruerso ordine agunt*, qui literalem sensum in aliquo fidei articulo ex principiis Philosophicis impugnant: Non enim deserendus est in articulis fidei literalis sensus propter absurdum rationis. Gryn. disp. Heid. de Cœna thes. 25. & 26. Bucan loco 48. pag. 711. distinguunt inter rationem corruptam, & eam quæ post regenerationem spiritualis facta: ad illam referunt, quæ in Scripturis dicuntur de captiuando intellectu sub obsequium Christi, de cauenda Philosophiæ συλαγωγία, &c. huic autem fidem non esse derogandam dicunt, cum post regenerationem facta sit πνευματική. Quid hac de re statuendum?

Ratio corrupta & regenerata.

175. *Respon. Considerari rectè potest & debet humana* ratio dupliciter. Vno modo in opibus suis, quas suopte ingenio, suis vsa principiis, vt sunt communes notiones, sensus, experientia, inductio, acquisitas habet; altero in iis, quas sinu suo aliunde nempe reuelatione diuina excipit. Seu vno modo vt est relicta sibi & soluta, altero vt est intra orbem verbi diuini conclusa & castigata. Seu vno modo, vt sine freno discurrit, quando suis fertur logismis, quocunque pedes ferunt: altero vt sub freno discurrit, refrenata per verbum Dei & sub obsequium Christi restricta. Seu, vno modo, qualis est & in homine & Philosopho, qua est homo & Philosophus: altero qualis est in homine vel Philosopho Christiano, non qua est homo simpliciter vel Philosophus, sed qua est Christianus homo & Christianus Philosophus, quemadmodum dexterrimè istæc proponit & explicat Dn. Schrod. de princip. fid. cap. 1. sect. 2. §. 3.

Homo renatus oppugnans literalem sensum, an hoc faciat secundum rationem renatam.

176. *Iam ergo quæstio est, quando homo iam renatus ex* principiis rationis oppugnat literalem sensum in articulis fidei, an hoc facere dicendus sit secundum rationem renatam? Respon. minimè vero, etiamsi enim talis hominis ratio renata sit, tamen quatenus ex suis principiis vult disputare contra fidei articulos, eatenus non amplius est renata, quia renata ratio ex verbi principiis disputat. Quia ex rationis principiis contra mysteria fidei disputat, facit id non qua Christianus, sed qua homo abutens Philosophia. Vt ergo, *qui ex Deo natus est, peccatum non facit* 1. Ioh. 3. v. 9. nimirū quatenus talis est & quatenus regenerationis gratiam retinet; si vero concupiscentias carnis sequi velit, peccat & fit morti obnoxius, Rom. 8. versic. 13. ita renata ratio non aduersatur fidei articulis, nimirum quatenus talis est, & quatenus ductum verbi sequitur, si vero ex suis principiis verbum Dei velit oppugnare, errat & non amplius est renata.

Exemplum.

177. Declaremus rem exemplo, quod etiam superiùs adhibuimus. Quæritur, *Sitne corpus Christi verè, realiter & substantialiter in cœna præsens?* Affirmant Ecclesiæ nostræ, quia Christus dicit: *Accipite, manducate, hoc est corpus meum.* Negant contra aduersarij ex hoc principio, quia verum & naturale corpus non potest simul & semel esse in pluribus locis. Addunt, rationem renatam non posse aliter de corpore statuere, testimonium ergo eius audiendum esse. At, inquam, ratio renata (quatenus talis) de articulis fidei statuit ex Dei verbo, & limites eius non egreditur. Iam vero Dei verbum hoc est: *Accipite, manducate, hoc est corpus meum.* Si ratio contra hoc Christi verbum ex suis principiis disputat, non amplius renata est, sed suum sequitur ductum, ac tam non audienda est, quam non audiri debet Philosophus contra resurrectionem corporum disputans ex illo principio: Nullum indiuiduum quod semel interiit, idem numero redire potest: vel Anti-Trininitarius disputans contra mysterium Trinitatis ex hoc principio: *Vnum non potest esse trinum.* Vel Arianus contra æternam Filij generationem disputans ex hoc principio: *Genitum posterius est generante.*

Obiectio.

178. At, inquis, ratio contra præsentiam corporis Christi in cœna disputans, non nititur simpliciter suis principiis, sed Scripturæ pronunciato de veritate corporis Christi. Respon. non solum in vno Scripturam audire debet, quod scilicet Christus habeat verum corpus, sed etiam in altero, quod scilicet verum Christi corpus in cœna adsit. Fidei regula acceptanda est integra. Non hîc quæritur, an Christi corpus sit verum corpus, sed hoc quæritur, an stante corporis veritate, inde rectè inferatur, Deum non posse facere, vt verum illud corpus in cœna sit præsens. Dicunt, Natura corporis non admittit, est enim finitum: quæro vnde sciant, hoc aduersari Christi corpori, vt sit simul in pluribus locis præsens? certè ex rationis principiis. Scriptura enim dicit contrarium: vltima ergo resolutio argumenti redit ad pronunciatum ex principio rationis deductum, idque vitiosè opponitur verbis Christi. Tollatur proinde latibulum sophisticum, quod sibi parare volunt in distinctione illa inter rationem renatam, siue, vt loquuntur, spiritualem, & non renatam.

Basilij obseruatio.

179. Huius loci est obseruatio illa quam D. Basilius in Epistol. quadam proponit, ne ex eo quod scriptum est, temere colligamus, quod non est scriptum. Rectè quidem Nazianze. 5. Theol. dicit, *ea quæ colliguntur ex sacris Scripturis perinde habenda esse, ac si in illis scripta essent*, sed magna hic cautione opus est, furtim sæpè ratio humana sese ingerit, & ad sua inuenta Scripturam proprio arbitrio accommodat. Sit ergo regula. Quicquid ex Scriptura colligitur, quod aliis Scripturæ manifestis locis repugnat, id minus legitimè collectum esse statuendum.

CAPVT XII.

De conciliatione τῶν ἐναντιοφανῶν.

De Conciliatione locorum.

180. *Atque hæc de fidei regula dicta sunto, vberiùs* quidem, sed ita requirebat res ipsa: de reliquis agemus breuiùs. Diximus suprà, obscuritatem in quibusdam Scripturæ locis ex eo oriri, quod videntur cum aliis textibus pugnare. Etsi enim nulla omnino vsquam est vera contradictio in Scripturis sacris, teste Chrysost. hom. 1. in Gen. siquidem πᾶσα γραφὴ (*sacra illa*) *est θεόπνευστος*: tamen apparens contrarietas atque ἐναντιοφανὲς quoddam sæpiusculè sese offert. August. 5. de Gen. ad lit. cap. 8. *Conandum est efficere, ne aliqua absurditas vel repugnantia putetur esse in sacris Scripturis, quæ offendat lectoris animum.* Origen. super 3. Roman. *Contraria quæ videntur esse in sacra Scriptura, contraria non esse debet ostendere, qui fideliter & integrè sacrorum voluminum colligit sensum.*

181. *Ad conciliandam illam apparentem* contrarietatem, hoc remedij adhibendum est, vt cuiusque loci verum & genuinū sensum ex ipsis verbis & circumstantiis

ſtantiis inquiramus. Etenim, quia vera contradictio locum in Scripturis non habet, ideo quamprimum de genuino cuiuſque loci ſenſu conſtat, ſublata eſt omnis, quæ ineſſe videbatur, contrarietas, *Ambiguitas & repugnantia, quæ videtur in ſacris literis, ex ipſius textus conſequentibus & adiunctis tollenda eſt.* Auguſtin. 3. de doctr. Chriſt. cap. 2. l. 1. de Gen. ad lit. c. vlt.

Regula generalis.

182. *Conciliationis τῶν ἐναντιοφανῶν eſto hæc regula.* Si qua videtur locis quibuſdam inter ſe collatis intercedere contrarietas, doceatur, oppoſitionem eſſe non eiuſdem rei, ſed nominis tantùm, vel non ſecundum idem, vel non ad idem, vel non eodem modo, vel non eodem tempore. Sic Matth. 10. verſic. 10. prohibet Chriſtus, ne Apoſtoli accipiant *peram ad iter, neque binas tunicas, neque ſoleas, neque baculum*: huic videtur contrarium, quod Marci 6. verſic. 8. dicitur: *Et præcepit eis, vt nihil ſumerent ad iter niſi virgam tantùm, non peram, non panem, non as in zona, ſed vt calcarentur ſandaliis.* Conciliatio: Apud Matthæum, intelligitur baculus, qui ad defenſionem armat, apud Marcum virga, quæ viatores leuat. Soleæ apud Matthæum nouæ ſunt, quæ ad iter ſtudiosè comparantur; ſandalia apud Marcum non ſunt noua, ſed ea quæ pedibus quotidiè teruntur. Dici etiam poteſt, ſermonem Chriſti apud Marcum intelligendum eſſe comparatè. Si vel maximè nec baculo nec calceis inſtructi ſint, quæ tamen cumprimis videntur ad iter neceſſaria, tamen in propoſito eas non debere impediri.

Regulæ ſpeciales reſpectu circumſtantiarum.

183. Generali huic regulæ ſpeciales addi poſſunt quàm plurimę, quę ratione circumſtantiarum in certas claſſes diſtribui poſſunt. Sunt autem hæ circumſtantiæ. Perſona [quæ loquitur, ad quam, de qua, coram qua loquitur] Occaſio [Conſilium, finis] Tempus, Locus, Modus.

1. Perſona.

184. *Ad circumſtantiam perſonæ pertinent hæ regulæ.* 1. Perſonæ in Scripturis ſæpè ſunt binomines. Hier. adu. Helu. Sic Gedeon, Ierubaal Iud. 6. verſic. 32. Et Ierubeſeth, 2. Sam. 11. verſ. 21. Sic Abimelech, 1. Sam. 21. verſic. 3. Et Abiathar, Marc. 2. v. 26. Sic Salomon. 1. Sam. 12. verſ. 24. Et Iedidia v. 25. Sic Simon & Petrus Cephas. 2. Diſtinctæ perſonæ ſæpè ſunt vnomines: Exempla ſunt in Genealogia Chriſti à Matthæo & Luca deſcripta. 3. Filiatio eſt vel naturalis vel legalis, naturalis fit generatione, legalis adoptione. Sic Lucas in deſcribenda genealogia Chriſti, ſequitur ordinem naturalem, Matthæus legalem. 4. De renatis pronunciantur diuerſa, quia duos quaſi in ſe habent homines, veterem ac nouum. Sic renati dicuntur *venundati ſub peccatum*, Rom. 7. v. 14. ſcil. ratione veteris hominis: renati *peccatum non faciunt*, 1. Ioh. 3. v. 9. ſcilicet ratione noui hominis. 5. De Chriſto quędam dicuntur ſecundum diuinam Naturam, quædam ſecundùm humanam, quædam ſecundùm vtramque, &c.

2. Concilij finis, occaſiones.

185. Ad circumſtantiam Conſilij, Finis & Occaſiones pertinet hæc regula. *Intelligentia dictorum ſumenda ex cauſis dicendi.* Hilar 4. de Trin. Sic Chriſtus Matth. 19. v. 21. iuueni in ſchola Phariſæorum inſtituto, & de perfecta legis impletione falsò glorianti, proponit hoc ſpeciale præceptum, *vt omnia vendat ac pauperibus diſtribuat, atque hoc modo Chriſtum ſequatur*; nimirum voluit Chriſtus hominem conuincere, quod primum præceptum de Deo ſuper omnia diligendo non impleuerit. Sic territis & contritis proponit Chriſtus Euangelium, ſed Scribam meritorum opinione turgidum remittit ad legem Luc. 10. v. 26.

186. De circumſtantia temporis multæ tradi poſſunt regulæ, verum enim illud vetus, diſtinguè tempora & concordabis Scripturas. 1. Quædam dicta agunt de tempore exinanitionis, quædam de tempore exaltationis Chriſti. 2. Tempus ſumitur vel completè, vel incompletè. 3. Eiuſque partes ſumuntur vel incluſiuè vel excluſiuè. Sic Math. 17. verſic. 1. Sexto vero pòſt die aſſumit Ieſus Petrum, &c. Luc. 9. verſic. 28. *Factum eſt autem poſt hæc verba quaſi dies octo, &c.* Matthæus excluſiuè ponit tantum intermedios dies, qui integri fluxerunt. Lucas extremos etiam dies incluſiuè connumerat. 4. *In numero perfectiori ſæpè quod deeſt vel ſupereſt, non computatur.* Auguſt. quæſt. 47. in Exod. Sic Iudic. 11. verſic. 26. dicitur, Iſraël habitaſſe in Hesbon & Areer *trecentos annos*, cùm tamen exacta computatio plures offerat. Sic & vulgò dicuntur LXX. Græci Interpp. cùm tamen ſint LXXII. 5. Numerus finitus ponitur aliquando pro infinito. *Septies in die cadit iuſtus, Septies in die pſallam tibi, &c.* 6. In ſupputationibus ſacris propter impietatem Principis vel nomen eius vel numerus annorum, quibus malè adminiſtrauit regnum, omittuntur. 1. Sam. 13. verſ. 1. *Saul duobus annis regnauit ſuper Iſraëlem*, ſubaudi legitimè, vel vt inquit Lyra *de iure*. 7. Rex vel externo bello vel ſenio vel morbo impeditus, ſi Proregem filium viuus conſtituit, tùm in computationibus annorum Patris & Filij ſimul regnantium, anni regiminis aliquando coniunctim, aliquando ſeparatim ſumuntur. Huius regulæ vſus eſt in colligendis Regum Iſraeliticorum annis. 8. Sic quod Marci 15. ver. 25. dicitur, *Erat hora tertia quando crucifixerunt Ieſum*: & Io. 19. v. 14 *Erat hora quaſi ſexta, tùm dicit Iudæis: Ecce Rex veſter*: id variis modis conciliant. Quidam agnoſcunt vitium Græci Scriptoris, qui pro 5 pinxerit 3: quidam diſtinguunt inter actionis initium & complementum. Auguſtin. *Iudæi crucifixerunt Chriſtum hora tertia lingua, milites hora ſexta manibus.* Videtur autem ſimpliciſſima conciliatio, quod Oriętales variè diſtinxerint diem artificialę, tũ in horas æquales duodecim vulgò planetarias: tùm etiam in quadrantes [ſicut noctem in quatuor vigilias] qui ab hora proximè præcedente denominãtur.

3. Temporis.

187. *De circumſtantia Loci agunt hæ regulæ.* 1. Vni loco in Scriptura ſæpè duo tribuuntur nomina. 2. Dictinctis locis ſæpè vnũm tribuitur nomen. Sic Ieruſalem, Iebus & Salem vnam denotant vrbem. Cana fuit duplex. Succoth nomen trium locorum, primus in Ægypto eſt, Exod. 12. verſicul. 37. alter in tribu Gad. Ioſ. 13. verſicul. 27. tertius in tribu Manaſſis 1. Regn. 7. verſicul, 46. 3. Scriptores ſacri ſæpè locum denominant ea appellatione, quæ fuit vſitata eo, quo ipſi vixerunt & ſcripſerunt, tempore. Sic Gen. 12. verſic. 5. *poſtea refigens inde ad montana profectus eſt verſus orientem tractum Bethelis.* Locus ſic dictus eſt Moſis temporibus, Abrahami vero non Bethel, ſed Luz, Gen. 28. v. 19. &c.

5. Loci. 1. 2. 3.

6. Modi.

188. *De circumſtantia Modi itidem multæ tradi poſſunt regulæ.* 1. Sic quædam dicuntur ἁπλῶς, quædam κατὰ τί. 2. Quædam ſimpliciter, quædam comparatè. Parentes ſunt *honorandi*, & tamen certo reſpectu ſunt *odio habendi*. Luc. 14. verſicul. 26. id eſt, autoritas ipſorum eſt poſtponenda, videlicet ſi quid contra cœleſtem Patrem iubeant. 3. Dicta ſpecialiter derogant generalibus ſicut & ICti dicunt: *in toto iure generi derogatur per ſpeciem.* 4. Moralia præferuntur Ceremonialibus. Secunda legis tabula cedit primæ. 6. Quędam loquuntur de rei Natura per ſe, quædam vero intelliguntur dicta per accidens. Sic Chriſtus dicit,

1. 2. 3.

se veniſſe non vt pacem mitteret, ſed gladium, Luc. 12. v. 51. Nimirùm quia Satan & impij excitant perſecutiones contra Chriſti doctrinam. Hactenus de regulis in conciliatione ἐναντιοφανῶν obſeruandis, quarum plures diligens & fidelis Scripturæ interpres colliget, nobis hîc ſufficit monſtraſſe fontes.

189. *Vnum adhuc de locorum conciliatione monemus*, optimam eſſe conciliandi rationem, ſi poteſt ex Scriptura quaſi arbiter dari, videlicet tertius aliquis Scripturæ locus, qui illos pugnantes concordet, aut conciliationem à nobis allatam diſertè comprobet. *Sic* renati ſunt *ſub peccatum venundati*, Ro. 7. v. 14. *& renatus peccatum non facit*, 1. Ioh. 3. v. 9 quomodo hæc conciliandа? Reſpõdet Apoſtolus Ro. 7. v. 22. *Condelector legi Dei ſecundùm interiorem hominem*. v. 23. *Video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me legi peccati, quæ eſt in membris meis*. Sic Legis & Euangelij doctrinæ videntur contrariæ, ſed Apoſtolus ſe arbitrum conſtituit. Rom. 3. v. 30. *Num legem deſtruimus per fidem? abſit, ſed legem ſtabilimus*. Gal. 3. v. 21. *Num lex aduerſus promiſſa Dei? abſit*. Sic videntur contradictoriæ: *Circumciſio eſt obſeruanda*. Gen. 17. verſ. 14. *Circumciſio non eſt obſeruanda*. Act. 15. verſ. 24. Chriſtus ſe arbitrum conſtituit Matth. 11. verſ. 13. *Lex & Prophetæ vſque ad Iohannem*.

CAPVT XIII.

De remediis obſcuritatis ex rebus vel phraſibus ortæ.

De amoliendа obſcuritate orta, 1. Ex rebus.

190. Si quæ Scripturæ loca per ſe & ſeorſum ſumta obſcura ſunt, vel propter res, vel propter verba. Ad amoliendam ex rebus natam obſcuritatem præter Spiritus S. illuminationem ſeriis precibus impetrandam, vtile eſt tenere certa quędam in quouis doctrinæ Chriſtianæ articulo axiomata, quæ ſint veluti cynoſura & norma, ad quam reliquorum pertractatio exigenda. Axiomata talia poſſumus dicere Catechetica vel Elementaria, vulgò dicuntur regulæ Theologicæ. Colligi v. poſſunt ab induſtrio & fideli Scripturæ Interprete iuxta ſeriem locorum Theologicorum. Præibimus exemplo.

191. *In articulo de Deo hæc ſunt obſeruanda axiomata. Opera Trinitatis ad extra ſunt indiuiſa*, ſeruato tamen ordine & diſcrimine perſonarum. Aug. Epiſt. 99. 1. de Trinit. c. 5. & alibi paſſim. Athan. orat. contra greg. Sabell. &c. Eſſentialia attributa tribus Deitatis perſonis ſunt communia. *Nihil eſt in Deo, quod non ſit ipſe Deus*. Bernh. 5. de conſid. ad Eugen. *Illud quod operatur, eſt vna tribus communis eſſentia*. Nazian. orat. 2. de Theolog. Opera, quæ Deus facit extra omnem creaturam intra ſeſe non ſunt communia tribus perſonis, ſed vnius tantùm perſonæ. Oratio excluſiua de vna perſona Deitatis vſurpata non excludit alteram. Cyrillus. Deus inconfusè vnus & indiuisè trinus. In diuinis non ſeparemus ſubſtantiam, neque confundamus perſonas. ὁ φθάνω τὸ ἓν νοῦσαι, καὶ τοῖς τρισὶ παραλάμπομαι, ὁ φθάνω τὰ τρία διελεῖν, καὶ εἰς τὸ ἓν ἀναφέρομαι. Nazianz. de S. Baptiſm.

192. *In articulo de Chriſto hæc proponuntur axiomata. Propria Naturæ ſunt communia perſonæ*. Vigil. lib. 2. contra Eutich. Theod. Dial. 3. in Chriſto eſt ἄλλο καὶ ἄλλο, ſed non ἄλλος καὶ ἄλλος Damaſc. 3. de orth. fide c. 5. *In operibus Mediatoris vtraque Natura agit cum communicatione alterius*. Conc. Chalc. *Quæcunque in tempore Chriſto data dicuntur, ſecundum humanitatem data intelligantur*. Athanaſ. & veteres paſſim.

193. *In articulo de lege hæc ſunt axiomata*. Quicquid accuſat & damnat peccatum, pertinet ad legem, ſiue in V. ſiue in Nou. Teſt. vſurpetur. Leges forenſes & ceremoniales in Nou. Teſt. ſunt abrogatæ. Lex moralis non in Sina primùm propoſita, ſed cordibus hominum ante lapſum inſculpta. Renati non ſunt ſub maledictione legis, interim non ſunt liberi ab obedientia. Leges morales ſub peccato nominatim deſinito omnia peccata eiuſdem generis, cauſas eorum, occaſiones, irritamenta & oppoſitas virtutes ſignificant. Regula & menſura obedientiæ in præceptis affirmatiuis eſt, *Diliges Deum ex toto corde*: In negatiuis, *Non concupiſces*. Deus non ſolùm manui & externis membris, ſed toti homini imperat. Promiſſiones & minæ legi additæ cum conditione ſunt intelligendæ, illæ cum conditione perfectæ obedientiæ, hæ cum conditione reſipiſcentiæ. Promiſſiones huius vitæ piis datæ intelligendæ ſunt cum exceptione crucis.

194. *In loco de Eccleſia hæc ſunt axiomata*. Quia Eccleſia militante boni permixti ſunt malis, hinc ſæpè pronunciatur aliquid de tota Eccleſia propter partem eius nobiliorem. *Hîc cum Hieroſolymitanis habitat Iebuſæus, hîc in horto patrisfamilias ſimul ſunt ſalinca & abies, vrtica & mirtus, in grege Iacobi animalia alba & nigra, agni & hædi, in reti Petri piſces boni & mali, in agro Domini lilia inter ſpinas, in area Domini granum cum palea, in cella Chriſti vinum cum agreſta, oleum cum amurca*. Chryſoſt. *Sacra Scriptura aliquando loquitur ex perſona capitis Eccleſiæ, ſcilicet Chriſti, aliquando ex perſona corporis*. Auguſtin. in Pſalm. 40. *Extra Eccleſiam non eſt ſalus*, non habet Deum in cœlis patrem, qui non habet Eccleſiam in his terris matrem. Aug. 4. de ſymb. c. 10. Coniuncta hæc ſunt & intimè connexa Deus, Verbum, Fides, Eccleſia, Salus & Vita æterna. &c. Plura in his ipſis atque aliis doctrinæ Chriſtianæ locis axiomata poterunt colligi, nobis ſufficit digito ad fontes intendiſſe.

2. Ex verbis & phraſi.

195. Quę ex verbis & phraſi conciliatur Scripturæ obſcuritas, illi Grammatica vocum expoſitio, obſeruatio idiotiſmi in lingua originali, & Rhetorica troporum ac figurarum explicatio mederi poſſunt.

Cognoſcendæ igitur fideli Interpreti linguę, quibus Vetus & Nouum Inſtrumentum perſcriptum, qua de re diximus in Diſputatione de Scriptura. Prodeſt ergo colligere regulas quaſdam iuxta certas claſſes, quibus Hebrææ linguæ idiotiſmi explicantur. Exemplo iterum præibimus.

196. Notum eſt, quomodo Grammatici partes Orationis diſtribuant, iuxta earum ordinem colligendę ſunt regulæ. De nominibus ſunt hæ regulę. Propria frequenter in Scripturis ſumuntur pro patronymicis & gentilibus, *vt Iſmaël, Eſau, Iacob, Iſraël* pro tota poſteritate.

Accidentis valde proprij nomen pro re ipſa ponitur, vt *arida* pro terra: *deſiderabilia* pro theſauris: Nomen ſępe ponitur pro Aduerbio, *Iudicate iuſtitias*, i. e. iuſtè. *Abſorpta eſt mors in victoriam*, id eſt, victoriosè deſtructa. Abſtracta nomina ſępè ponuntur pro perſonis: Sic *Præputium* pro gentibus, *Circumciſio* pro Iudæis, &c.

197. *De verbis hæ ſunt regulæ*. Verba notitiæ apud Hebręos ſępè connotant affectum cordis. *Nouit Dominus viam iuſtorum*, i. e. approbat, promouet. Verbis Neutris Hebręi in tertia coniugatione vtuntur tranſitiuè

sitiuè. *Deus Solem oritur*, i. e. oriri facit, *triumphat nos in Christo*, triumphare facit. Simplicia sæpè vsurpantur pro compositis, *vocare* pro inuocare. Verba sæpè accipiuntur habitualiter. Sic *peccare* non solùm actionem, sed & habitum quandoque connotat. De Participiis hæ traduntur regulæ: Participia sæpè ponuntur pro Nominibus: Sic πειράζων *tentans* pro tentatore. Participium præsens vsurpatur pro præsenti Indicatiui, *gloriantes* pro gloriamur. De Aduerbiis hæ sunt regulæ. Aduerbia sæpè vsurpantur pro Nominibus, *dies cras*, id est, crastinus, Aduerbium Donec ita notat alicuius rei durationem vel existentiam, vt interim neutiquam innuat postea desiisse aut contrarium consecutum esse, &c. Tales regulas conuenit colligere plurimas, qua de re vide Flacium p. 2. Clauis tract. 3. Abdiam Prætorium de phrasibus scripturæ. Obseruandi etiam idiotismi non solùm in Orationis partibus absolutè positi, sed etiam in regimine. Exurgat vero aliquis linguarum peritus, qui absolutum quid hac in parte nobis præstet, sufficit hic fontes monstrasse.

198. *Tropicè ac figuratè dicta ex Rhetorum præceptis* explicanda sunt. Habet autem Scriptura peculiares quasdam figuras, qua de re videatur Flacius parte 2. Clauis tract. 4. Sic Anthropopathia dicitur, cùm Deo tribuuntur membra & affectus humani. Possùt iuxta certas classes colligi regulæ quib. tropi & figuræ in Scriptura vsitatæ explicantur. Synecdoche Scripturæ sacræ est vsitatissima, per quã *vox generalis significat specialiter & contra: nihil pro parum, nullus pro paucis, æternum pro longo tempore*. August. 6. contra Iul. cap. 12. vbi obserua restrictiones in fidei articulis ex ipsa Scriptura demonstrandas. Sic quando dicitur, Christum pro omnibus passum esse, non sufficit dicere, voculam Vniuersalem, *Omnis*, accipi pro multis. Ergo etiam hoc loco. Minimè vero, sed ostendendum, quòd in hac ipsa materia restrictiuè sumatur. Dictum enim superiùs in articulis fidei non esse discedendum à verborum proprietate, nisi ipsa Scriptura ostendat, & explicet improprietatem. Enallage præteriti pro futuro frequens est in oraculis Prophetarum propter rei prædictæ certitudinem. Ellipsis significat vel breuitatem vel celeritatem affectuum. Pleonasmus significat vel vim & emphasin, vel multitudinem, vel distributionem, vel diuersitatem & varietatem. Exurgat hîc aliquis, qui itidem absolutum quid nobis hîc præstet, sufficit hîc fontes monstrare.

Parabolæ & similitudines.

199. De parabolis & similitudinibus (quæ nihil aliud sunt, quàm continuatæ metaphoræ) obseruandum, quòd eadem res quandoque in bonam, quandoque in malam partem similitudinis possit suppeditare. Sic fermentum in bonam partem accipitur, quando Christus dicit: *Simile est regnum cælorum fermento*: contra vero in malam, quando dicit: *Cauete à fermento Pharisæorum*. Item in parabolis non omnes semper partes, nec simpliciter, in proposito argumento accommodari possunt, sed diligenter obseruandum, quid per analogian quadrare vel ad scopum præsentem maximè collimare possit. Chrys. super 20. Matth. *In parabolis non sunt vrgenda singula verba & membra præter & extra institutum, ad quod in Scriptura adhibentur, nec inde extruenda sunt alia dogmata, quam quæ Scriptura inde sumenda demonstrat*. Cæterum figuratas & parabolicas locutiones illustriores facit notitia rerum, cùm vel animantium vel lapidum vel herbarum Naturæ sunt perspectæ. Vide Lemnium de herbis Biblicis, & διεσκεφίαν Biblicam.

200. Ad vim verborum ac phrasium, adeoque ad veram Scripturæ intelligentiam plurimum confert locorum collatio, qua loci tanquam paralleli iuxta se ponuntur, vt sensus eorum clarius eluceſcat. Act. 9. v. 22. *Saulus magis inualescebat & cõfundebat Iudæos, qui habitabant Damasci* συμβιβάζων collatis testimoniis (sicut artifices aliquid compacturi solent singulas partes aptare inter se, vt alię aliis ad amussim quadrent) *demonstrans eum esse Christum*. *Locorũ collatio.*

201. Hanc locorum collationem commendant Patres. Origenes super 13. Matt. *Comparantes ad comparabilia quandam sermonis similitudinem idem declarantis habentia, tum in sensibus tum in dogmatibus, vt in ore duorum, triumve vel plurium testium è Scriptura citatorum fundetur & confirmetur omne Dei verbum*. hom. 24. in Num. *Faciliùs in Scripturis quod quæritur, inuenitur si ex pluribus locis, quæ de eadẽ re scripta sunt, proferantur*.

202. Pertinet hûc præceptum illud, vt obscuriora per planiora, pauciora per plura explicentur. Iren. lib. 2. cap. 47. *Parabolæ consonant iis, quæ manifestè dicuntur, & quæ manifesta sunt, absoluunt parabolas*. Tertull. *Oportet secundum plura intelligi pauciora & ne vnus sermo alia multa subuertat, secundum omnia potius, quàm aduersus omnia accipiendus erit*. Basil. in ascet. reg. 267. τὰ ἀμφίβολα καὶ ὑπεκαλυμμένως εἰρῆσθαι δοκοῦντα ἐν τισὶ τόποις τῆς θεοπνεύστου γραφῆς ὑπὸ τῶν ἐν ἄλλοις τόποις ὁμολογουμένων σαφηνίζεται. August. 2. de doctr. Christ. c. 9. *Ad obscuriores locutiones illustrandas de manifestioribus sumantur exempla, & quædam certarum sententiarum testimonia dubitationem de incertis auferant*. 3. de doctr. Christ. c. 26. *Vbi sententiæ apertiùs ponuntur, ibi discendum est, quo modo in locis intelligantur obscuris*. Hier. super. 19. Esai. *Moris est Scripturarum, obscuris manifesta subnectere, & quod prius sub ænigmatibus dixerunt, apertæ voce proferre*.

203. *Collatio locorum duplex est. Prima dati loci cum seipso alibi in sacris literis repetito*. Sic Esai. 6. v. 10. *Fac vt pingueſcat cor populi huius, &c.* hic locus sexies in N. T. reperitur. Matth. 14. v. 13. Marci 4. v. 12. Luc. 8. v. 10. Io. 12 v. 40. Act. 28. v. 27. Rom. 11. v. 8. Habent autem loci repetiti interdum quasdam variationes tum ἐξηγήσεως, tum breuitatis gratia. Psal. 110. v. 1. *Sede ad dextram meam, donec posuero inimicos tuos scabellum pedum tuorum*. 1. Cor. 15. v. 25. *Oportet Christum regnare, vsque dum posuerit omnes inimicos eius sub pedibus eius*. Sic Deut. 6. v. 13. *Iehouam Deum tuum timebis & ipsi seruies*. Mat. 4. 10. *Dominum Deum tuum, adorabis, & illi soli seruies*. Sic Esai. 29. v. 13. *Reuerentia eorum erga me præcepto hominum*. Matth. 15. v. 9. *Frustra me colunt docentes doctrinas mandata hominum*. Talium locorum collationi inseruiunt Paral. Franc. Iunij. Obserua hic regulam, quam proponit D. Chemnic. li. 2. Harmon. c. 17. *Quando in Nouo Testamento sententia aliqua ex Veteri Testamento allegatur, non tantum verba illa, qua allegantur, considerentur, sed inspiciatur totus locus, vt pars illa diligentius consideretur*. 1. *Dati loci cum seipso alibi repetito.*

204. *Huc quodammodo pertinet collatio typi cum antitypo*, & prædictionum cum earum complemento. Ionæ 1. v. 7. *Parauerat Iehouah piscem magnum, qui absorberet Ionam, & fuit Ionas in visceribus illius piscis tribus dieb. & tribus noctibus*. Mat. 12. v. 39. *Natio mala & adulterina signum quærit, & non dabitur ei nisi signum Prophetæ Ionæ, &c.* Sic Psal. 99. v. 22. *Dederunt pro alimento meo amarorem, & in siti mea bibendum mihi dederunt acetum*. Ioh. 19. v. 28. *Vt perficeretur Scriptura, dixit, Sitio*. v. 29. *Vas igitur illic erat posito aceto plenum*. Sic Exod. 12. v. 46. *Os non confringetis ex eo*. Ioh. 19. v. 26. *Facta enim hæc sunt, vt impleretur Scriptura, non confringetur os eius*. Qui hæc rectè obseruabit, *erit Scriba doctus ad regnum*

cælorum, proferre potens ex thesauro suo vetera & noua. Matth.13.v.52.

2. *Dati loci cum aliis.*

205 Secunda collatio est dati loci cum aliis vel similaribus vel dissimilaribus. *Loci similares sunt*, qui vel phrasi vel sententia congruunt. *Sic* quoad phrasin congruunt Gen. 3. versic. 15. *Semen mulieris conteret caput serpentis*: Roman. 6. versic. 15. *Deus conteret Satanam sub pedes vestros.* Talibus locis exquirendis inseruiunt Concordantiæ Hebrææ, Græcæ, Latinæ & Germanicæ, extant enim omnibus hisce linguis.

206. Quoad sententiam congruunt loci longè plurimi, vna enim eademque res, vnum idemque doctrinæ cœlestis caput sæpius repetitur in sacris literis διὰ τῆς συμφωνείας καὶ ἀσφαλείας. Deut.6.v.4. *Audi Israël, Dominus Deus tuus vnus est.* 1.Cor.8.v.6. *Etsi sint, qui dicantur Dij nobis tamen vnus est Deus.* Hisce exquirendis inseruit Thesaurus Vogelij, Syntagma Iudicis, Pandectæ Brunfelsij, &c. Exurgat vero aliquis, qui fidei articulos omnes & singulos ita pertractet, vt omnes & singuli Scripturæ loci, qui de vna eademque re tractant, sub vnum aliquod caput referantur, & ἐναποφαίνῃ ipsis Scripturæ verbis & fundamentis explicentur.

207. Loci dissimilares sunt, qui vel phrasi vel sententia non congruunt. Expedit enim non solum conferre ea Scripturæ loca, in quibus eadem vox in eadem significatione vsurpatur, sed etiam talia, in quibus eadem vox & phrasis aliter vsurpatur. Quod si sententiâ non congruere videntur quædam loca, adhibeatur prudens & fidei analoga conciliatio. Fateri autem coguntur quiuis intelligentes magnum illum Chemnicium in locorum collatione artificem esse fermè ἀμίμητον.

CAPVT XIV.

De remediis obscuritatis ex contextu ortæ.

3. *Obscuritas orta ex toto contextu.*

208. Hactenus de obscuritate, quam verba vel phrases Scripturæ conciliant: si qua ex toto contextu & habitu orationis exurgit, illa obseruatione scopi, circumstantiarum, connexionis membrorum, & modi loquendi Scriptori cuiuis vsitati amouebitur: hoc enim est ἀνακεῖσθαι τὰς γραφὰς Act.17.v.11. *Attendere lectioni* 1.Tim. 4. v. 13. *Meditari in lege Domini*, Psalm.1. vers. 2. ἐρευνᾶν τὰς γραφὰς, Iohann.5. versic. 39.&c.

209. Audiamus hac de re præcepta Patrum. Clemens Alexand. 7. Strom. *Hæreticorum proprium est γράμμα γραφῆς ἐ τελείας, ἀλλ' ὡς τὸ σῶμα καὶ τὸ ὕφος τῆς περιπετείας ὑπαγορεύει.* Augustlib.83.qq. 69. *Solet circumstantia Scripturæ illuminare sententiam, cùm ea quæ circa Scripturam sunt, præsentem quæstionem cõtingentia diligenti discussione tractantur.* Idem de verb.Dom. serm. 2. *Legat inferiora & superiora, & inueniet sensum, quem prauus volebat malè interpretari.* Hilar.9 de Trin. *Dictorum intelligentia ex præpositis aut ex consequentibus expectetur.* Cyril lib.8.thes.c.2. *Ante omnia, quando locum Scripturæ rectè intelligere volumus, tria diligenter considerandasunt, tempus, quando scriptum est, quod scribitur: persona, quæ dicit vel per quam dicit, aut de qua dicitur: & res propter quam aut de qua scribitur.* Chrys. super Psal.2. *Vt absque fundamento imbecillis est ædificatio, ita nisi inuento scopo Scriptura est inutilis.* Lactant.4.diu. Inst.c. 5. *Qui veritatem studet comprehendere, non modò intelligendis Prophetarum vocibus animum debet intendere, sed etiam tempora, per quæ quisque illorum fuerit, diligentissimè inquirere.*

210. Scopus totius Scripturæ est Christus, illum vt in Scripturis inueniamus, præcipua debet esse cura. Apostolus *se nihil aliud nouisse iudicauit, quàm Christum eumque crucifixum.* 1.Cor.2.vers.2. *Omnes Prophetæ ipsi perhibent testimonium.* Act. 10.v.43. *In Mose, Prophetis & Psalmis de ipso scriptum.* Luc.24.v.44. Ἐρευνᾶτε τὰς γραφὰς, *dicit Saluator*, Ioh.5.v.39. *Putatis enim vos in illis vitam æternam habere, & illæ sunt, quæ testificantur de me.* Quemadmodum fossores metallorum solicitè venas auri argentive perquirunt: ita veram illam venam vitæ Christum in Scripturis debemus ἐρευνᾶν. Augustract.9.in Ioh. *Non sapit vetus Scriptura, si non Christus in ea intelligatur.* Super Psal.71. *Omnia quæ scripta sunt in sacris literis, ad Christum referuntur.* Nec incommodè ad scripta Prophetica & Apostolica referes, quod de veteribus Christianis dicit Prudentius: *Omnia de Christo, per Christum cuncta loquuntur.*

211. Scopus cuiusque loci & capitis ex diligenti eiusdem examine patefiet. Dicit Apostolus 1.Tim.1. vers.7. de seductoribus, *quòd non attendant qua de re loquantur, neque quid de ea affirment vel negent.* Vult ergo nos tenere & obseruare Naturam propositionum, quodnam sit subiectum aut prædicatum, definitiones singularum rerum, totasque materias & argumenta vel integrorum scriptorum, vel etiam singularum partium.

212. Huius loci est obseruatio illa, quod sit cuiusque dogmatis quasi certa & propria sedes alicubi in Scriptura, alibi vero tantum attingitur. Statuendum autem de quouis dogmate ex propria eius sede, nec loca illa, in quibus tantum ὡς ἐν παρόδῳ obiter & incidenter de eo agitur, vrgenda sunt contra tractationem in propria sede propositam. *Sic* doctrina de Iustificatione ex professo & velut in propria sede tractatur, Roman.3. & 4.Eph.2.Gal.2. & 3. Reliqua ergo Scripturæ loca, quæ de Iustificatione agunt, ad eam exigenda sunt. *Articuli de cœna* propria sedes est Matth. 26. Marci 14.Luc.22.1. Cor. 10.& 11. ex illis ergo locis doctrina de cœna hauriatur, non ex locis peregrinis.

213. Posset etiam hoc loco disseri in genere de stylo sacrarum literarum, itemque in specie de libris Historicis, Dogmaticis & Propheticis V.T. de Euangelicis & Apostolicis libris Noui Testamenti, quæ sit in his omnibus styli diuersitas, quid in quibusque ipsorum peculiare & proprium, sed aspiramus tandem ad finem. Videri autem possunt hac de re Aug. lib.4. de doctr. Christ. Iunil. de partibus sacr. literar. Pagninus in Isagoge ad Biblia, Flacius parte 2. Clauis tract.5.& alij passim.

CAPVT XV.

De tribus requisitis generalibus, vt media interpretationis sint fructuosa.

Media Interpretationis prædicta vt sint fructuosa, requiruntur,
1. *Oratio*
2. *Meditat.*

214. Atque hæc de mediis Interpretationis dixisse sufficiat, quæ vt sint efficacia, salutaria & fructuosa, requiruntur tria hæc: Oratio, Meditatio, & Tentatio, de quibus omnibus agit Propheta Regius Psal.19 per totum. *De Oratione* diximus superiùs. *Meditationis* nomine intelligimus frequens & assiduum Scripturarum studium ardenti Spiritus feruore susciendum. Beatus ille est, qui in lege Domini meditatur die ac nocte. Psal.1. vers. 3. vbi est

vox.

vox הגיון quam Reuchlinus ex R. Ioseph dicit metaphoricam esse, desumtam ab auibus, quæ mussitant, & sic duplicem habere significationem, primo diligenter meditari, secundo perpetuo differere. *Timotheus* ab infantia sacras literas nouerat, 2. Tim. 3. v. 15. *& tamen iubetur ab Apostolo* lectioni attendere, 1. Tim. 4. versic. 13. *Frequens namque diuinarum Scripturarum lectio earundem parit intellectum.* Theoph. in Epistol. Rom.

215. *Fugienda ergo cumprimis præcox illa δοξοσοφία*, qua scioli, vbi semel quippiam in Scripturis legerint, & limpidissimos illos [profundos tamen] Israëlis fontes saltem attigerint [tanquam canis è Nilo] perfectam & omnibus numeris absolutam earum cognitionem nimis festinanter sibi pollicentur: contra quam δοξομανίαν sæpè detonat D. Lutherus. *In legendis* [inquit] *Scripturis nunquam nimis diligens fueris: quæ diligenter legeris, nunquam nimis accuratè intellexeris; quæ probè intellexeris, nunquam nimis fideliter alios docueris: quæ fidelissimè docueris, vitæ exemplo nimis sedulo nunquam expresseris.*

216. *Ad Meditationis caput pertinet etiam hoc præceptum*, vt consulantur alij Interpretes, præsertim veneranda illa priscorum Ecclesiæ Doctorum canicies. Etsi enim ipsorum Interpretationes non sunt authenticæ, aut Scripturis Canonicis exæquandæ: tamen grata mente pij ipsorum labores agnoscendi sunt & prædicandi. 1. Thessal. 1. v. 16. *Spiritum nolite extinguere.* v. 20. *Prophetias nolite spernere.* v. 21. *Omnia probate, quod bonum est, tenete.* Nec frustra Deus purioris Antiquitatis testimonia conseruasse existimandus, sed vt essent adminiculum quoddam ad Scripturę sententiam inuestigandam, & vt perspecta vera sententia ex Scripturis piorum animi magis confirmentur. Quid enim iucundius, quam illam *doctrinæ consanguinitatem* [vt loquitur *Tertul.* de præscr.] intueri, quam habent Ecclesiæ nostræ cum prisca illa Patrum?

217. *Pertinent huc, quæ scribit Aug. contra duas Epistol.* Pelag. l. 4. c. 8. *Cum Pelagianorũ profanas vocum nouitates Ecclesia Christi & occidentalis & orientalis horruerit, ad curam nostram existimo pertinere, non solùm Scripturas sanctas Canonicas aduersus eos testes adhibere, quod tam satis fecimus: verum etiam de Sanctorum literis, qui eas ante fama celeberrima & ingenti gloria tractauerunt, aliqua documenta proferre, non quò Canonicis libris à nobis vllius Disputatoris æquetur autoritas, tanquam omnino non sit, quod melius seu verius ab aliquo Catholico, quam ab alio itidem Catholico sentiatur, sed vt admoneantur, qui putant istos aliquid dicere, quemadmodum de his rebus ante noua istorum vaniloquia Catholici Antistites diuina eloquia secuti sint, & sciant à nobis rectam & antiquitus fundatam Catholicam fidem cõtra recentem Pelagianorum hæreticorum præsumptionem perniciemque defendi.* Sit ergo in cõspectu exemplum Hieronymi, qui de se scribit Ep. ad Miner. *Meum iudicium est antiquos legere, probare singula, retinere quæ bona sunt, & à fide Ecclesiæ non deuiare*, Luther. super Genes. cap. 2. pag. 27. *Labores Patrum venerari decet, fuerunt magni viri, sed tamen homines, qui labi potuerunt & lapsi sunt.*

3. Tentatio. 218. *Tentationis nomine intelligimus praxin, quam Epiph.* libr. 2. tom. 1. hæres. 61. pag. 221. in Græco vocat αἴδεσιν. Πάντα [inquit] τὰ θεῖα ῥήματα οὐκ ἀλληγορείας δεῖται, ἀλλὰ ὡς ἔχῃ θεωρείας ἢ δεῖται ἢ μιᾶς νοήσεως, εἰς τὸ εἰδέναι ἑκάστης ὑποθέσεως τὴν δύναμιν. Quod si αἴδεσις coniungatur Theoriæ, consequetur illud, quod scribit Aug. de scala Parad. c. 2. *Lectio inquirit, Meditatio inuenit, Oratio postulat, contemplatio degustat, vnde ipse Dominus dicit*: Quærite, & inuenietis, pulsate, & aperietur vobis. *Quærite legendo, & inuenietis meditando: pulsate orando, & aperietur vobis contemplando. Lectio quasi solidum cibum ori apponit, meditatio masticat & frangit, oratio saporem acquirit, contemplatio est ipsa dulcedo, quæ iucundat & reficit: Lectio in cortice, meditatio in adipe, oratio in desiderij postulatione, contemplatio in adepta dulcedinis delectatione.* Bernh. de modo orandi col. 1252. *Lectio quasi fundamentum primo occurrit, & data materia mittit nos ad Meditationem. Meditatio v. quid appetendum sit, diligentius inquirit, & quasi effodiens thesaurum inuenit & ostendit, sed cum per se obtinere non valeat, mittit nos ad orationem, oratio se totis viribus erigens ad Dominum impetrat desiderabilem thesaurum contemplationis suauitatem: hæc autem aduenies prædictorum trium laborem remunerat, dum cœlestis roris dulcedinis animam sitientem inebriat.*

219. Illam siue tentationem siue αἴδεσιν siue praxin siue contemplationem docendi gratia statuimus duplicem. Aliam in exercitiis pœnitentiæ, fidei, orationis & pietatis, vt hæc omnia sint seria, & ex interiori homine procedant: aliam in cruce & calamitatibus, tum interioribus [quas Apostolus nominat *pauores*, 2. Cor. 7. v. 5. vulgo dicuntur tentationes spirituales] tum exterioribus siue calamitatibus. Nisi duplex hæc praxis & interior quasi gustus Scripturarum accedat, ieiuna & sterilis erit earum tractatio.

220. *Bonum est Domine, quod corripuisti me, vt discerem iustificationes tuas*, dicit Psaltes Psal. 119. v. 71. *Vexatio dat intellectum*, dicit Esaias c. 28. v. 19. optima ergo diuinæ agnitionis via est schola crucis & calamitatis. *Schola crucis est schola lucis.*

221. Non est nobis animus, diuini verbi efficaciam à dignitate vel qualitate ministri suspendere [nouimus enim *parum referre, vtrum aqua ad areolas irrigandas per canalem lapideum, an vero per argenteum transeat*, Augustin. tr. 5. in Iohann. *Qualiscunque sit minister exterior, Spiritus S. est operator interior*, Haymo in homil. Pentec.] interim vt ministro ipsi vtilis, & auditoribus magis fructuosa sit Scripturæ tractatio, praxin illam & interiorem diuinæ dulcedinis gustum [vt loquitur Psal. 34. v. 9.] meritissimè requirimus.

222. Si vis me flere, dolendum est. Primum ipsi tibi, ait Horat. de arte poët. ita etiam si vis me accendere, tibi prius ardendum. Lignum flammæ capax non deflagrat, nisi admoto igne, & ipse prior debet piè affectus esse, qui vult pios affectus in aliis ciere. Ex corde ascendant oportet quæ in aliorum corda descendere debent, & quæ interior homo profert, illa quoque interioris hominis aures percellunt. *Nunquam Pauli sensum ingredieris*, ait Bernhard. in sermon. ad fr. in mont. *nisi Pauli Spiritum imbiberis.*

223. Si quis diligenter consideret, *ait Sauanorola* lib. 3. de scient. diuis. p. 800. *percipiet Scripturam potiùs puritate cordis, operibus boni, contemplatione & Spiritus S. illustratione, quam vi ingenij addisci.* Rectè proinde Gerson. prosa 4. de consol. Theol. libr. 4. concludit, quod *Theologia* [nuda notitia Theologiæ] *non admixta fidei, spei, & caritati instet & officiat. Vt ergo apud Ciceronem orator describitur, quod sit vir bonus dicendi peritus: ita Theologum nominamus virum bonum in sacris literis eruditum, non quidem eruditione solius intellectus, sed multò magis affectus, vt ea quæ per Theologiam intelligit, traducat per iugem ruminationem in affectum cordis, & executionem operis. Quemadmodum enim* [sunt adhuc verba Gersonis] *ratio, dos hominum præclarissima, vertitur reprobis ad suam aliorumque perniciem, vinum quoque*

quantò meliùs, tantò furiosiores eos, qui ad sobrietatem ipso non vtuntur, reddit, non vitio vini, sed potantium: idem de Theologia dicendum.

224. *Si quis voluerit voluntatem Patris facere*, inquit Christus Io. 7. vers. 17. *cognoscet de doctrina mea, vtrum ex Deo sit, an ego à me ipso loquar. Quomodo potestis credere*, dicit iterum Ioh. 5. v. 44. *qui gloriam ab inuicem accipitis, & gloriam, quæ à solo Deo est, non quæritis? Sapientia non intrat animam maleuolam, nec habitat in corpore peccatis subdito*, dicitur Sap. 1. v. 4. *Timor Domini initium sapientiæ*, dicitur in Scripturis non semel. Cogita accuratè, quid sibi velint hæc dicta, Et inuenies, res Christianæ religionis longè melius habituras, si culturæ hominis interioris magis incumberemus, qua de re diximus in præfat. Meditat. sacrarum, & suo loco forsan plura dicemus.

225. *Perpende quid de hac re Martyr ille Christi Ignatius* scripserit Epist. 11. ad Eph. pag. 63. ἄμεινόν ἐστι σιωπᾶν καὶ εἶναι, ἢ λαλεῖν καὶ μὴ εἶναι. ὠφέλιμόν ἐστι σιωπᾶν ἄνθρωπον, ἵνα λαλήσῃ καὶ μὴ εἶναι. ὁ ἐν λόγῳ τοῦ Θεοῦ βασιλείαν Θεοῦ, ἀλλ' ἐν δυνάμει. Καλόν τὸ διδάσκειν, ἐὰν ὁ λέγων ποιῇ. ὃς γὰρ ἀληθῶς ἐστι διδάσκαλος, ὃς ἐποίησεν καὶ ἐποίησεν ἃ ἐδίδαξεν ἐν τῇ σιωπῇ αὐτοῦ. ὁ Κύριος ἡμῶν καὶ ὁ Θεὸς Ἰησοῦς ὁ Χριστὸς ὅσῳ μᾶλλον ἐσιώπησεν τοῦ πατρός, τοσούτῳ μᾶλλον ἐποίησεν ἃ ἐδίδαξεν. Iustin. Mart. in paræn. *Non in verbis, sed in factis res nostra religionis consistunt.* Hæc illa priscæ Ecclesiæ lumina, cùm adhuc maior haberetur respectus conscientiæ, quàm scientiæ, cordis quàm oris.

Animorum purgatio.

226. *Posset quis animi gratia hûc referre*, quæ de animorum purgatione ad diuinorum cognitionem necessaria prisci tradunt Philosophi.

Trismegistus in 1. serm. Pimandri interrogatus, quo pacto quis ad vitam possit ascendere, respondit, *id fieri posse cùm homo mentis particeps seipsum animaduerterit. Neque enim omnibus adesse mentem, sed iis tantum qui pij, boni, puri, religiosi, sanctique sunt, quique concedunt corpus morti suæ, sensuum illecebras fastidientes, lætifera putantes sensuum lenocinia, aditum turpibus blanditiis intercludentes, libidinumque fomites extinguentes, contra vero abesse ab ignaris, inuidis, improbis ignauis, iniquis, homicidis & impijs, & ab eis procul admodum habitare.* Idem in 7. ser. Pimandri. *Imprimis oportet vestem, quam circumfers, exuere, indumentum insciitiæ, prauitatis fundamẽtum, corruptionis vinculum, velamen opacum, vtuam mortem sensitiuum cadauer, sepulchrum circumuectile, domesticum denique furem, qui dum blanditur, odit, dum odit, inuidet. Huiusmodi est quod circumfertis vmbraculũ inimicum. Ad seipsum te deorsum raptat, ne fortè conspiciens veritatis decorem, ac proximum bonum, huius oderis prauitatem, neve huius insidias, quas in te assiduè machinatur, aliquãdo persentias. Hoc autem interiorem sensuum hebetat atq; obtũdit, crassa illam materia suffocat, abominabili fastidiosaque ebriat voluptate, ne audias vnquam, nevè perspicias ea, quæ iure & audienda sunt & imprimis inspicienda.* Idem in 2. parte Pimandri serm. 1. *Nisi te Deo æquaueris, Deum nunquam intelliges. Nam simile semper à suo simili cognoscitur.* Ibid. *Exuendus à corpore animus, non per veram separationem, sed per voluptatum sensibilium mortificationem, vt diuina quis valeat intelligere, & vt in Deum possit transmutari, deificandus est animus, hoc est, reddendus Deo quàm similimus.* Idem ibid. *Extende teipsum in magnitudinem sine termino, emerge ex corpore, totum supergredere tempus, æternitas esto: Sic Deum denique noueris.*

227. *Hanc Trismegisti Philosophiam imitati sunt reliqui.* Zoroaster in orac. *Homo quodammodo Deum contrahit in seipsum, quando nihil retinens mortale totus diuinis haustibus inebriatur.* Ib. *Cùm duo præcipuè animi morbi sint, ignorantia videl. & malitia seu improbitas, duo quoque requiruntur expultores aut Medici constantes, doctrina videlicet atque vitæ puritas.* Idem dicit, *conscendendum esse vehiculum quoddam, vt illuc redeat anima, vnde venit. Vehiculum autem hoc nihil aliud, quam mentis eleuatio in Deum.* Pythagoras: *Nemo de Deo sine lumine loqui audeat.* Extat Lysidis Pythagoræi Epist. ad Hipparch. de purgat. ante Philosophiam necessaria; qua docet, *omnia vitia ab animis expellenda, vt quis veram nanciscatur humanarum diuinarumque rerum cognitionem.* Plato in Sophista purgationem hanc nihil aliud esse dicit, *quam quod paruum est, ab animo eiicere, reliquum vero seruare.* Idem in Thæteto, *fugiendum à mundo in cœlum docuit, vt Deo quis similimus euadat, & hanc fugam dicit esse ipsam Dei similitudinem quantum in nobis est: similitudo autem vt cum prudentia sancti & iusti simus.* Proclus dicit: *his qui ad summum bonum peruenire cupiunt, non scientia & exercitatione ingenij opus est, sed animi firmitate, quiete & tranquillitate. Profectò non per scientiam aut actionem vllam ingenij exquirere summum bonum, aut ad ipsum aspirare debemus, sed offerre, commendareque nos diuinæ luci, & præclusis sensibus in illa incognita & occulta Entium vnitate quiescere.*

228. *Hæc ex priscorum Philosophia adducere voluimus*, non quasi ea omnia probemus, multò minus quasi ex illis nostra comprobare cupiamus, sed animi gratia ostendere voluimus, etiam priscos illos Philosophos [quorum plerique vsque in Ægyptum perrexerunt, vt in Mosaicis instituerentur] suam quandam animi purgationem mentis ad Deum eleuationem & illuminationem in sacrorum cognitione requisiuisse.

229. *Atque hæc de Interpretatione Scripturæ dicta sint*, vberius quidem, si chartarum numerum respicias: sed quæ rei huius præstantia, & quæ mentis nostræ imbecilliras, satis tenuiter. Animus erat plura addere, præsertim ἀξιομνημόνευτα quędam in formandis concionibus [quæ Scripturam legitimè expositam, & doctrinas ex ea collectas ad aliorum ædificationem applicant] apprimè obseruanda, sed tempus monet, gratiis Deo suppliciter peractis,

Iam luctus legere & terris aduertere proram.

DE NATVRA DEI,

Hoc est,

De diuinæ essentiæ vnitate, eiusdemque attributis.

CAPVT I.

An & quatenus Deus cognosci possit.

I.

An Deus cognosci possit.

VERE & grauiter dicit Apostolus 1. Tim. 6. vers. 16. *quòd Deus lucem inhabitet inaccessibilem, vnde eum nullus hominum viderit, sed nec videre possit.*

Hinc colligit Chrysostom. hom. 3. de incompr. Dei Nat. *Non dicit Apostolus quod Deus lux sit inaccessibilis: sed quod lucem inaccessibilem habitet: scilicit vt intelligas, quàm ipse habitans Deus inaccessibilis sit, quando domicilium, quod inhabitat, inaccessibile est.* Et paulò post: *Dicit Apostolus, quod Deus inhabitet lucem*

lucem inaccessibilem, quod longè plus est, quàm incomprehensibilem. Quod enim inquisitum inuestigatumque comprehendi non potest, id esse incomprehensibile dicimus: quod autem nec inuestigandi quidem vllo pacto operam patitur, & ad quod nemo propiùs accedere potest, id inaccessibile est.

2. Quò pertinent similia Patrum dicta. Iustinus in cohort. ad Græc. p. 29. asserit de ἀκαταληψίᾳ τοῦ Θεοῦ extare μαρτύρια πρεσβυτάτων φιλοσόφων, Ἀπόλλωνος καὶ Ἑρμοῦ· Ἀπόλλωνος, παγκρυφον θεὸν νομίζοντος· Ἑρμῆς δὲ φανερῶς λέγοντος, Θεὸν νοῆσαι μὲν ὅτι χαλεπὸν, φράσαι δὲ ἀδύνατον. ᾧ καὶ νοῆσαι δυνατὸν. Basil. lib. 1. adu. Eunom. εἶμαι δὲ οὐκ ἀνθρώπους μόνον, ἀλλὰ καὶ πᾶσαν λογικὴν φύσιν ὑπερβαίνειν αὐτῆς (τῆς φύσεως τοῦ θεοῦ) τὴν κατάληψιν: id Damasc. lib. 1. orth. fidei cap. 1. repetit, dicens: *nulli mortalium aut visam aut notam simplicissimam illam Dei essentiam, cùm soli sibi nota sit Trinitas, creatura autem nulla, ne Angelica quidem intellectum eius integrè assequatur.*

3. Sic Nazianz. orat. in patrem suum: ὁ Θεὸς φῶς τὸ ἀπρόσιτον καὶ ἀπρόσιτον καὶ ἄῤῥητον, ὅτι τῷ καταληπτῷ, ἔστι λόγῳ ῥητόν. Hilar. 1. de Trin. *Certè hoc est Deus, quod cùm dicitur, non potest dici: cùm æstimatur, non potest æstimari; cum definitur, ipse sua definitione crescit.* Arnob. lib. 3. contr. gentes. *Quicquid de Deo dixeris, quicquid tacita mentis cognitione perceperis, in humanum transibit & corrumpitur sensum, nec habet propriæ significationis notam, quod nostri dicitur verbis, atque ad negotia humana compositis. Vnus est hominis intellectus de Dei Natura certissimus, si scias & sentias, nihil de illo posse mortali oratione depromi.*

4. Hisce dictis non omnem, sed plenam, perfectam & omnibus numeris absolutam Dei notitiam homini in hac vita denegari statuamus, ea enim nomine καταλήψεως (comprehensionis) intelligitur. Hinc *Scholastici, Deus cognosci potest, sed non comprehendi:* id enim propriè comprehenditur, cuius nihil est extra, Thom. p. 1. q. 12. art. 7. *Comprehendere Deum impossibile est cuicunque intellectui creato: attingere vero mente Deum qualitercunq; magna est beatitudo, illud cõprehenditur, qd perfectè cognoscitur: perfectè cognoscitur, quod tantũ cognoscitur, quãtum est cognoscibile. Deus autem Ens infinitum, Ergo infinitè cognoscibilis. Etsi igitur Deus in se & per se purissimus est actus, ac proinde maximè cognoscibilis, tamen quod in se maximè cognoscibile, alicui intellectui non est cognoscibile, propter excessum: sicut Solis lumen intueri nequeunt vespertilionis oculi,* ibidem, art. 2.

5. Deinde denegatur his dictis humanæ menti vis illa, qua se suisque natiuis viribus ad veram & integram Dei notitiam penetrare possit, quæ verò incognita erant Naturæ, ea manifesta sunt reuelatione gratiæ, & perfectè cognoscentur olim in lumine gloriæ. Proinde *etsi Deum nemo vidit vnquam*, Ioh. 1. v. 18. *tamen Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarrauit nobis. Etsi nemo nouit Filium, nisi Pater & nemo nouit Patrem, nisi Filius*, Matth. 11. v. 27. *tamen Filius Patrem nobis reuelauit.* Etsi *quæ Dei sunt, nemo cognouit, nisi Spiritus Dei* 1. Cor. 2. vers. 11. tamen *nobis reuelauit Deus per Spiritum suum.*

6. Rectè ergo Irenæus lib. 4. aduers. hæres. c. 14. *Sine Deo non cognoscitur Deus*: quod Hilarius sic expressit 5. de Trin. *A Deo discendum est, quid de Deo intelligendum sit.*

Define, cur videat nemo sine Numine Numen,
Mirari, Solem quis sine Sole videt!

Proinde vt monet Ambrosius lib. 1. de vocat. gent. & 7. *Quæ Deus occulta esse voluit, non sunt scrutanda: quæ autem manifesta fecit, non sunt neganda, ne in illis illicitè curiosi, in istis damnabiliter inueniamur ingrati.* Theodoret. Dial. 2. τὰ κεκρυμμένα τοῦ θεοῦ ζητεῖν, ἐδὲ τὰ δεδηλωμένα παντελῶς ἀγνοεῖν.

7. Refert huc Dn. Clemnic. ex Dionys. lib. 1. de diu. nominibus: quod Filius Dei Iacobo quærenti, quodnam sit Nomen eius, quasi stomachabundus respondet: *Quid quæris nomen meum?* Gen. 32. v. 29. & Iud. 13. v. 18. *Cur quæris Nomen meum, cum sit secretum, & absconditum?* Contra verò in multis Scripturæ locis exprimitur Nomen Dei, ita vt mandetur agnosci, narrari, celebrari, inuocari. Ergo est aliquod Nomen Dei absconditum, & occultum, quod scrutari non licet: est etiam aliquod Nomen Dei patefactum quod vult agnosci, narrari, celebrari, & inuocari.

CAPVT II.

Vnde petenda sit Dei cognitio.

8. Ceterùm duo sunt, quæ in cognitionem Dei ducunt, Creatura & Scriptura, Augustin. super Psal. 34. Esse enim aliquam Dei naturalem notitiam, quæ insita est naturaliter hominum mentibus, & colligitur ex operibus Dei in creatione, atque ex vestigiis istis diuinitatis, quę sparsa sunt in tota rerum Natura, docet Apostolus Rom. 1. v. 19. τὸ γνωστὸν τοῦ θεοῦ *manifestum est in ipsis gentibus: Deus enim illis reuelauit*, v. 20. *inuisibilia enim ipsius ex creatione mundi, dum per opera intelliguntur, peruidentur, ipsaque æterna eius potentia ac diuinitas.* Rom. 2. v. 15. *Opus legis scriptum in cordibus gentilium.* Actor. 14. v. 17. *Deus non sinit seipsum expertem testimonij, beneficia conferens, de cœlo dans nobis pluuias ac tempora fructifera, &c.* Hinc Poëta: *Duo in Dei cognitionem ducunt.*

Mille viis monumenta Dei Natura dat, vllo
Non sensu artificium culture imitanda per orbem,
Quæ tibi iuxta aurem, muto licet ore, susurrent:
O homo, nosce Deum, vel me ductore, parentem!

9. Hoc sensu κόσμος τῶν ψυχῶν λογικῶν διδασκαλεῖον, καὶ τῆς θεογνωσίας παιδευτήριον dicitur à *Basilio* in Hexaëm. *Templum Dei sacerrimum à Plut.* li. de Isid. & Osir. & *Macrobio* lib. 1. in somn. Scip. cap. 14. *Vt enim Deus qui natura inuisibilis est à visibilibus sciri posset, opus factum est ab eo, quod opificem visibilitate sua manifestaret. Ambros.* super. Rom. Hinc *Antonius* dicebat, *creaturas esse librum suum, ex quo Dei cognitionem hauiret*, apud *Socratem* lib. 4. c. 23. Et *Nicephor.* lib 11. c. 34. τὸ μὲν βιβλίον (inquit) ἡ φύσις τῶν ὄντων ἐστὶ καὶ πάρεστιν, ὅτε βούλομαι τὰς λόγους ἀναγινώσκειν τοὺς τοῦ Θεοῦ. Hinc *Bernhardus* de se fatebatur: *quicquid didicerit, maximè in syluis & in agris meditando & orando se accepisse, nullos se aliquando Magistros habuisse, nisi quercus & fagos. Tertul.* de resurr. carn. *præmisit Deus Naturam magistram submissurus & prophetiam, quò facilius credas Prophetiæ, discipulus Naturæ.* Quò pertinent disputationes Scholasticorum, quòd in creaturis rationalibus sit *imago*, in reliquis verò omnibus *vestigium Dei*, Thom. p. 1. q. 45. art. 6. & reliqui super 1. sent. dist. 3.

CAPVT III.

De notitia Dei Naturali.

10. Naturalis illa Dei notitia distinguitur in *Insitam* & *Acquisitam*. *Insita* est communis illa notio de DEO, hominis cuiusque animo per Naturam, inde *Naturalis notitia.*

ab vtero inſculpta & impreſſa, ſiquidem ex principiis iſtis nobiſcum natis, ſeu κοιναῖς ἐννοίαις (quæ nihil aliud ſunt, quàm reliquiæ quædam & ἐφέτια diuinæ imaginis, ſcintillulæ & igniculi claræ iſtius lucis, quæ pleno iubare ante lapſum in mente hominis fulſit) quædam etiam DEVM attinent; vt pote quod Deus ſit, quod vnus, quòd bonus, quod iuſtus, quod colendus, &c. *Acquiſita* eſt, quæ è contemplatione operum & effectuum Dei ab homine, vi naturalis dianœas colligitur. Horum effectuum diuinorum præcipui ſunt, 1. rerum, quæ videntur, creatio. 2. rerum creatarum varietas, pulcritudo & ordo. 3. rerum creatarum ſuſtentatio, gubernatio & conſeruatio. 4. profuſa variorum donorum, quæ ad neceſſitatem hominis aliorumque viuentium pertinent, elargitio. 5. animaduerſio & vltio vindicis oculi manuſque DEI. 6. miraculorum exhibitio. 7. rerum futurarum prædictio. 8. periodica Imperiorum mutatio. 9 mentis humanæ natura. 10. inſiti naturalis notitiæ igniculi, & in hiſce diſcrimen honeſtorum ac turpium. 11. conſcientiæ pauores, morſus, aculei. 12. ſeries cauſarum efficientium & finalium. Hæc iiſdem verbis proponit & latius explicat *Dn. Schroderus* in part. 2. libri ſui eruditiſſ. de principio Theologiæ, & naturali Dei notitia, quem omnino vide. Et tractant hoc argumentum præter priſcos, *Morn.* de ver. relig. *Lud Viues* de ver. fidei Chriſt. *Mutius* Panſa in oſculo Ethnicæ & Chriſtia. Philoſophiæ *Raymundus de Sabaude* in Theol. naturali, &c.

Finis notitiæ naturalis.

11. Quò verò fine Deus illam ſui notitiam gentibus naturaliter manifeſtarit, docet Apoſtolus Act. 17. v. 27. *Definit Deus ſtatuta tempora & terminos habitationis eorum ζητεῖν τὸν Θεὸν* (vbi eſt ἐλλειψις τοῦ ἐνεκα, *vt quærant Deum*) *ſi fortè attrectent eum, aut inueniant; quamuis non longè ſit ab vnoquoque noſtrum.* Per hanc ergo notitiam naturalem ſcire poterant, eſſe Deum, eumque glorificandum vt DEVM. Sed quia modum ac rationem huius glorificationis Naturalis notitia non aſſequitur, quin potius ſapientiſſimi quique Gentilium fateri coguntur, ſe ignorare, quomodo Deus ſit colendus: ideò debebant quærere reuelationem diuinam in Eccleſia: quam ob id Deus ſemper in illuſtri loco conſtituit, & ſplendorem lucis in verbo fulgentis ad omnes gentes propagauit, vt lumen illud non ſub modio occultatum, ſed in candelabro poſitum, palam intueri omnes poſſent.

Eiuſdem abuſus.

12. *Sed enim gentes veritatem Dei commutarunt in mendacium* Rom. 1. v. 25. *Cùm cognouiſſent Deum, non ſicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt.* v. 21. *ſiquidem quidam ipſorum in manifeſtis flagitiis contra teſtimonium conſcientiæ ſe volutarunt*, quæ ibidem v. 29. & ſeqq. Apoſtolus commemorat; quidam excogitarunt falſos cultus, & ſic *veritatem*, id eſt, veri DEI cognitionem, *mutarunt in mendacium.* verſic. 25 cùm potius eum, vt Deum glorificare debuiſſent, v. 21. hoc eſt, à Deo ipſo in reuelato verbo diſcere veri cultus formam atque normam, & quia ex Naturæ libro poſt lapſum hoc diſci nequit, ideò debuiſſent Deum vlteriùs quærere Act. 17. v. 27. hoc eſt, ſolliciti eſſe de Eccleſia & populo Dei, cui ſe verbis & miraculis Deus manifeſtauit, ſuique cultus regulam ipſemet præſcripſit. Quia verò hoc non fecerunt, ſed falſos Deos ſibimet ipſis excogitarunt, quidam ipſorum inſuper manifeſtis flagitiis (quæ & recta ratio accuſat) ſe conſpurcarunt, vel certè talia facientibus conſenſerunt. verſicul. 32. ideò *ſunt inexcuſabiles* verſicul. 20.

Naturalis

13. Abſit proinde, vt naturalem DEI notitiam gentibus ad ſalutem ſufficientem fuiſſe, vel per ſe ſufficere potuiſſe dicamus. *Non enim eſt in alio quoquam ſalus, quàm in Chriſto Ieſu, nec aliud nomen ſub cœlo datum eſt hominibus, in quo oporteat nos ſaluos fieri.* Act. 4. v. 12. *Qui incredulus eſt Filio, non videbit vitam, ſed ira Dei manet ſuper ipſum.* Iohan. 3. verſ. 36. *Sine fide impoßibile eſt placere Deo,* Hebr. 11. verſ. 6. Extra Chriſtum nulla ſperanda Dei ſaluantis miſericordia: Extra Eccleſiæ gremium non poteſt ſperari æternæ ſalutis conſortium. Extra corpus Chriſti non poteſt haberi Spiritus DEI. Iam verò Chriſti in Euangelio manifeſtatio eſt myſterium, quod humani captus ambitum ac faſtigium planè excedit: ad quod intellectus hominum natiuis viribus aſſurgere minimè poteſt, Math. 16. v. 17. Rom. 16. v. 25. 26. 27. Col. 1. verſ. 26. 27. 1. Cor. 2. verſ. 7. 8. 9 10. &c. Valeat ergo commentum *Puccij*, quo aſſerit, *in ſingulis eſſe ſubſtantiam ſaluificæ fidei, atque ita omnes homines eſſe aptos natos ad vitam æternam, &c.* Valeant *Rhetorij*, (de quo Aug. de hæreſ. ad Quodvultdeum cap. 72.) *Godſcalci* Holem. ſer. 10. ſuper Dom. Epiſt. *Latomi, Andradij & Monachi* illius Franciſci Tridenti concionantis (de quo Sleid. lib. 23.) itemque *Zuinglij* in expoſ. fid. ad Regem Gall. & *Gualteri* in Apolog. de ſalute gentilium honeſtiorum opiniones erroneæ.

notitia, an ſufficiens ad ſalutem.

14. Cæterùm cum Pſalmo 96. verſic. 5. dicatur *Gentium Deos eſſe Dæmonia*, cumque diſertè teſtetur Chriſtus Iohan. 5. verſic. 23. *Qui non honorat Filium, eum nec honorare Patrem*, meritò quæritur, quo ſenſu dicat Apoſtolus, *quod Gentiles æternam Dei potentiam ac diuinitatem ex creatione mundi cognouerint?* Rom. 1. verſic. 10. *Reſp.* Diſtinguendum eſt inter conceptum DEI ex creaturis ab Ethnicorum mente hauſtum, & inter conceptus iſtius applicationem; ille fuit legitimus hæc verò minimè. Quamuis enim æternam potentiam ac diuinitatem, & vt *Plato* loquitur, *mentem æternam cauſam omnis boni in Natura*; vel vt *Ariſtoteles* dicit, *ſummum aliquod Ens & primum omnu motus principium, ipſum ἀκίνητον*, vel, vt *Cicero* loquitur, *præſtantem æternã ac ſuſpiciendã Naturam* ex libro Naturę deprehenderint, tamen illam non rectè applicarunt vni illi Iehouæ, qui eſt Pater, Filius & Spiritus ſanctus, non Deo Patri, à quo Filius ab æterno progenitus eſt, & in tempore miſſus, vt eſſet Mediator & Redemptor generis humani: ſed eam vel animalibus, irrationalibus, ſerpentibus, reptilibus, &c. tribuerunt. Ro. 1. v. 23. vel etiam ipſi Diabolo Pſ. 96. v. 5. & ſiquidem ex proprio ingenio formam ac normam Deum colendi excogitarunt, ideò cordis ſui idolum, non autem verum Deum coluerunt, id quod Apoſtolus ſic effert, *cùm cognouiſſent Deum, non vt Deum glorificauerunt* Rom. 1. verſ. 21. *veritatem Dei commutarunt in mendacio.* v. 25.

Quo ſenſu Gentiles cognouerint Dei potentiã ex Mundi creatione.

15. Dicis, eſſentia diuina realiter vnum eſt cum tribus diuinitatis perſonis: non enim aliud quid ſunt tres Deitatis perſonæ, quàm vna illa diuina eſſentia, (quod *Bernhardus* ſic effert: *Nihil eſt in DEO, quod nõ ſit DEVS: Scholaſtici* hoc modo: *Eſſentia diuina identificat ſibi omnia, quæ verè realiter ſunt in diuinis*) Ergo Gentiles, quia cognouerunt æternam Dei potentiam ac diuinitatem, vtique etiam cognouerunt tres Deitatis perſonas. *Reſp.* Diſtinguendum inter notitiam confuſam & diſtinctam. Nouerunt Gentiles notitia confuſa eſſe Deum, ſed non cognouerunt diſtinctè tres diuinitatis perſonas. *Biel.* 1. ſent. diſt. 1. quæſt. 5. ſic procedit: *De DEO poſſunt haberi plures conceptus realiter inter ſe diſtincti & inuicem ſeparabiles: quamvis verò quilibet eorum conceptum ſignificet Deum, & per conſequens, quicquid realiter eſt in Deo, non tamen quilibet eorum*

Qualis fuerit notitia Dei naturalis in gentibus.

eorum supponit pro quolibet, quod est Deus: distincta enim sunt propositiones: Essentiam intelligo, & intelligo essentiam: proinde posito, quod habeam in me conceptum essentiæ, & non conceptum relatiuum personæ, hæc propositio est vera, personam intelligo, & hæc falsa, intelligo personam. Prima valet tantum, personam intelligo, id est, rem, quæ persona est, intelligo: quod verum, quia essentiam intelligo, quæ est persona non curando, quo conceptu intelligam: secunda valet, intelligo personam conceptu relatiuo & proprio personæ siue correspondente ad hoc nomen personæ. Thom.2.2.qu.2.art. 2. *Credere Deum non conuenit infidelibus sub ea ratione, quæ ponitur actus fidei, non enim credunt, Deum esse sub conditionibus, quas fides determinat, & ideò nec verè Deum credunt:* atque huc applicat dictum Philosophi 11. Metaph. *In simplicibus defectus cognitionis est solùm in non attingendo totaliter.*

16. Ergóne, inquis, principium illud naturale vel notitia naturalis, esse DEVM, esse æternum, &c. mendacium est in Ethnicis, quia scriptum, Omnis homo mendax Psal.116. versic. 11? *Respon.* Apostolus disertè appellat *veritatem Dei*, Rom. 1. v.25. sed quia diuinitatem cognitam non rectè applicant, *quia Deum se nosse confitentur, sed factis negant*, Tit.1.vers.16. *nec vt Deum glorificant.* Rom.1.v.21.ideò & inde *veritatem commutant mendacio* v. 25. quod in conceptu prius erat veritas, in applicatione vitiosa fit mendacium.

17. Hæc cùm de naturali DEI notitia ita sese habeant, rectè dicitur, eam esse imperfectam, languidam & ferè nullam. *Imperfecta* est, quia lumen naturale, ex quo Deum apprehenderunt Gentiles, fuit obscurum: ideò per densas quasi nebulas confuse Deum cognouerunt, ac facilimè ignorantiæ tenebris sunt inuoluti; quin etiam saltem particulam quandam legis de externis operibus norunt: de interioribus verò cultibus, præsertim primæ tabulæ, nihil certi statuere potuerunt. *Languida* est, quia ex obscuris illis diuinitatis vestigiis πληροφορίας fidei lumen in mentibus accendi nequit, id quod *Antonius* apud Ciceronem 1. Tuscul. suo testatum facit exemplo, *assentiri se Platoni* dicens, *dum legit eius de immortalitate animæ librum, sed cum librum deponat, as ipsemet de ea secum cogitet, omnem mox elabi assensionem.* Nimirum bonum & scelerum vindicem gentiles statuebant Deum, cùm omnia ex voto fluerent illis, qui mores honestiùs regebant: sin minus, vel dubitabant, vel etiam planè negabant. Estis iò Superi, exclamat Statius, cùm conualuisset à periculoso morbo vir eximiè probatis Rutilius Gallicus: sed contrà in morte Tibulli, Ouidius:

Cùm rapiant mala fata bonos, ignoscite fasso,
Sollicitor nullos esse putare Deos.

Quod si cupidum & libidinosum adolescentem impudica muliercula fefellerat, statim nutabat malè de Deo fundata opinio. Hinc illa apud Ouidium:

Esse Deos credamne? fidem iurata fefellit,
Et manet in soluto qui fuit ore decor.

Neve existimes à Poëtis talia per iocum fortassis dicta, (quamvis tales ioci nullo modo ferendi) lege quæ apud Ciceronem *Cotta* in 3. de Nat. Deor. de hoc argumento latè & cum vehementia disputat.

Liber Scripturæ.

18. Cùm ergo post lapsum ex libro Naturæ perfectam ac saluificam Dei cognitionem haurire non possimus, propter natiuas mentis nostræ tenebras: ideò Deus libro Naturæ addidit librum Scripturæ, qui, vt *Augustinus* dicit, est planior, ac minus errare nos patitur: quo sensu *Alex. Alensis*, pagin.1. quæst. 2. membr. 5. art. 2. dicit, *DEVS videtur per verbum vt per lucem, per creaturas vt per speculum.*

19. De hac salutari DEI agnitione ex reuelato verbo hausta hac vice differemus, cuius summa est: *Deum esse Iehouam Elohim*, hoc est, *vnum in essentia; & trinum in personis. Hæc enim est fides Catholica, vt vnum Deum in Trinitate, & Trinitatem in vnitate veneremur, nec substantiam confundentes, nec personas separantes. Athanas.* in Symbolo: μονὰς ἐν τριάδι καὶ τριὰς ἐν μονάδι θεωρεῖται. Iustin. in ἐκθ. πίστ. *Deus est indiuisè vnus in Trinitate, & inconfusè trinus in vnitate. Tres vnum, nec tres tamen vnus, at in tribus vnum:*

Posterius nihil est hic simul atque prius

(vbi nota voculam, *Vnus*, accipiendam pro vna persona, alias rectè dicitur, quòd tres personæ sunt vnus verus Deus.)

20. Agemus ergo primum de vnitate essentiæ diuinæ, & attributis, quæ cum essentia realiter vnum sunt, & propter θεότητα ταυτότητα singulis diuinitatis personis competunt: deinde de personarum Trinitate; Sed προγινωσκομένην loco præmittemus ἐξέτασιν de nominibus Dei, itemque vocabulis quibusdam, quorum in hac doctrina vsus est creberrimus, qualia sunt οὐσία, ὑπόστασις, Trinitas, ὁμοούσιος, &c.

CAPVT IV.

De DEI nominibus.

Nomen Dei.

Principium in omni disputatione & re est Nomen, ait Galen. de meth. med. c.5. hinc vetus illud πρὸς τὸ ὀρθῶς διδάσκειν, δεῖ πρώτως ἐξετάζειν τὰ ὀνόματα. Præsertim verò hoc loco id operæ precium esse videtur, quit Theologia nostra in hac vita est nominalis, & notitia Dei in hac vita vocatur nomen Dei, vnde *Dionysius* dicturus aliquid de Deo, colligit appellationes, quæ in Scriptura DEO tribuuntur.

Nomina Dei ex Hieronymo.

21. Hieronymus in Epistola ad Marcellam to.3.p. 95. decem colligit DEI nomina 1. אל 2. אלהים 3. אלהי 4. יהוה 5. צבאות 6. עליון 7. אשראהיה 8. אדני 9. יה 10. שדי. De potioribus quædam monebimus. Nomen Iehouah (pro quo interdum in Scripturis legitur Iehouih Genes. 15. v.2. &c.) vsitatè dici solet τετραγράμματον, quia quatuor integrantibus constat literis. De hoc nomine multa differit *P. Galatinus* lib. 2. c. 9. & seqq. ex R. Mose Ægyptio & aliis Rabinis. Dicit reliqua Dei nomina ab eius operibus sumta esse, præter solum, quod sit nomen essentiæ diuinæ. Deducitur ab הוה, vel היה, quod significat esse, cùm DEVS sit essentia omnium essentiarum, essentia æterna & immutabilis. Nec incommodè statuitur petitam hanc vocem ex cap.3.Exod. versi.14.vbi Deus dicit: אהיה אשר אהיה de quo loco postea. Solus DEVS esse suum habet à seipso, vel rectius, est suum esse: reliqua Entia dependent ab hoc summo Ente, solus DEVS est αὐτοούσιος, αὐτοφυὴς, αὐτωνὸς; solus est æternus & immutabilis, reliqua omnia sunt mutabilitati obnoxia. R. *Asse* in libr. שער אורה, (porta lucis) monet nomen hoc apud Chaldæos per tria iod, & subiunctum Kametz scribi hoc modo, vt

Iehouah.

omnia vno claudantur circulo, eaque scriptione tres personas in vna diuina essentia denotari, non inscitè colligit Galatinus. Notat. *Martyr.* class. 1. loc. com. cap. 11. ex Rabinis literas illas, quibus hæc vox scribitur, esse spiritales, vt denotetur, quòd DEVS sit Spiritus. *Hebræi* scribunt Nomen hoc esse ἀνεκφώνητον, cuius causam reddit *Galatinus* libr. 2. cap. 1. quia denotat essentiam DEI ineffabilem, nec inutilis est obseruatio, quòd hoc Nomen soli vero DEO in Scripturis tribuatur, nusquam autem Diis fictis, vel creaturis. Exod. 42. versic. 8. Ego Iehouah, hoc est Nomen meum. Ps. 83. v. 19. אַתָּה שִׁמְךָ יְהוָה לְבַדֶּךָ Tu nomine tuo solus Iehouah. Nec hoc prætereundum, quod quidam colligunt, hoc esse Nomen DEI proprium, quia apud Hebræos inseruit formationi Nominum propriorum. Sic ab עָקֹב Iacob, à צָחַק Isaac, &c. Monent *Grammatici*, Nomen Iehouæ. 1. nunquam legi cum ה emphatico vel indicatiuo. 2. nunquam legi cum affixo. 3. nec habere plurale, atque inde colligunt, esse nomen DEI proprium. Vide *Petrum Fabrum* de diu. nomin. Illud arbitramur subtilius vel potiùs coactum esse, quod quidam scribunt per', in hoc nomine denotari personam Patris; per ה Filium, per ו Spiritum sanctum, qui à Patre & Filio procedit, per alterum ה Naturam humanam Filij, quæ in λόγον assumta, & sic in sanctissimæ Trinitatis consortium (propter vnionem Personalem cum λόγῳ) est euecta, vt loquitur Ambros. de Resurr.

Exod. 3. Ero qui ero. 22. Non possumus prætermittere, quin occasione huius Nominis de duobus illis locis Exod. capitul. 3. vers. 14. Ero qui ero, & cap. 6. vers. 3. Nomen meum Iehouah non est Patribus reuelatum, beeuiter disseramus. Quando Deus dicit: אֶהְיֶה אֲשֶׁר אֶהְיֶה possunt hæc verba in Præsenti & Futuro intelligi, Sum, qui sum, vel Ero, qui ero, non enim inusitatum apud Hebræos Futura pro Præsentibus vsurpari. Indicatur ergo his verbis, 1. quòd Deus reuera sit, & sic distinguitur à falsis Diis, qui sunt אֱלִילִים quasi dicas, non dij, vel dij stercorarij 1. Corint. 8. versic. 4. *idolum est in mundo* nihil. versic. 5. quamuis sint, qui dicantur dij in cœlo & in terra. vers. 6. tamen nobis vnus Deus. 2. quod sit summum Ens; & sic distinguitur à creaturis, quæ sunt à Deo, in Deo & per Deum subsistunt, sed per se subsistere soli DEO competit. 3. quod sit æternus. Solus ipse dicere potest, Ero, qui ero, id quod nulla creatura dicere potest, cum esse suum non habeat à se. 4. quod sit immutabilis, & semper sui similis. *Augustin. Omnia quæ mutantur desinunt esse, quod erant, & incipiunt esse, quod non erant: sed apud Deum nec præterita transierunt, & futura iam facta sunt.* 5. de Trin. capitul. 16. 5. denique tempus futurum respicit ad promissiones eiusdem factas Ecclesiæ: demonstrabo meam præsentiam operibus mirabilibus & auxilio potenti, vt *D. Luth.* in margine notat, vnde quidam referunt ad ventum Messiæ. Ero, qui ero, scilicet vester Messias, & assumta carne vestra liberabo vos à peccatis & morte. Sum ille Deus vester, qui aliquàdo futurus sum homo: vnde Iohannes hunc locum Filio accommodat Apoc. 1. v. 8. Refer hûc, quæ *Thom.* part. 1. q. 13. art. 11. disputat: *Nomen, qui est, maximè Dei proprium est* 1. *Hoc Nomen significat ipsum Esse, solius autem* DEI *Esse est eius essentia.* 2. *ex Damasceno: quolibet nomine determinatur aliquis modus substantiæ rei: sed hoc nomen, qui est, nullum modum essendi determinat, sed se habet indeterminatè: ideò nominat ipsum pelagus substantiæ infinitum.* 3. *significat hoc Nomen esse in præsenti, hoc maximè Deo competit, cuiusesse non nouit præteritum nec futurum.*

23. Quid verò sibi vult locus Exod. 6. v. 3. quod Nomen Iehouah non sit Patribus reuelatum? Quidam statuunt, quod nomen Iehouæ ignotum fuerit Patribus ante Mosen, & primum in apparitione ad montem Horeb Mosi patefactum: quod autem in Genesi Moses sæpè repetit nomen Iehouæ, id iudicant fieri consuetudine historicorum, qui res olim factas verbis suis seculi describunt: sed hoc minus probabile, quis enim credat Mosen immurasse illas voces, quibus Patriarchæ in sua ad DEVM oratione vsi, & quibus DEVS ipse sese manifestauit? Genes. 4. vers. 2. cap. 15. versic. 2. cap. 18. versic. 19. cap. 22. vers. 16. c. 28. versic. 13. quinimò Esaias dicit cap. 64. v. 16. *Tu Iehouah Pater noster, à seculo hoc est Nomen tuum.* Rabinidicunt, Nomen quidem ipsum Patribus fuisse notum, sed efficaciam illius per Mosen demum innotuisse, atque inde suum שֵׁם הַמְפֹרָשׁ probare volunt: sed hoc planè superstitiosum est. Quidam respondent, locum hunc intelligendum de publica & frequentiori vsurpatione Nominis El Schaddai, sed hoc dilutius est, nec satis facit negatiuæ textus. Statuimus ergo intelligendum esse locum de gradibus diuinarum patefactionum & agnitionis diuinæ, quia nomen Dei significat rem ipsam, id est, Deum, prout à nobis agnoscitur, hoc sensu: *Ego Iehouah apparui Abrahamo, Isaaco & Iacobo*, quod sim Deus ipsorum omnipotens, hoc est, per opus creationis, per diluuium, euersionem Sodomorum, vocationem & defensionem illorum inter Cananæos manifestaui Patribus meam omnipotentiam (id enim est *apparui in Nomine El Schaddai*) sed *in nomine Iehouah illis non sum cognitus*, hoc est, publice quodam misericordiæ & specialis gratiæ documento (quale est eductio populi ex Ægypto & traditio terræ Canaam) nondum manifestaui, quod sim Iehouah dans Esse meis promissionibus, nondum impleui reipsa promissiones de multiplicatione seminis & possessione terræ Canaam; nunc verò omnes cognoscent, me esse Iehouam Deum dicentem & facientem. Nomine enim Iehouæ notatur 1. quòd Deus sit. 2. quòd creaturis det Esse. 3. quòd suis promissis det Esse, eaque reipsa compleat, est enim immutabilis in essentia & promissionibus.

Quemodo Nomen Iehouah Patribus non fuerit reuelatum.

Elion.

Eheieh.

Nomen literarum.

24. Secundum DEI Nomen est יהּ, quod est ex priori contractum, atque itidem *tantum in DEO ponitur*, teste Hieronymo in Epist. ad Marcel. qui alibi (videlicet in cap. 26. Esai.) hæc duo Nomina sic distinguit, quod Iehouah significet *DEVM ineffabilem*, Iah *inuisibilem*. 3. אֵל dicitur DEVS à fortitudine, vnde *Aquila* vertit ἰσχυρὸν. 4. אֱלוֹהַּ, quod propriè notat potestatem iudiciariam, ac tribuitur non solum Deo, sed etiam Angelis & hominibus, quin etiam idolis. 5. אֱלֹהִים in numero multitudinis dicitur de DEO, ad exprimendam personarum pluralitatem, qua de re postea. 6. אָדֹן Dominus, quod deriuant ab אָדָן, basis, vt sit Adon quasi sustentator & basis alicuius rei, atque ita notat hæc vox prouidentiam DEI omnia gubernantem 7. אֲדֹנָי, quam vocem Iudæi vsurpant pro voce ἀνεκφωνήτῳ Iehouah, generaliter significat Dominum. Notant Hebraicè docti, quando verum DEVM significet, semper scribi cum - Kametz, quando verò - Patha suffixum, esse primam personam pluralis numeri, & vsurpari pro absoluto numero singulari DOMINVS; vel etiam pro constructo Dominus meus. 8. שַׁדַּי, quod *Aquila* vertit ἀπλοῦς, *Hieronymus*, robustus & sufficiens ad omnia perpetranda. *Quidam*

Iah.

El.

Eloah.

Elohim.

Adon.

Adonai.

Schaddai.

dam deriuant à דַּי sufficientia, & relatiuo שׁ, vt sit idem quod αὐτάρκης, sibi sufficiens. *Alij* deriuant à שַׁד, quod est vber, mamma, sicut mater mammam præbens infanti recens nato, suaue & sufficiens illi præstat nutrimentum: ita Deus plenitudine gratiæ suæ omnia alit & sustentat. *Quidam* etiam deducunt à שָׁדַד, quod significat in vniuersum permeare, peruniuersitare, siue in bonum, siue in malum, vastare, &c. 9. עֶלְיוֹן, quod Hieronym. vertit excelsus. *Elion.*
10. אֵל צְבָאוֹת, Deus virtutum, Deus exercituum, notatur igitur Dei regnum & maiestas ex militiæ terrenæ & cœlestis multitudine. Addit etiam *Hieronymus* Nomen אֶהְיֶה, quæ vox notat immutabilem Dei essentiam, promissionum veritatem, & κατ' ἐξοχὴν aduentum Filij Dei in carnem. *Eheiech.*

25. Hebræi disputant de quodam DEI Nomine, quod vocant duodecim literarum, de quo ex R. Mosis cap. 61. *Galatinus* lib. 2. de arc. Cath. ver. c. 12. dicit non fuisse Nomen vnum, quod duodecim constaret literis, sed tria nomina, quæ simul coniuncta duodecim constituunt literas, & iis tribus nominibus vnum significari Deum, ac proinde appellatum fuisse singulari Numero Nomen duodecim literarum. Sunt autem tria illa Nomina in vnum conflata, Nomen Patris, Nomen Filij, & Nomen Spiritus sancti אָב בֵּן וְרוּחַ הַקֹּדֶשׁ. Idem cap. 16. refert Hebræis etiam vsitatam esse vocem אנלא, cuius singulæ literæ integras dictiones denotant. Nam prima litera א pro אַתָּה Tu, posita est: ג autem pro גִּבּוֹר potens & fortis; ל pro לְעוֹלָם in sempiternum, denique א pro אֲדֹנָי Dominus. Omnes ergo coniunctæ faciunt: *Tu potens in sempiternum Dominus.* Vocant etiam Hebræi DEVM מָקוֹם, hoc est, *locum*, eò quod vbique locorum sit, omnia replēs. *Cabalistæ* dicunt ideò sic vocari, quia Makom in numero totidem conficit, quod Iehouah. De Nomine Schem hammephoraſch, quod Hebræis frequenter in ore, vide *Dominum Lutherum* tomo octauo Ienensi, in libro peculiari, quem hac de re scripsit. Expositionem Nominis יְהוָה Iehouah per 42. literas, hancce tradit *Rabbi Moſche* filius Maimon: בַּל אֹבֵל לֹא שְׁלֹשָׁה אֱלֹהִים כִּי אִם אֱלֹהַּ אָב אֵל בֵּן אֵל אֶחָד וְרוּחַ הַקֹּדֶשׁ: Pater Deus, Filius Deus, & Spiritus sanctus Deus, veruntamen non tres Dij, sed vnus Deus. *Nomen 12. literarum.*

26. Obseruant nonnulli appellationem Dei esse omnibus ferè populis quadriliteram. Sic Hebræis אהיה אדני יהוה, *Assyriis* Adad. *Aethiopibus* אמלך Emlach; *Persis* Ϭεὸς, *Aegyptiis* Ϭωθ, *Magis* ὄρομ, *Arabibus* Alla, *Illiricis* Bogi, *Græcis* Θεὸς, *Turcis* ἀγδὶ, *Hetruscis* ἔσαρ, *Latinis* Deus; *Hispanis* Dios; *Italis* Idio; *Gallis* Dieu, *Germanis* Gott, *populis noui orbis* Zimi. Vide, si placet, *Pet. Gregor.* lib. 6. Synt. art. mirab. c. 2. *Quidam* statuunt, id ex eo prouenire, quia apud Hebræos, quorum religio semper fuit celeberrima, Nomen Dei quatuor constat literis, Zanch. 1. dist. de Nat. Dei c. 13. *Nomen Dei omnibus fere quadriliteram.*

27. Antequam ad reliqua præcognita accedamus, excutienda erit quæstio, *An ex nomine Elohim, quod in plurali de Deo vsurpatur, personarum in diuinitate pluralitas demonstrari possit?* Refert *VVolfg. Capito* in Hexaëm. pag. 65. Iudæos hic in tres opiniones diuidi: *Alij* enim nomen multitudinis esse aiunt, quod significatu sit singulare: *Alii* dicunt, quòd significatio quidem sit multitudinis, interim non denotari ea personarum pluralitatem, sed DEI virtutes & proprietates. *Alii* ad hominum cōsuetudinem referunt, qui, honoris causa, multitudinis voce virum autoritate pollentem nuncupent. *An ex nomine Elohim personarum pluralitas demonstrari possit.*

28. Contra primam opinionem obserua hanc regulam: Quodcunque nomen terminatione multitudinis suum singulare habet vsitatum, à quo formetur, id pro singulari re nunquam accipitur: Iam verò Elohim habet suum singulare Eloah, Io. 4. v. 9. c. 12. v. 4. c. 15. v. 8. c. 36. v. 2. Psal. 18. v. 32. Psal. 114. v. 7. Habach. 3. v. 3. Fallitur ergo Caietan. in comment. Gen. & quotquot illum sequuntur, qui negant, Elohim carere numero singulari. Præterea nomina reliqua, terminatione pluralia, significatione singularia non præmituntur verbo singulari, at hoc Nomen construitur cum singulari, ברא אלהים. Deniq; quòd Elohim non solum voce plurale sit, sed etiam significatu, liquet consideranti vsum vocis translatæ ad iudices & Angelos, &c.

29. Contra secundam opinionem obserua: Si propter multas virtutes in re aliqua comprehensas vox quædam vsurpanda esset in plurali numero, cum adiuncto verbo singulari, sequeretur, si in vna re multæ essent virtutes, & eas velis vna voce omnes explicare, sumendum esse itidem eius vocis pluralem numerum cum verbo singulari. Sic Medicus descripturus vires rosæ, dicere deberet: Rosa habet virtutem refrigerandi, cerebrum roborandi, &c.

28. Contra tertiam opinionem, quæ est Aben Ezræ & aliorum, obserua: in reliquis linguis, quibus pluralis Numerus pro singulari in vsu est, nomen substantiæ manere singulare; Pronomina autem & verba mutari, V. G. Nos Dei gratia Rudolphus mandamus: hîc autem nomen personæ habet sibi additum verbum singulare. Præterea sit sanè id in vsu aliis linguis, quid hoc ad linguam sanctam, cui puritas & simplicitas peculiaris est, ac fucus omnis displicet? Rectè *Theodor.* quæst. 10. in Gen. *Si Deus propter autoritatem & maiestatem de se loqueretur in plurali, oportuisset eum ita loqui vel semper, vel vt plurimum, præsertim verò cum Legem daret in Sina.* Porrò habent Hebræi regulam, quæ huic loco conuenit: Quando verbum vel epitheton nominis singulare plurali Nomini apponitur, significatur, quòd actio aut qualitas adiunctæ vocis vnicuique eorum per se conueniat, quæ sub vniuersitate Nominis huius pluralis continentur. Sic Bara Elohim, hoc est, omnes tres diuinitatis Personæ, & quælibet Persona diuinitatis creauit, vnde in voce ברא, per ב intelligunt בן, Filium, per ר intelligunt רוח, Spiritum, per א intelligunt אב Patrem, quod tamen videtur subtilius.

31. Dicimus ergo latere in voce Elohim mysterium pluralitatis personarum in Trinitate, pro dispensatione temporum, ac modo patefactionis in Vet. Testam. vsitatæ. Neque enim potest alia certa & constans ratio reddi pluralis numeri de Deo vsurpati quàm personarum pluralitas. Hinc *R. Hunna* de hac loquendi forma dixit: *Nisi hic sermo sic esset scriptus, nemini ita loqui licuisset.* Obserua autem vocem Elohim non tantum cum verbo singulari, sed etiam cum verbo & Adiectiuo pluralibus constructam in quibusdam locis inueniri, quæ enumerabimus in disputatione sequente, & tunc manifestius indicantur plures personæ Deitatis: non enim consueuit verbum vel adiectiuum plurale vni personæ tribui. Vide *Lombardum* 1. sent. dist. 2. de arcan. Cathol. verit. c. 9. *Lyranum & Burgensem* in Gen. *Zanchium* 2. de trib. Elohim. c. 1. & 1. de Natur. Dei cap. 4. & 12. quos habemus hac in parte ἐυφυῶς. Proinde discedimus à Bellarmino 2. de Christo.

capitul. 6. Pererio super Gen. tomo primo, pagin. 15. num. 39. Chassanione lib. 1. locor. com. cap. 10 qui negat vocem Elohim ad personarum pluralitatem in vna & indiuisa Dei essentia denotandam spectare.

CAPVT V.

De quibusdam vocabulis in mysterio Trinitatis vsitatis.

32. Hæc de Dei hominibus dicta sint: Quia verò vsitatissimæ sunt in hoc Articulo voces οὐσίας, ὁμοουσίου & ὑποστάσεως, ideò de his etiam inter præcognita agimus. Οὐσία deducitur ab ὤν, quod Dei Nomen Damasc. lib. 1. Orth. fid. c. 11. dicit esse κυριώτερον πάντων, omnium præcipuum, & addit, Deum hoc nomen propterea sibi assignare, quia ὅλον τὸ εἶναι οὐ ἔχωμεν συλλαβὸν ἔχει, οἷον πέλαγος οὐσίας ἄπειρον καὶ ἀόριστον: *Esse totum & perfectum in se complectitur, atque essendi quasi pelagus quoddam est infinitum ac indeterminatum.* Vox ergo οὐσίας denotat vnam tribus personis communem essentiam: quæ tota est in Patre, tota in Filio, tota in Spiritu sancto. Veteres maluerunt eam reddere nomine Essentiæ potius quam substantiæ, ita enim *Augustin* lib. 7. de Trin. cap. 4. *Essentia vocabulum propriè competit Deo, substantiæ autem vox de eo abusiuè dicitur.* Causam arbitror hanc esse, quod significare voluerunt Deum esse οὐσίαν ὑπερούσιον, non inclusam Categoriis, [inter quas primum locum obtinet substantia] sed superiorem omnibus prædicamentis [quemadmodum Ens dicitur transcendens] *Hierotheus* apud Dionys. lib. 1. de diu. nom. c. 1. Essentia Dei est ὑπερούσιος ὑπερουσίως ἔχων τὸ ὑπερούσιον. *Anshelm.* in Monol. cap. 26. *Substantia diuina nullo communi substantiarum tractatu includitur. Iamblichus* Platonicus vocem Deum οὐσίαν τὴν πρεσβυτάτην καὶ τιμιωτάτην καὶ καθ' αὑτὸ ὄσαν.

33. Vox ὁμοούσιος essentiæ vnitatem denotat, id est, vnam essentiam, vnam voluntatem, vnam æternitatem, communem operationem, vnam gloriam tribus personis communem. Quod ergo Christus dicit Ioh. 10. v. 30. Ego & Pater vnum sumus [ἓν ἐσμεν] quod Iohan. 1. Epist. 5. v. 7. Tres sunt, qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus, Et hi tres vnum sunt, illud neruosè & breuiter explicatur hac voce, quod Pater & Filius sint ὁμοούσιοι. Non enim Pater & Filius sunt ἑτερούσιοι alterius seu diuersæ essentiæ; non συνούσιοι [sicut homines, qui habent vnam communem essentiam] nec tantum ὁμοιούσιοι, sed ὁμοούσιοι eandem essentiam, æternitatem, voluntatem, operationem, potentiam & gloriam habentes. Athanas. in lib. de decret. Synod. Nic. dicit, *Arianos omnes alias voces toleraſſe, præter istam, quia omnes alias poterant trahere ad suum sensum.* Ambros. 3. de fide capitul. 7. dicit hoc verbo *personarum distinctionem & essentiæ vnitatem significari.*

Tragicos hîc *Iesuitæ* clamores excitant, & D Lutherum Arianissimi insimulant, quod de voce ὁμοούσιος hæretica scripserit. *Campianus* Iesuita orat. 8. tribuit Luthero, quod dixerit *animam suam odisse hoc vocabulum. Bellarmin* præfat. contron. de Christo. §. Sed mittamus. *Quid, quæso, aliud diceret Arius, si ab inferis nunc existeret? Posse nimus* li. 3. de notis verbi DE I. pag. 68. *Atheismi* propterea Lutherum accusat. Sed videamus ipsa Lutheri verba, quibus contra Sycophantarum morsus se satis tuetur. tom. 2. oper. Latin. fol. 407. Ien. in confut. rat. Lat. *Quod si odit anima mea Nomen homousios, & nolim eo vti, non ero hæreticus, modo rem teneam, quæ in Concilio per Scripturas definita est.* [Qui hypotheticas propositiones cum Categoricis confundit, dignus est Categoria: *Lutherus rem amplectitur, de verbo quærit, non quod eo vti nollet, sed quod eo vti nemo necessario teneatur.* Th. Mort. Apol. Cath. li. 1. cap. 51.

34. Vocem ὑποστάσεως quidam volunt esse ἔγγραφον & αὐτολεξεὶ in Scripturis propositam. Hebr. 1. versic. 3. vbi Filius dicitur ἀπαύγασμα τῆς δόξης καὶ χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ. *Calvin.* 1. Instit. cap. 13. sect. 1. *Bellarm.* 2. de Christo cap. 4. *Zanch.* 1. de tribus Elohim cap. 2. *Vrsin.* pag. 2. Catech. quæst. 25. *Alij* contra argumentantur 1. Filius est χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως Patris, sicut est splendor τῆς δόξης αὐτοῦ. Iam verò δόξα Patris non notat eius personam, vt ab essentia distinguitur, sed diuinâ & æternam maiestatem & gloriam, Ergo nec hypostasis hoc loco notat personam Patris, vt ab essentia distinguitur. 2. Filius est χαρακτὴρ Patris in eo, in quo est Patri quâ similimus, vel potius æqualis; nõ in eo, in quo à Patre differt. Imago enim & character est similitudinis. Atqui Filius est similis vel potius æqualis Patri in essentia, gloria, maiestate, potentia, quam eandem habet cum Patre cõmunem, non in persona, quam habet à Patre verè distinctam. 3. In Ecclesia dicitur Filius Patris character & imago substantialis, qua a totam substantiam & essentiam Patris in se exprimit, vt qualis Pater est, talis sit Filius: non autem dicitur personalis imago. Hinc *Cyrill. 1. de Trin. & Basil.* Epist. 34. statuunt, *non esse hanc vocem ex phrasi Scripturæ, sed ex communi loquendi consuetudine sumtam. Quid ergo dicemus?* Resp. Vox hypostaseos eo in loco non notat personalitatem siue personalem proprietatem, siue formale personæ. Notat autem personam; hoc est, essentiam Patris characterè hypostatico insignitam, vt quasi per Appositionem dictum sit, Filius est imago hypostaseos Patris, id est, primæ personæ, quæ est Pater.

35. In Concil. Sardicensi apud Theodor. lib. 2. hist c. 8 dicitur, *hæreticorum esse, tres hypostases asserere;* vbi ὑποστάσεως vox pro essentia accipitur. Nam ante illud Cõcilium Iustinus in ἐκθ. πίστεως, τρεῖς ὑποστάσεις esse dixerat. *Hier.* to. 2. in Epist. ad Damasum pag. 131. *venenum aliquid latere putabat in voce hypostasis. Nazianz.* orat. 31. in laudem Athan. *Græci*, inquit, *confitentur vnam οὐσίαν & tres ὑποστάσεις. Itali ob linguæ angustiam & nominum inopiam substantiam non possunt distinguere ab essentia, ac ideò personas nominant. Athanasius hoc intellegens vtramque partem conuocauit, & cum videret eos in rebus idem sentire, suasor & autor extitit, vt propter concordiam in modis loquendi etiam conuenirent.*

36. Ergo voci hypostaseos apud Latinos respondet Nomen personæ. *Damascen.* in Dial. cap. 43. χρὴ δὲ γινώσκειν, ὡς οἱ ἅγιοι πατέρες ὑπόστασιν καὶ πρόσωπον τὸ αὐτὸ ἐκάλεσαν. Ita *Tertullian.* libr. contra Praxeam, Patrem Filium & Spiritum sanctum tres personas vocat. *Nazianz.* Orat. in Athan. vocat πρόσωπα. *Hilarius* dixit tres substantias ad imitationem Græcorum, sed Latina lingua in tali significatione hoc non patitur: maluerunt ergo vti nomine Personæ: Sed rectè addit *August.* lib. 5. de Trin. cap. 9. *Magna prorsus inopia humanum laborat eloquium. Dictum est tamen tres personæ, non vt illud diceretur, sed ne taceretur omnino. Non enim rei ineffabilis eminentia hoc vocabulo explicari valet.*

37. *Definitur autem Persona, quod sit substantia individua*

Οὐσία.

Essentia Substantia.

ὁμοούσιος.

ὑποστάσεις.

Esse D

Psal. Dixit piens; est De

Esse vnum batu Scrip

Persona.

Persona quid.

diuidua, intelligens, incommunicabilis, quæ non sustentatur in alio vel ab alio. Proinde ὑπόστασις non est saltem τρόπος ὑπάρξεως, *modus subsistendi*, vt *Sohnius* in exeg. p. 86. & Keckerman. syst. Theol. p. 17. 59. 79. definiunt, sed est substantia certo charactere siue subsistendi modo insignita: rectè *Zanchius* 1. de tribus Elohim cap. 2. *Simpliciter non placet, quod quidam scribunt personas illas esse proprietates. Nam magnum discrimen est inter personam & proprietatem personæ.* Proprietas enim personæ *est propria subsistendi ratio.* Persona est *ipsa essentia diuina proprio subsistendi modo distincta. Vt proprietas personæ Patris est, Esse ἀγέννητον, & generale, sed hæc proprietas non est ipsa Patris persona. Persona enim Patris, seu Pater ipse est substantia per se subsistens, intelligens, volens sua proprietate, seu suo proprio subsistendi modo à Filio & Spiritu sancto distincta.* Hactenus Zanchius rectissimè.

CAPVT VI.

De Dei vnitate.

38. His ita προοιμιακῶν loco expositis, transeamus ad Vnitatem Dei demonstrandam. Proprior namque pars huius tractatus (quod & supra monuimus) aget de vnitate diuinæ essentiæ, ac de essentialibus Dei attributis, quę cum essentia diuina reciprocentur: posterior Trinitatis personarum demonstrationem sibi vendicabit.

Esse Deum. *Esse Deum*, totius tractatus hypothesis est. Id verò non solùm Scriptura, sed & Natura pleno testatur ore, idque perpetuò cordibus & auribus hominum insonat, eorum etiam, qui ad hos Naturę & clamores quodammodo obsurduerunt: ad quod Naturę exterius testimonium accedit insuper interius conscientiæ tribunal.

Psal. 14. Dixit insipiens; non est Deus. 39. At si naturæ & conscientiæ vox de DEO tegatur, quomodo *insipiens*, hoc est, impius *in corde suo dicat, non esse Deum*: Psal. 14. v. 1. Psal. 53. v. 1. Resp. Insipiens ita agit, ac si nullus esset Deus scelerum vindex. Proinde quamuis pleno ore Deum esse clamet, tamen Scriptura (quæ vt Dei vox cor hominis respicit, & iuxta illius effectum de homine pronunciat 1. Sam. 16. v. 7.) de ipso dicit, quod in corde neget, esse Deum, nimirum *quia factis eum negat.* Tit. 1. v. 16. *Non est Deus in conspectu eius*, Psal. 10. vers. 4. nihilominus in medio scelerum cursu ipsum surdo verbere cædit & redarguit conscientia, Deum vindicem esse dictitans.

Esse Deum vnum, probatur 1. ex Scriptura. 40. Vnum esse Deum testatur Scriptura his dictis: 1. quæ apertè tradunt vnitatem Dei: Deut. 6. vers. 4. *Audi Israël, Dominus Deus tuus est vnus Deus.* Id reperitur à CHRISTO Marc. 12. vers. 30. Coniunge Zachar. 14. vers. 9. Malach. 2. vers. 10. Matth. 19. vers. 17. cap. 23. vers. 9. Marc. 10. vers. 18. Rom. 3. vers. 29. 1. Cor. 8. vers. 4. 5. 6. Gal. 3. v. 20. Ephes. 4. v. 6. 1. Timoth. 2. vers. 5. Iacobi 2. vers. 19. c. 4. v. 12. 2. quæ testantur, quòd Deus sit solus Deus, Deut. 4. vers. 35. c. 32. vers. 39. 2. Reg. 19. vers. 15. Nehem. 9. vers. 6. Psal. 83. v. 19. Psal. 86. v. 11. Esai. 37. v. 16. Ioh. 17. v. 3. 3. quæ testantur, quod extra verum DEVM non sit alius Deus, nec quisquam ipsi similis, Deut. 4. v. 35. & 39. c. 10. v. 17. c. 32. v. 39. 1. Sam. 2. v. 2. 2. Sam. 7. v. 22. cap. 22. v. 32. 1. Reg. 8. v. 60. 2. Reg 5. v. 15. 1. Paral. 6. v. 14. Psal. 18. v. 31. Psal. 86. v. 19. Esai. 44. v. 6. & 8. cap. 45. vers. 5. 21. 22. cap. 46. v. 9. Dan. 3. v. 97. Oseæ 13. v. 5. & 6. Ioel. 2. v. 27. Marci 12. v. 32. 1. Tim. 6. vers. 15. 4. quæ testantur, *quod Deus sit* primus & nouissimus, quod ante eum non sit formatus alius. Esa. 41. vers. 4. cap. 43. vers. 11. cap. 44. vers. 6. cap. 48. vers. 12. Apoc. 1. vers. 8. cap. 21. v. 6. cap. 22. vers. 13. *Denique* huc referenda sunt dicta, quę tres diuinitatis personas esse vnum testantur, id enim accipiendum est de essentiæ vnitate, qua de re postea.

2. Ex rationibus Patrum. 41. Vnitas Dei etiam ex lumine Naturæ cognosci potest, vnde sanioribus Ethnicis ea nota fuit. *Patres* contra πολυθείαν Ethnicorum his vtuntur argumentis. 1. Quod est summum, perfectissimum, simplicissimum, ac impartibile, id non potest nisi vnum esse: nam is demum est perfectissimus, simplicissimus & impartibilis, qui solus totum habet. At Deus est perfectissimus, simplicissimus, &c. 2. Regi omnium Regum, & Domino omnium dominantium conuenit, vt sine socio imperet: aliàs enim nec ipsius autoritas & maiestas erit maxima; nec ipse solus dominabitur vniuersis; nec solus omnia gubernabit. At Deus solus Rex Regum. 3. Non possunt esse actu multa infinita. At Deus sua Natura est infinitus & immensus. 4. Si multi sunt Dij, circumscripti sint necesse est: vbi enim fuerit vnus, alter esse non poterit. At πειζαλλον εἶναι adeo pugnat cum Natura Dei, vt Deus esse nequeat, qui circumscribi potest: cum Deus sua Natura sit immensus. 5. Si plures sunt Dij, aliqua inter illos differentia sit oportet. Si autem sit differentia inter illos essentialis, ita vt vnus habeat, quod non habet alter, non poterunt igitur esse perfecti. Atqui Deus esse non potest, nisi sit numeris omnibus perfectus. Plura videri possunt apud *Ignat.* Epistol. 9. ad Antioch. *Iustin.* in exhort. ad gent. & in lib. de monach. *Clement. Alexandr.* orat. exhort. ad gentes: *Tertul.* contra Praxeam. in Apologet. libr. de idolatr. lib. 3. adu. Marcion. *Cyprian.* de idolorum vanitate. *Athanas.* orat. contra Idola, in Epist. contra Gregal. Sabel. *Nazian.* orat. 2. de Theolog. *Basilium* orat. contra Sabell. & Arium: *Ambros.* 1. de fid. cap. 3. *Lactant.* 1. Inst. Diu. cap. 3. *Augustin.* 1. de Trin. cap. 4. *Damasc.* 1. orth. fid. c. 3. &c.

Et Scholastici. 42. Hanc DEI vnitatem probare satagunt etiam Scholastici. Sic. Tho. pag. 1. q. 11. art. 3. Deum esse vnum probat, primo ex simplicitate: secundo ex vnitate perfectionis: tertio ab vnitate mundi. *Scotus* 1. sent. dist. 2. q. 2. vrget potissimum hoc, quod in causis essentialiter subordinatis oporteat ponere statum, ne fiat processus in infinitum: vnde concludit, esse aliquod Ens primum primitate causalitatis effectiuæ, & finalis, & primitate eminentiæ, hancque primitatem vni soli Naturæ conuenire. Sed Biel 1. sent. dist. 2. q. 10. art. 3. statuit, quod tantum vnum esse Deum sit creditum & non demonstratum ratione naturali nobis invia possibili: id nos ita interpretamur, etiamsi ex Naturæ libro rationes non contemnendæ pro vnitate diuinæ essentiæ asserenda erui possint: eas tamen ad fidei πληροφορίαν cordibus nostris in generandam, non satis efficaces esse: ergo mens priùs confirmanda est ex verbo DEI & illustribus testimoniis, in quibus se Deus generi humano patefecit: postea vtiliter potest addi consideratio Philosophicarum demonstrationum.

Et quidem simme vnum. 43. Est autem Deus summè vnus: Vt enim aliquid sit maximè vnum, oportet vt sit maximè Ens & maximè indiuisum. Deus autem est ipsum Esse subsistens omnibus modis indeterminatum, Item nec actu nec potentia diuidi potest, Ergo est summè & maximè vnus. Thom. p. 1. q 11. art. 4. Vlterius, vt Deus seipso est, nec enim differt in eo esse & essentia, ta etiam seipso vnus est & sic essentia vnus, neque vnitas est aliquid essentiæ eius superadditum;

DEVS est perfectissimus & simplicissimus, ita etiam modo perfectissimo & simplicissimo vnus est. *Aristoteles* 4. Metaph. 6. inquirit, πῶς αχῶς ἓν λέγεται, ac ostendit, alia esse & dici vnum per accidens & alia per se, postea eorum, quæ dicuntur vnum per se, tradit modos sex, quorum vnus perfectior est altero. 1. Est vnum κατὰ τὸ συνεχὲς, id est, continuo. 2. vnum κατὰ τὸ ὑποκείμενον, id est, subiecto. 3. vnum κατὰ τὸ γένος, id est, genere. 4. vnum κατὰ τὸ εἶδος, id est, specie. 5. vnum κατὰ τὸν λόγον, ὃς τὸ πῆ ἓν εἶναι, λέγει, hoc est, definitione, quæ explicat, quod quid est, atque hi quinque modi sunt imperfecti, perfectissimus est sextus, quo aliquid simplici & indiuisibili essentia vnum est. Eatenus enim aliquid est vnum, quatenus est indiuisum: proinde quantò minùs aliquid est diuisibile, tantò magis est vnum. Iam verò Deus est simplicissimus, & essentia eius modis omnibus ἀδιαίρετος, ergo perfectissimè vna.

44. Remouendi proinde omnes imperfectæ vnitatis modi, & solus perfectissimus modus Deo assignandus. *Esse vnum consensu*, est modus vnitatis valdè imperfectus: ergo non exprimit plenè vnitatem diuinæ essentiæ: ac proinde dictum Christi Iohann. 10. versiculo tertio, Ego & Pater vnum sumus, non potest nec debet de sola consensus vnitate explicari. *Athanas.* ad Theoph. de vnit. Trinit. *Hæretici vnum voluntate, consensu, concordia ad Deum intelligunt, non Deitate. Errant*, qui vnitatem κατὰ τὸ εἶδος Deo assignant, ac disputant, Deum quidem vnum esse essentia, sed eo modo, quo & multi homines: nam & ij essentia specifica dicuntur esse vnum: interim tamen ratione indiuidui multi sunt homines, ac proinde volunt tribus illis personis vnam θεότητα ita communem esse, vt sint nihilominus τρεῖς θεοί, quorum meminit *August.* tom. 3. de agone Christi cap. 15.

πολυθεΐα. 45. Deploranda ergo est 1. Ethnicorum cœcitas, apud quos πολυθεΐα adeò fuit receptus, quique pro vno Deo δῆμον θεῶν (vt loquitur *Nazianzen.* serm. de Natal. Christi) coluerunt. *Quicquid humus, pelagus, cœlum mirabile signant, Id dixere Deos, colles, freta, flumina, flammas*, vt de illis canit Prudentius. *Varro* trecentos commemorat Ioues. *Hesiodo* τρεῖς μύριοι εἰσὶ θεῶν θνητὸ χθονὶ πολυζοτῆρι. Vide *Augustin.* lib. 6. de ciuitat. Dei. 2. Detestanda est *Valentini* insania, qui monstrosam Deorum multitudinem introduxit, & singulis operibus Dei singulos Deos attribuit circa annum Christi 139. Existimauit, si tot sint personæ diuinitatis, in quot baptizemur, tot etiam Deos esse statuendos, quot Dei sunt beneficia. Vide Iren. adu. hæres. Tertullian. adu. Valentin. 3. Nec cum minori blasphemia coniunctum, quod *Marcion* circa annum Christi 157. Cerdonis præceptoris sui vestigia secutus, alium esse Veteris Testamenti Deum, iustum, seuerum, scelerumque vindicem: alium Noui, misericordem, longanimem & beneficum docuit: hunc Tertullian. libris quinque refutauit. 4. Confinis huic blasphemiæ *Manetis* furor, qui circa annum Christi 274. introduxit duos Deos, vnum bonum, boni omnis causam in Natura; alterum malum, à quo ἀταξία omnis & aduersa omnia, hosque Deos pariter æternos, & sibi inuicem inimicos & contrarios esse statuit. De hoc Manete & eius asseclis Manichæis *Augustinus* passim agit. 5. Etroneum etiam est, statuere in Deo tres spiritus æternos, essentiali numero differentes, quod faciunt *Gentilis* proth. 20. & 23. eiusque complices *Trithei*.

46. Atque hi omnes directè tollunt diuinæ essentiæ vnitatem: oblique eam labefactant, qui diuinum Deoque proprium cultum exhibent creaturis. Valde etiam impropriè *Piscator Herbornensis* ponit in Deo *genus & species, vel certè quasi species. Zanchius* inconsideratè scribit lib. 2. de trib. Elohim c. 7. p. 529. *tres personas posse verè & religiosè vocari partes Dei nempe essentiales, idcirco dici posse, Deum seu diuinam essentiam constare in tribus tanquam suis partibus essentialibus.* His aliisque similibus impropriis locutionibus, (quarum plures in sequenti Disput. ennumerabimus) quibus oblique summa & simplicissima diuinæ essentiæ vnitas impetitur, opponimus regulam *Nazianz.* orat. 2. de Theol. *Id quod agit, est vna communis tribus Deitas: & illud Augustini, Essentia prædicatur de Patre, Filio & Spiritu sancto, non vt genus de speciebus, nec vt species de indiuiduis, nec vt totum de partibus, sed alio quodam ineffabili & incomprehensibili modo.*

CAPVT VII.

De diuinis attributis.

47. Hactenus de diuinæ essentiæ summa & indiuisa vnitate, ex qua sequitur, essentiales Dei proprietates omninò realiter vnum idemque esse cum ipsa diuina essentia: si enim attributa illa realiter differrent ab essentia Dei, vtique Deus ex essentia & accidentibus esset compositus, & sic essentia diuina non esset summè vna & indiuisa. In Angelis & hominibus attributa siue qualitates differunt ab essentia, πᾶν γὰρ τὸ κτιστὸν ἐστι τρεπτὸν *Damasc.* 1. orth. fid. c. 3. aliud est Angelorum bonitas, veritas, potentia, &c. aliud ipsorum essentia (ἀγγελότης) sed in Deo res se habet aliter, propter summam diuinæ essentiæ vnitatem & indiuisam, imò etiam indiuisibilem simplicitatem [ἀδιαίρετον ἁπλότητα,] essentia, bonitas, potentia, sapientia, iustitia & reliqua attributa omnia sunt in Deo realiter vnum: neque enim Deus alio quodam superaddito, sed seipso, hoc est, sua essentia bonus est, ideoque ipsa bonitas & summum bonum: non alio quodam essentiæ superaddito accidente potens est, sed seipso, hoc est, sua essentia potens, ideoque ipsa omnipotentia, & sic consequenter de aliis etiam attributis pronunciandum. Inde factum, vt potentia, bonitas, sapientia, &c. nominentur attributa, non autem qualitates vel accidentia. Licet enim nobis videantur aut qualitates quædam in Deo esse, sicut in nobis sunt, vt bonitas, iustitia, veritas: aut facultates & δυνάμεις naturales, vt voluntas & libertas agendi quicquid vult: aut etiam πάθη, vt amor, ira, misericordia: reuera tamen in Deo accidentia non sunt, neque naturales passiones aliudve quippiam ab essentia eius diuersum: ea tamen Deus, quò melius suam nobis Naturam patefaceret, sibi attribuere in sacris literis consueuit. *Zanch.* 2. de Nat. Dei cap. 1. *Occam* quod libr. 3. q. 2. notat, *antiquos sanctos id vocasse in diuinis nomina, quod nos dicimus attributa*, sed videtur falli, quia per nomina intellexerunt personas, vt ex hymno Ecclesiæ de Trinitate constat: Hinc regulæ, *Nihil est in Deo quod non sit ipse Deus. Nulla in Deo sunt accidentia. Essentia diuina identificat sibi omnia, quæ sunt in diuinis. Biel* & reliqui Scholastici super 1. sent. dist. 1. q. 5. *Diuina attributa.*

48. Hanc diuinorum attributorum cum diuina essentia omnimodam identitatem comprobant primò dictæ illia, in quibus Deus ipsa vita, ipsa lux, ipsa bonitas, &c. appellatur: id enim probat Deum non esse viuum participatiuè, accidentaliter *Diuina attributa ipsi eadem cum Dei essentia.*

&

& mutabiliter, sed viuere per seipsum & sua essentia, sicque originaliter, essentialiter & immutabiliter esse ipsam vitam. *Viuo ego*, dicit Dominus Ezech.13.v.11. quomodo verò viuit? ita *vt vitam habeat in semetipso*, Ioh.5.v.26. imò *vt sit ipsa vita* 1.Ioh.2.v.2. *Sic habitat Deus in luce inaccessibili.* 1.Tim.6.v.16. *& cum ipso lux est.* Dan.2.v.22. num verò lux est accidens quoddam in Deo? 1.Ioh.1.v.5. *Deus lux est*, intellige lux essentialis, ἀϊδιοφυής, ἄτρεπτος, &c. Sic Deus misericors est, vti passim Scriptura testatur, at num misericordia est mutabile quoddam accidens in Deo realiter ab essentia distinctum? minimè verò, sed Deus est ipsa misericordia & dilectio.1.Ioh.4.v.7. & 16. *misericordia eius tanta est, quantus ipse*, Eccl.2.v.21. ergo est ipsa Dei essentia.

49. Deinde comprobat hoc locorum Scripturæ collatio.Psal.25.v.6. orat Propheta Regius, *reminiscere miserationum tuarum Domine & misericordiarum tuarum, quæ à seculo sunt.* v.7. *Delicta iuuentutis meæ & ignorantias ne memineris, secundum misericordiam tuam memento mei, propter bonitatem tuam Domine*: id confer cum Es.43.v.25. *Ego, ego sum,* [*dicit Dominus*] *qui deleo præuaricationes tuas propter me, & peccatorum tuorum non recordabor.* En Dauid orat, *vt Deus propter bonitatem suam peccatorum non recordetur amplius*: apud Esaiam dicit Deus, *se propter seipsum non recordari peccatorum.* Ergo Dei bonitas est Deus ipse, nec distinctum quid ab ipsa Dei essentia. Sic Ierem.51.v.14. Amos 6.v.8. *Iurat Dominus exercituum per animam & in anima sua*: id confer cum eo, quod Gen.22.v.16.Ier.49.vers.13. Hebr.6.v.13. Deus dicitur *iurare per semetipsum*, vides quòd anima & vita Dei sint ipse Deus, siue ipsa essentia diuina. Leuit.26.vers.11. dicit Dominus ad Filios Israel, *Non abiiciet vos anima mea*, id v.12.sic exponitur, *Habitabo inter vos, ambulabo in medio vestri & ero Deus vester.* v.30. *Si non obedieritis mihi, abominabitur vos anima mea*, id v.28.sic exponitur, *incedam vobiscum cum ira.* Es.1.v.14. *Neomenias vestras odio habet anima mea*, id ibidem sic exponitur, *Sunt mihi onerи*: c.42.v.1.de Christo dicitur: *Hic est Dilectus meus, in quo complacitum est anima meæ*, id Matth.3.v.17. sic exponitur, *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacuit.*

50. Denique referenda hûc sunt dicta, quæ de immutabilitate essentiæ diuinæ testantur. Si in Deo aliud forent essentia & attributa ipsius, vtique essentia eius non esset ἀπαθὴς immutabilis. Exod.3.v.14. dicit Deus ad Mosen: *Ero qui ero*: *Sic dices filiis Israel: qui est, misit me ad vos.* Nulla creatura mutabilis & alterabilis dicere potest, *Ero qui ero*, sed soli immutabili Deo his verbis vti conuenit: nos homines, quid cras futurum sit, ignoramus, Iac.4.14. misericordia, bonitas, iustitia sunt in nobis accidentia mutabilia, sed Deus perpetuò sui similis est. Ps.102.v.13. *Tu Iehoua permanes in seculum.* v.26. *opus manuum tuarum sunt cœli.* v.27. *ipsi peribunt, & tu perstabis & omnia ipsa, sicut vestimentum, veterascent, veluti pallium mutabis eos, & mutabuntur.* v.28. *tu autem ipse & anni tui non consumentur.* Sic 1. Iohan.1.vers.5. *Deus lux est & tenebræ non sunt cum ipso*, quin *nec variatio lucis & tenebrarum apud ipsum*, Iac.1. vers.17.

Attributa ἀνθρωποπαθῶς Deo assignantur.

51. Quamuis verò attributa illa Dei nec inter se nec ab essentia diuina realiter sint in Deo distincta: tamen sigillatim de illis vt agatur, intellectus nostri imbecillitas requirit. *Condescendit nobis DEVS, vt nos consurgamus*, Augustin.de spec. c.112. & cùm homines simus, humano more nobis loquitur. *Non est possibile*, ait *Dionys.*lib.1.de cœleste.hierarch.c.1. *aliter illucere nobis diuinum radium, quàm per varietatem velaminum sacrorum anagogicè circumuelatum. Intelligamus Deum si possumus, quantum possumus, sine qualitate bonum, sine quantitate magnum, sine indigentia creatorem, sine situ præsentem, sine habitu omnia continentem, sine loco vbique totum, sine tempore sempiternum, sine vlla sui mutatione mutabilia facientem nihilque patientem. Augustin.*lib 5. de Trin.c.1. *Simplex est Dei Natura & immutabilis atque imperturbata, neque aliud est ipse, & aliud quod habet & quod est.* Idem lib.de essent.diuina.

Creationis opus non fecit Deum mutabilem.

52. Nec quicquam derogat simplicissimæ huic essentiæ & attributorum diuinorum identitati, quòd Deus in tempore demùm creatoris nomen sortitus est, & quòd Filius Dei in temporis plenitudine humanam naturam personaliter sibi vniuit, &c. rectè enim monet *Cyrillus* lib. 1. Thesauri c. 1. & Augustin.5. de Trin.c.10. *quædam quæ de Deo dicuntur, eius substantiam significare, quædam verò relationem quandam ad creaturas*: proinde etsi quædam de Deo dicuntur [πρός τι νῦν] temporaliter, relatione ad creaturas & sic secundum accidens: tamen in illis non experimitur mutatio quædã, quæ in diuina essentia facta sit, sed factã in creaturis mutationem relatiua illa nomina Deo attributa exprimunt. *Exemplis res erit clarior.* In creationis opere vocauit Deus τὰ μὴ ὄντα, ὡς ὄντα (κλῆσις εἶναι) Rom.4.v.17. non autem in opere illo Deus mutatus est, qui mansit sui similis, eque potens ante creationem, quàm post eam, æquè diues post creationem quàm ante eam, sed in creaturis facta est mutatio, illæ ex non Entibus factæ sunt Entia. Sed nec voluntati diuinæ mutabilitas quædã, in opere creationis contigit, non enim in tempore demùm sed ab æterno Deus constituit mundum creare, creatio quidem ipsa in tempore facta est, sed decretum creationis est æternum. *Sol* in ortu nullam sui experitur mutationem, sed terrigenæ, & sublunaria nouum illum Solis accessum experiuntur, eiusque calore & luce aer immutatur: Sol verò ipse perpetuò manet sui similis, nullum suæ lucis, per κατώπτρισιν istam, defectum sentit. Applica hoc ad æternam illam & increatam lucem, videbis multò minùs vel defectum vel mutationem vel variationem ipsi hoc nomine tribuendam, quòd in tempore demùm suæ bonitatis, sapientiæ & potentiæ radios in opere creationis exeruerit. Breuiter: Negantur de Deo accidentia realia, non autem prædicata accidentalia.

Nec opus incarnationis.

53. Idem esto iudicium de admirando illo incarnationis opere, in quo Filius Dei secunda Trinitatis persona humanam Naturam personaliter sibi vniuit, nec tamen vllam in eo diuina Natura assumens mutationem vel variationem persensit, sed in sui ἑνωσάσης ἀτρεπτῶς ὁ λόγος ἀτρέπτως humanam naturam assumsit. Non enim eo modo *Verbum caro factum*, Ioh.1.v.14. sicut aqua in hydriis Cananæis vinum facta est, Ioh.2.v.14. sed *Deus* (*Dei Filius*) *in carne est manifestatus* 1.Tim.3.v.16. *carnis & sanguinis particeps factus.* Hebr.2.vers.14. Trinitas mansit Trinitas, etiam post verbi incarnationem, Filius DEI mansit Deus etiam post humanæ naturæ assumtionem; diuitias quidem suas post humanæ naturæ assumtæ ὁ λόγος per vnionem communicauit, nec tamen ex eo factus indigentior: non enim effusio fuit, sed communicatio: hac de re extant pulcerrima Patrum dicta: *Exceltsius nõ exaltatus est, sed caro excelsi: non verbo sed carni acquirebatur gloria; humana augens diuina non minuens, &c.*

Affectus qua ratione Deo tribuantur.

54. Sed nec affectus illi, quos Scriptura Deo tribuit, vllam diuinæ essentiæ mutabilitatem arguunt, quæ enim dicuntur ἀνθρωποπαθῶς, intelligenda sunt θεοπρεπῶς; Deus est & manet perpetuò idem, per peccata nos ab eo diuidimur, & luce misericordiæ priuamur, ipse autem non mutatur, ipsi nihil decedit;

si per conuersionem seriam ipsi appropinquamus, misericordiæ eius iterum participes reddimur, ipse verò non mutatur, ipsi nihil accedit. Non ipsi, sed nobis fructuosa est nostra conuersio: non ipse, sed nos in conuersione mutamur. Sol perpetua lucis ὁμωνύμως cuilibet obuius est, interim qui se antris ac cauernis includit, ei Solis calor & lux desiisse videntur: sic Deus est æternum & immutabile bonum, quia est ipsum summum bonum, qui verò *magis diligit tenebras quàm lucem*, Ioh.3.ver.19. is seipsum priuat bonitate Dei omnibus obuia, nulla interim facta in Deo mutatione. Aug.22. de ciuit. Dei c.1. *Cùm Deus mutare dicitur voluntatem suam, vt quibus lenis erat, verbi gratia, reddatur iratus, illi potius quàm ipse mutatur, & eum quodammodo mutatum, in his quæ patiuntur, inueniunt.*

55. Saluator noster Luc.6.v.36. requirit, *vt simus misericordes, sicut & Pater cœlestis misericors est*, sed ex eo non est inferendum, quòd misericordia in Deo sit talis affectus & accidens mutabile, qualis est in nobis: minimè verò, sed quantò maior & excelsior est æternus, immutabilis & ipse per seipsum subsistens Deus, quàm nos humi repentes vermiculi: tantò maior, purior & nobilior est Dei misericordia quàm nostra, imò est quiddam multò ardentius in Deo, quàm nos cogitare possumus. Est enim *tanta, quantus ipse est*, Eccles.2.v.21. vnde Oseæ 11.vers.8. dicit: *Accensa est in me misericordia, non faciam furorem iræ meæ, non conuertitur vt disperdam Ephraim, quoniam ego Deus & non homo*, quasi dicat, in hominibus, quia virtutes sunt accidentia, ideò facilè recipiunt mutationem, vt quem primò ardentissimè amarunt, mox leui de causa extremè oderint; mea verò caritas non est talis. Præterea homines quando aliquã diu patienter expectarunt emẽdationem, & nulla sequitur, tùm tandem irritati mutant affectum, sed quia Deus sum & non homo, non faciam furorem iræ meæ Hæc pulcerrimè ita monet Dn. Chemn. in explicatione huius dicti p.1.locor.pa. 70. Christus ergo, quando Patris cœlestis misericordiam imitandam nobis proponit, non eo fine id facit, vt doceat commiserationem in DEO esse affectum mutabilem & accidentalem, qualis in nobis est: sed requirit, 1. vt misericordia nostra sit ἀϋπόκριτος 1. Ioh 3. v. 8. neque enim Deus verbis solùm nos honorauit, sed in Filij missione viscera quasi misericordiæ suæ opulentissimè in nos effudit. 2. vt sit constans, nec leui de causa mutetur. 3. vt in dies in dilectione proficiamus, neque enim vnquam in hac vita dilectionis & misericordiæ diuinæ perfectionem assequi poterimus, Bernhard. tract.de dilig.Deo, cùm dixisset, in Deo summam esse caritatem, postea subiecit: *Nemo tamen me existimet caritatem hîc accipere qualitatem vel aliquod accidens (alioquin in Deo dicerem, quòd absit, esse aliquid quod DEVS non est) sed substantiam illam diuinam, quod vtique nec nouum nec insolitum est, dicente Iohanne*, Deus caritas est. *Dicitur ergo rectè charitas & Deus & Dei donum, caritas dat caritatem, substantiua accidentalem.*

56. Diximus superiùs, quod summa illa attributorum cum diuina essentia atque ipsorummet inter sese identitas non obstet, quò minus de singulis attributis distinctè & seorsim agamus: ideò illorum siue attributorũ, siue perfectionum docendi causa certas constituemus classes, vbi priùs notauerimus, in quæstione ista: Vtrùm perfectiones siue attributa sint realiter diuina essentia? Bielem 1. sent. dist.2. q.2. sic procedere. 1. *accipiendo perfectionem pro re ipsa quæ perfecta est, non sunt in diuinis plures perfectiones attributales, omnia enim in diuinis, quæ sunt communia tribus, non pluralicantur, sed sunt vnum simpliciter, & vna simplex essentia.* 2. *Propriè & de virtute sermonis loquendo, non est concedendum, quod in Deo vel diuina essentia sit perfectio, sed perfectio summa est omnibus modis diuina essentia ipsa ab ea penitus indistincta.* 3. *Accipiendo perfectiones attributales pro conceptibus vel signis, nec sunt Deus nec diuina essentia, sunt enim conceptus vel signa diuinam essentiam significantia. Et tunc sunt multæ vnicam perfectionem diuinam non συνωνύμως significantes, termini scilicet vel affirmatiui vel negatiui, absoluti vel connotatiui.* Hactenus Biel.

57. Enumerabimus igitur potiores attributorum diuinorum diuisiones. 1. Quædam attributa prædicantur de Deo & creaturis simul; quædam verò de solo Deo. *Prioris* generis sunt, quibus res, quæ in creaturis accidentia sunt, in Deo autem substantiæ, significantur, vt quando Deus dicitur bonus, sapien. *Posterioris* generis sunt, quibus res, quæ in solum Deum competunt, explicantur, vt quando Deus dicitur æternus. 2. Quædam dicuntur de Deo absolutè, hoc est, sine vlla relatione ad creaturas: alia cum quadam relatione. Ad *prius* genus pertinet, quod Deus dicitur æternus, immensus: ad *posterius*, quòd dicitur creator, Rex, Dominus, &c. illa competunt Deo ab æterno, hæc verò si propriè accipiantur, in tempore tantùm. 3. Quædam dicuntur ἀποφατικῶς negatiuè, vt quando inuisibilis, immortalis, &c. Deus dicitur: quædam verò καταφατικῶς, quando bonus, iustus, sapiens, &c. dicitur. Basil.lib.1. contra Eunom. sic effert hanc diuisionem: *Quædam nomina Deo attributa significant, quæ in eo insunt; quædam ea, quæ alienissima ab ipso censentur.* 4. Quædam de Deo dicuntur propriè, vt quòd sit sapiens, bonus, &c. quædam impropriè, vt quando per ἀνθρωποπάθειαν membra corporea & affectus humani ei tribuuntur. 5. Quædam dicuntur in abstracto, vt quando Deus dicitur vita, caritas: quædam in concreto, vt cùm vocatur Deus viuens, Saluator, Iustus, &c. Zanch.1.de Nat.Dei c.4.

Diuisiones attributorum diuinorum.

58. Circa primam diuinorum attributorum diuisionem obserua, bonitatem, sapientiam & reliqua huius generis attributa de Deo prædicari 1.non sensu negatiuo, vt voluit R. Moses Ægyptius lib.1. c. 58. is enim statuit, quando dicimus Deum esse intelligentem, nihil aliud hoc nomine significari, quàm quod Deus non sit, quales sunt res vitæ & intelligentiæ expertes, sed aliquid excellentius. 2. nec tantùm per modum causalitatis, quasi hęc nomina nihil aliud denotent; quam eum esse talium rerum, quales per nomina significantur, causam: vt Deus est bonus, id est, causa bonitatis in creaturis: iustus, id est, causa iustitiæ, &c. verè quidem hæc dicuntur sed non sufficienter. 3. nec συνωνύμως Deo & creaturis talia attribui, quia bonitas, sapientia, potentia in creaturis sunt accidentia; sed in Deo sunt ipsa Dei essentia: sed prædicari ἀπλῶς, ὑπερκειμένως, ὑπερεχόντως καὶ θείκως, hoc sensu, quod quicquid bonitatis, iustitiæ, potentiæ, &c. in creaturis est, id totum priùs præexiterit & præexistat in Deo, & quidem longè perfectius & perfectiori modo quàm in creaturis. Quæ enim in rebus creatis multæ & imperfectæ sunt virtutes, hæ omnes sunt in Deo vnum, & perfectissimum quid: quæ per modũ accidentis insunt creaturis, hæ omnes sunt in Deo ipsa eius essentia: ideò dicitur summè bonus, summè iustus, summè potens; ipsa bonitas, ipsa iustitia, ipsa potentia. Et quia talis est in se & sua natura, ideò etiam causa est talium virtutum & perfectionum in rebus à se conditis: tãtùm abest, vt ideò tantùm dicatur bonus iustus, potẽs &c. quia bonitatis, iustitię & potentiæ causa est. Thom p.1.q.13.art.2. *quando dicitur, Deus est bonus: sensus est, id, quod dicimus bonitatem in creaturis, præexistit in Deo, & hoc quidem secundùm modum altiorem.*

Prima attributorum diuinorum diuisio.

59. Ac-

59. Accuratè proinde hoc obseruetur, in nominibus his duo consideranda esse: primùm quidem res, seu perfectiones per ipsa nomina significatas, vti est vita, bonitas: deinde modum, quo nomina hæc perfectiones illas significant. Ad res & perfectiones ipsas quod attinet, sicut hæ priùs fuerunt & sunt in Deo, idque etiam perfectiori modo, quàm sunt in creaturis, & hoc modo sunt Dei propriæ: ita etiam nomina, quatenus per hęc perfectiones ipsæ significantur, magis propriè Deo attribuũtur, quàm creaturis, & priùs illi conueniunt, deque illo prædicantur, quàm de creaturis. Sed modus significandi non ita propriè conuenit Deo vt creaturis, quia hoc respectu imperfecto modo significant, quod significant. Zanch. 1. de Natura Dei c.8.q.3. qui desumsit illa ex Th.p.1.q. 13.art. 3. & 6. *nomina illa quantum ad rem significatam per priùs dicuntur de Deo, quia à Deo huiusmodi perfectiones in creaturas promanant: sed quantum ad impositionem nominis per priùs à nobis imponuntur creaturis.*

60. Ex hoc fonte promanat regula vtilissima: Quæcunque à creaturis transferuntur ad Deum, repurganda priùs sunt ab omnibus imperfectionibus, ac tum demum, id quod perfectum est, Deo attribuendum. Sic iustitia in hominibus significat virtutem accidentaliter inhærentem, sed ab hac imperfectione repurgandum est nomen, quando ad Deum transfertur, & quod in iustitia manet summum ac perfectissimum, id Deo tribuendum.

Secunda attributorum diuinorum diuisio.

61. Circa secundam attributorum diuinorum diuisionem obserua; κατὰ illa nomina Deo attributa esse quidem realia relatiua (siquidem eorum esse non pendet ab operatione intellectus) interim tamen esse relatiua non mutua. Dicuntur autem relatiua mutua, quæ ex vtraque parte sunt realia, vt Pater & Filius: aut ex vtraque parte rationis, vt dextrum & sinistrum in columna: non mutua verò quæ ex altera parte sunt realia, ex altera rationis: Talis relatio est inter Deum creatorem & creaturas. Nam relatio creaturæ ad creatorem realis est (propter realem dependentiam quam habet creatura à creatore) sed creatoris ad creaturam non realis sed rationis est. Fonseca 5.Metaph.c.15.q.1.sect 5. *Creaturæ possunt esse & non esse, proinde si vlla relatio realis ad creaturas esset in Deo, illa quoquè pari ratione posset esse & non esse, alioqui daretur realis relatio inter extrema, quorum alterum non existeret, quod fieri nequit: vnde fieret, vt aliquid reale in Deo esset contingens, quod dici nullo modo potest. Deinde Deus non est in potentia ad vllum actum realem, cùm sit actus purus realiter, ac in se, licet nostra cogitatione ac denominatione sit in potentia ad multa, quæ intellectus ei tribuere potest creaturarum comparatione aut imperfecto intelligendi modo: at si relatio aliqua realis esset in Deo comparatione creaturæ, cùm illa sit actus quidam realis, sanè Deus antequam creasset mundum, fuisset in potentia ad actum realem, atque ita non esset actus purus.* Idem l. 3. sect. 7. Vide Scotum & reliquos 1.sent. dist. 30.

Tertia diuinorum attributorum diuisio.

62. Circa tertiam diuisionem obserua, quòd Patres viam negationis dicant esse optimam ac perfectissimam ad cognoscendum Deum. (Notum est ex Dionys. de myst. Theol. c.2. & de diu. nom. c.7. triplicem assignari viam, qua ex creaturis Deum cognoscimus, videlicet viam eminentiæ, Causalitatis, & Negationis. Viam eminentiæ vocat, qua, quicquid in rebus creatis eminet, remota omni imperfectione Deo tribuimus, vt vitam, sapientiam. Viam causalitatis dicit, qua eum ex effectis cognoscimus. Viam negationis dicit, qua omnia à Deo remouemus, quæ defectum *notant, vt passionem, mutationem.*) Cyprian. tract.3.de simpl.prælat. *Sic Deum dignè æstimamus, dum inæstimabilem dicimus.* Isidorus Clarius crat.5. tom.1. p.21. Plotini commendat dictum, quod extat octauo libro Enneados sextæ c.21. *Acutè, inquit, certè & eruditè Platonicus vir Plotinus ait: tu quoties Deum dices vel cogitabis, reliqua, auferes omnia, quæ cùm abstuleris & ipsum solum reliqueris, ne quæras vltra, quid addas, sed potiùs ne fortè adhuc reliqueris aliquid, quod inde cogitatione tua nondum satis abstuleris. Sic R. Moses Ægyptius* c.54. libri eius, quem dubitantium directorem vocat, quatuor hæc à Deo remouenda esse dicit: *primum quod inducit corpus, alterum ex quo sequitur, quod sit mutabilis: tertium quod inducit priuationem, ac si esset aliquid in eo in potentia & postea in actu: quartum, quod inducit assimilationem eius ad creata.* Pulcrè Scaliger ex 365.sect.2. *Cùm per opera eius Deum intelligamus, non tamen per ea melius intelligimus, quàm per ea, per quæ negamus nos intelligere.* Et paulò post. *Nullis tam plenè vocibus eum indicatum intelligemus quàm iis, quæ ignorationem prætendunt nostram: Nimirum vbi eum dicimus immensum incomprehensibilem, quid aliud quàm & esse cognoscimus & supereesse? idcirco ne quæramus, qui sit? cùm sit omnia & super omnia & præter omnia. Hoc ipso cognoscimus, quòd à se solo cognosci potest.* sect 9. *Interest & nostra pietatis & Dei immensitatis ea* (de Deo) *sentire, quæ sentire non possumus, sentire quidem in ipso, per ipsum, quæ per nos sentire nequeamus. Nunquam satis fuerit homini felicis ingenij cogitare omnia magnifica, ingentia, immensa de ineffabili omnipotentia Dei: Nam quotusquisque nostrum ignorat inscitiam suam? quam tuam demùm cum vera sapientia commutabit, vbi non inuitus ac verò lubens fatebitur se nihil scire.*

63. De nominibus illis ac terminis negatiuis obseruandum dictum Damasc.lib.1.orth. fid. c. 13. τῶν θείων ὀνομάτων τὰ μὲν ἀποφατικῶς λέγονται, δηλοῦντα τὸ ὑπερέχον. οἷον ἀθάνατος, ἄχρονος, ἀνάρχος, ἀόρατος, ἀχώρητος, ἄπειρος, ἄπλατος, ἀπερίγραπτα (αὐτὰ γὰρ ἐστὶ πάντα κρεῖττον δὲ αὐτῶν τὸ ἀγένητον, κἂν αὐτῷ συμβέβηκεν) ἀλλ' ὅτι πάντων ὑπερέχουσι θεῖόν ἐστιν ἐξηγήσατο. οὐδὲν γὰρ θεῖον ὄντων, ἀλλ' ὑπὲρ πάντα ἐστί: vnde Isidorus Clarius loco paulò superiùs allegato dicit, in illis negationibus non simplicem ac solam inesse negationem, sed excellentiores ibidem positiones, affirmationesque delitescere.

Quarta diuinorum attributorum diuisio.

64. Circa quartam attributorum diuisionem hanc obserua regulam: Quæcunque nomina de creaturis prædicata perfectionem aliquam absolutè & sine defectu sua naturali significatione significant, de Deo propriè prædicantur, & quidem magis propriè quàm de creaturis, vt bonitas, sapientia, &c. sed quæcunq; nomina perfectionem non absolutè, sed cum modo creaturarum proprio significantia, de creaturis dicuntur, ea de Deo non possunt nisi per similitudinem & metaphoram prædicari. Zanch. 1. de Nat. Dei c.9.thesi.1. dicitur prædicari de aliqua re μεταφορικῶς, cùm quod propriè de vno prædicatur, & illius est proprium, id ad aliam rem propter similitudinem aliquam accommodatur. Sic nomen leonis propriè de eo animali, quod leonem vocamus, prædicatur, ac proinde perfectionem significat, non absolutè sicut Ens & bonum, sed cum modo huic creaturæ proprio. Si ergo hoc nomen prædicatur de Deo, illud fit per metaphoram, propter fortitudinem, qua leoni similis est. Nulla est creatura quæ non alicuius diuinæ perfectionis facta sit à Deo particeps, si non alius, certè τὸ εἶναι, ergo omnes creaturæ sunt aliqua ex parte Deo similes; vicissim autem Deo sunt dissimiles, quatenus scilicet quas à Deo habent perfectiones, eas imperfectè, non autem veluti sunt in Deo, habent. Hinc Dionys. 1. de diu.nom. *Deum esse omnia, quæ sunt* (quatenus in omni creatura est aliquod diuinitatis vestigium, vnde illius

nomen Deo accommodari potest) *& vicissim Deum nihil esse eorum, quæ sunt* (quatenus est supra omnia & extra omnia, vnde nullum ex creaturis hauriri potest nomen, quod Dei essentiam perfectè exprimat.)

Quinta attributorum diuinorum diuisio.

65. Circa quintam attributorum diuinorum diuisionem obserua, abstractis nominibus Deum de sese vsum ad denotandam tùm perfectionem tùm causalitatem. Sic Deus est bonitas & vita. 1. quia perfectissimo modo videlicet per essentiam bonitas est & vita. Abstractæ namque formæ simplissimæ sunt & perfectissimæ: sic albedo τὸ θηνοιὰ secreta à pariete (etsi reipsa separata non detur) est simplicissima, & purissima, nihil contrarij aut dissimilis admixtum habens. 2. quia causa est bonitatis & vitæ in creaturis: quæcunque bona sunt, quæcunque viuunt, bonitatem & vitam ab hoc bonitatis & vitæ fonte participant. Concretis verò nominibus de sese vsus est, vt indicaret se esse verè subsistentem, non aliquod Ens rationis sicut bonitas, vita, sapientia, &c. nullibi in creaturis separatim subsistunt. Zanch. 1. de Natur. Dei c. 4. th. 10.

Sexta attributorum diuisio.

66. Atque hæ sunt potiores attributorum diuinorum diuisiones: nos vt de attributis istis ordine possimus speciali διαιρέσει agere, subiungimus aliam diuisionem, qua attributa diuina statuuntur esse duplicis generis: *Primò* quædam in simplici diuinitate considerantur, quæ nec per externas operationes sese exerunt, nec vllum ad creaturas respectum habent, vt potè quòd Deus 1. essentia spiritualis, ac proinde inuisibilis. 2. simplissima. 3. æterna, ac proinde Immutabilis & Immortalis. 4 Infinita. *Deinde* quædam attributa operationes suas exteriùs in creaturis exerunt, & ad eas relationem quandam habent, vtpote quòd Deus 1. Omnipotens. 2. summè bonus. 3. Iustus. 4. Sapiens. 5. Liberrimum agens. 6. Verax. Illa dicuntur ἀκοινώνητα, hæc verò κοινωνητὰ, quorum scilicet ex parte & per similitudinem rationales creaturæ possunt fieri participes. Ex vtriusque generis attributis coniunctim sumtis promanant 1. Dei perfectio. 2. Maiestas & gloria. 3. Beatitudo. *Attributa quidem omnia ita in ipso sunt, vt sint ipsum, ita insunt, vt nihil antecedat, nihil subsequatur, sed ex captu atque intellectione nostra, quæ perquàm vmbratilis est, alia aliis prius animo comprehenduntur.* Scal. ex. 365. sect. 6.

CAPVT VIII.

Deum esse Spiritum ostendit.

Deus est incorporeus.

67. Age verò singula cuiusque classis Attributa breuiter & perspicuè explicemus. Primæ classis primum attributum est quod Deus sit essentia Spiritualis, & ἀσώματος, neque enim corporea moles, nec humana membra ipsi propriè competunt. Ioh. 4. v. 24. *Deus est Spiritus.* Ostendit ibi Christus, Deum non delectari & affici rebus externis & friuolis à carne nostra excogitatis ad diuinum cultum, & petit argumentum ex eo, quia Deus est Spiritus, id est, essentia spiritualis, ficque ab omnibus rebus corporeis Deum eximit. Quid verò propriè sit Spiritus, id intellectus noster corporeæ moli immersus difficulter assequitur: καθ' ἀναλογίαν quodammodò ex Natura Angelorum, qui sunt πνεύματα λειτουργικὰ, Heb. 1. v. 14. & animarum, quæ itidem in Scripturis dicuntur Spiritus, Eccles. 12. v. 7. Psal. 31. v. 6. Luc. 23. v. 46. hac de re aliquid saltem cognoscere possumus.

98. Angeli non habent corpus longum, latum & profundum, non circumscribuntur loco secundùm contactum dimensiuæ quantitatis, *partes illis non obsistunt, sed cuncta visibilia eis cedunt, cuncta aquè corpora quantumvis solida vel spissa penetrabilia eis sunt & peruia.* Bernhard. hom. 3. super missus est col. 24. *Anima tota est in toto corpore & in qualibet eius parte tota.* Aug. de imm. anim. c. 16. Quòd si hæc Angelis & animabus, tanquàm creatis spiritibus competunt, multò magis Deo Spiritui increato tribuenda erunt, non enim dubium, quin supra omnes Spiritus creatos spiritualissimus sit Deus.

69. Porrò Deum esse ἀσώματον & essentia spiritualem, ita probat Nazianz. lib. 2. de Theol. & Damasc. 1. ort. fidei c. 4. 1. Nullum corpus est infinitum, interminatum, infiguratum, intangibile, inuisibile, simplex & incompositum. Atqui Deus est infinitus, interminatus, infiguratus, &c. Ergo Deus non est corpus siue corporeum aliquid. 2. Quicquid ἀνεπίδεκτον est & affectionibus obnoxium, non est augustum ac venerabile. Corpus est circumscriptum & affectionibus obnoxium. E. non venerabile. Atqui Deus est venerabilis. Ergo non corpus. 3. Quod ex Elementis coalescit & in eadem resoluitur, non est ἀπαθὴς: Atqui Deus est ἀπαθὴς, non igitur corpus. 4. Quod omnia permeat & implet, non potest esse compositum aut corpus. Deus permeat & implet omnia. Ergo non est compositum quid, vel corpus. 5. Si corpus est ἄϋλον immateriale, erit mobile & circulare. Sed Deus non est mobilis, sed potiùs mouens immobile. Ergo non est corpus immateriale aut quietum. Si enim moueretur, oporteret ab aliquo alio principio moueri ipsum, & sic in infinitum fieret progressio, donec tandem ad τὸ ἀκίνητον necessariò peruenire tur. Hæc Nazianz. & Damasc. quibus nos hæc addimus. 1. Nulla perfectio creaturis competit, quæ non eminentiori modo sit in Deo: Atqui Angelis & animabus competit hæc perfectio, quòd sint Spiritus. Ergo modo eminentiori competit Deo, quòd sit Spiritus, aliàs effectus esset causa sua præstantior. 2. Ens corporeum habet formam informantem, proinde non est à seipso: Deus autem est ἀυτοφυὴς, non ergo corporeus.

70. Etsi verò non solùm de Deo, sed & de Angelis & animabus prædicetur, quòd sint Spiritus, abest tamen vt συνωνύμως prædicari statuamus: μονοσήμως ἢ ἐξαιρέτως Deo competit nomen Spiritus, vt enim est οὐσία ὑφεστῶσα, ita est Spiritus, vt ita loquar, spiritualissimus, supra reliquorum Spirituum seriem longè euectus & infinitis modis illis superior: inde Origen. lib. 2. περὶ ἀρχῶν c. 23. *præter Patrem, Filium & Spiritum Sanctum, nihil sine corpore viuere statuit.* Tertull. lib. de carne Christi dicit, *Angelos esse alicuius corporis, licet non carne præditos.* Autor libri de Eccles. dogmat. qui ascribitur August. c. 12. probare contendit, *nihil esse incorporeum, præter solum Deum.* Cassianus collat. 7. c. 13. affirmat, *Angelos habere corpus, quo subsistant, licet tenuius quàm nos.* Macarius hom. 4. ἕκαστον κατὰ τὴν ἰδίαν φύσιν σῶμά ἐστιν, ὁ ἄγγελος, ἡ ψυχὴ, ὁ δαίμων. Bernh. 5. serm. super Cant. *super cœlestes illos Spiritus opes corporibus habere dicit, vt inuent, nec ministerium suum implere absque corpore, præsertim apud viuentes in corpore.* Hæc omnia eò referenda sunt, atque hoc sensu accipienda, quod non sub vno eodemque genere synonymo Deus & Angeli contineantur, siue, vt Damasc. loquitur, quòd incorporei sint Angeli πρὸς ἡμᾶς, corporei autem quodammodo (rectiùs, compositi) respectu Dei.

Obiectio contra spiritualem Dei Naturam.

71. At, si Deus Spiritus est, cur toties corporea membra, & affectus humani ipsi tribuuntur? Resp. loquitur Deus nobis hominibus ἀνθρωπίνως, propter intellectus nostri imbecillitatem; quæcunque proinde Scri-

de Scripturæ loca, res & actiones corporeas Deo tribuunt, figuratè & per ἀνθρωποπάθειαν quandam vt intelligantur, necesse est. Significantur enim res spirituales per hæc corporea; perinde vt verbis huius seculi futuræ vitæ conditio describitur; sic cùm Deo attribuuntur oculi, significatur eius omniscientia, quòd nihil ipsum lateat: nec enim fugit nos eorum notitia, quæ oculis coram intuemur; vel etiam prouida eius cura: perinde vt nos eò oculos conuertimus nostros, quò amor & prouida nostra cura inclinat. Cùm manus & brachia Deo tribuuntur, significatur eius omnipotentia, quòd omnia agat & potenter operetur omnia in omnibus: idem iudicium esto de reliquis. August. super Psal. 136. *Deus totus oculus est, quia omnia videt; totus manus est, quia omnia operatur; totus pes est, quia vbique præsens.* Bernh. serm. 4. super Cant. *Os habet Deus, quò docet hominem scientiam, & manum habet, qua dat escam omni carni, & pedes habet, quorum terra scabellum est; hac omnia Deus habet per effectum non per naturam.*

72. Disputat hac de re Eucherius Lugdunensis Episcopus in libello suo, quem parti 1. Clauis Scripturæ sub finem Illyricus addidit, cuius primum caput sic inscribitur: *De his quæ appellantur membra Domini, vel quæ de eo significantur.* Extat etiam intra opera Augustini tomo 4. libellus, cui titulus est *de essentia diuinitatis.* Damasc. 1. orth. fid. c. 14. eandem materiam pertractat, vbi ea, quæ corporaliter de DEO dicuntur, εἰκόνας, τύπους καὶ σύμβολα appellat diuinarum operationum. Hieronym. tom. 9. tractat de his, quæ in Scripturis sacris DEO tribuuntur: quod ipsum pertractat etiam Isidorus Hispalensis 1. sent. c. 5. & 6.

Anthropomorphitæ. 73. Exignoratione vel neglectu huius regulæ ortus est error Anthropomorphitarum, qui literæ inhærentes ex dictis eiusmodi corporeum esse DEVM euincere voluerunt. Sed rectè Theodor. quæst. 20 in Gen. laudat Melitonem, qui aduersus Anthropomorphitas hoc vsus sit argumento. *Si propterea existimatur DEVS habere corpus, quale habet homo, quia Scriptura describit eum tanquam instructum & præditum membris humanis; similitudine concluderetur, hominem non esse similem Deo, nec ad eius imaginem & similitudinem factum.* Etenim Zach. c. 3. *describit Deum septem oculos habentem, cùm nos tantùm duos habeamus.* & Psal. 91. *inducitur Deus habens pennas & alas, quibus nos careamus, & multa alia per metaphoram Deo ascribit Scriptura, quæ, si propriè & ad veritatem exigerentur, Deum facerent enormem atque monstrosum & longè dissimillimum hominis.* Greg. Magnus 32. moral. c 5. *Deus non solùm ab humanis membris similitudinem in se recepit, sed aliquando etiam ab auibus, aliquando ab insensatis rebus dissimiles quasdam in se similitudines trahit.*

74. Rectè hæc anthropomorphitis opponuntur, nec tamen improbanda obseruatio Zanch. 1. de Nat. Dei c. 4. th. 9. propterea Deo passim corporea membra, humanosque affectus tribui, quia Filius Dei (*in quo tota plenitudo diuinitatis habitat σωματικῶς* Coloss. 2. v. 9.) humanam naturam personaliter sibi vniuit, vnde per ἰδιοποίαν propria assumtæ illius naturæ verè Dei Filio tribuuntur, quòd mysterium denotari non improbabile est, quoties de incorporeo Deo corporaliter quædam prædicantur.

Deus quæ ratione dicatur Spiritus. 75. Dicta hæc sint de primo attributo, videlicet spirituali Dei essentia, vbi tamen monendum, quòd potius τί ἐστι quàm τὸ ποῖον exprimere videatur, hoc est, ratione conceptus nostri videtur exponere quid sit Deus, reliqua autem attributa, qualis sit, explicant: Sed enim cùm itidem reliqua attributa omnia non minùs quàm hoc ad diuinam reipsa pertineant essentiam, ideò sub attributorum classem etiam hoc ipsum referre voluimus, non enim per vocem Spiritus in certam Entium Categoriam Deus includitur, sed vt ἐστὶ est ὑπερέχοντος, ita etiam Spiritus est spiritualissimus, infinitis modis à reliquis creatis Spiritibus distans. Vox ergo Spiritus non minùs quàm reliqua Dei attributa denotat perfectionem quandam in Deo, quàm nos hoc conceptu (qui non est reliquis συνώνυμος) exprimimus.

CAPVT IX.

Deum esse inuisibilem probat.

Inuisibilitas Dei. 76. Consequens huius attributi est, Inuisibilitas, nihil enim nisi materiatũ & corporeum videri potest: proinde cùm Deus sit spiritus incorporeus, ideò sub oculorum sensum non cadit. Hûc pertinent dicta, 1. in quibus Deus dicitur inuisibilis, Rom. 1. v. 20. *inuisibilia Dei, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur.* Coloss. 1. v. 15. *Christus est imago inuisibilis DEI.* 1. Timot. 1. v. 17. *Regi seculorum inuisibili, soli DEO honor sit & gloria.* 2. quæ testantur DEVM nemini visum nec à quoquam videri posse. Exod. 33. v. 20. *Non poteris videre faciem meam, quia non videbit me homo & viuet.* v. 23. *Posteriora mea videbis* (à posteriori me cognosces in reuelatione quadam tibi facta) *facies verò mea non videbitur.* Ioh. 1. v. 18. *DEVM nemo vidit vnquam.* Etsi v. Christus de eo potissimum ibi agit, quòd nemo rationis suæ viribus voluntatem & propositum DEI de salute hominum inuestigare potuit, vnde cœlesti reuelatione per Filium opus fuerit: tamen præsupponitur in illa ἀγνοίᾳ diuinæ voluntatis inuisibilitas diuinæ essentiæ. 1. Tim. 6. v. 16. *DEVM nullus hominum vidit, sed nec videre potest.* Hebr. 11. v. 27. *Moses inuisibilem tanquam videns sustinuit.* 1. Ioh. 4. v. 12. *DEVM nemo vidit vnquam.* 3. quæ testantur DEVM habitare in luce inaccessibili. 1. Tim. 6. v. 16. *si enim lux illa,* quæ est habitaculum Dei, videri nequit, quantò minùs summa illa & essentialis lux Deus ipse videri poterit? 4. quæ testantur Deum esse Spiritum, quia nullus Spiritus est visibilis.

77. Obiectum visionis *Aristoteles* 2. de anima t. 66. colorem esse dicit, eumque definit, quòd sit *extremitas perspicui in corpore terminato*, (id est, in corpore non transparente aut transmittente visum ipsa colorata superficies, quæ perspicuum terminat) & *quod sit qualitas mouens actu perspicuum, quatenus perspicuum,* (id est, quatenus lumine collustratum, lumen enim est quasi vltimus actus, qui colorem actu visibilem facit & aërem ad species transmittendas aptum efficit.) has Aristotelis definitiones sugillant *Bodinus* in theat. Nat. *Vallesius* 1. controu. cap. 25. *Scal.* exerc. 325. sect. 4. quia non exprimant naturam coloris, cùm & in tenebris & in medio colorata habeant colorem: sed *Aristoteles* colorem vt correlatiuum visionis definiit, & definire etiam debuit. Si de absoluta coloris essentia quæratur, dicendum, quòd sit qualitas ex lucido & opaco congregatis exurgens. Omnes autem hæ definitiones coloris ostendunt tantùm corporeis rebus ineſſe colorem: proinde cùm nec color, nec corpus Deo conueniant, in numero τῶν ὁρατῶν collocari nequit. *Thom.* p. 1. q. 12. art. 3 *omnis potentia sensitiua est actus corporalis organi. Ergo non extendit se vltra corporalia.*

Obiectio contra Dei inuisibilitatem. 78. At si Deus est inuisibilis, quomodo intelligendum erit quod de electis dicitur, quòd *in carne sua Deum visuri sint* Iob. 19. v. 26. & quidem *à facie ad faciem* 1. Cor. 13. v. 12. *sicuti est* 1. Ioh. 3. v. 2. imò verò de quibusdam sanctis Dei hominibus dicitur, quòd in

hac etiam vita Dei faciem viderint. De Iacobo Patriarcha id refertur Gen.32.v.39. De Mose Num.12. v.8. De Esaia. c.6. v.5. *Resp.* de visione Dei in futura vita dicetur in articulo de vita æterna, interim ablegamus lectorem ad Epistolam *August.* de videndo Deo, quam scripsit ad Paulinam. Iacobo Patriarchæ apparuit Dei Filius, eique se conspiciendum præbuit, non in nuda sua diuinitate, sed *in forma viri* Genes. 32. v.24. in forma hominis, quippe olim in temporis plenitudine homo erat futurus. Post factam incarnationem dicebant Apostoli, *se vidisse Verbum vitæ* 1.Ioh.1. v.1. Deum scilicet *manifestatum in Carne* 1.Tim.3.v.16. sic Iacobus dicere poterat, se Deum vidisse, videl. in forma illa ad tempus assumta, etiamsi nudam eius diuinitatem non viderat.

79. Mosen quod attinet, disertè ei dicitur, quòd posteriora siue tergum Dei saltem visurus sit, non autem eius faciem, id est, nudam diuinitatem Exod.33 v.23. quomodo autem Moses viderit Dei posteriora siue Deum à posteriori, exponitur Exod.24 v.9. & 10. *Ascenderunt Moses, Aaron, Nadab & Abihu & septuaginta è senioribus Israel, & viderunt Deum, & sub pedibus eius erat velut opus lapidis Sapphirini, & sicut aspectus cœli in serenitate.* Itidem ergo in assumpta forma quadam, non in nuda diuinitate DEVS à Mose visus.v.15. *Moses solus ascendit montem*, vers. 16. *super quem habitauit gloria Iehouæ.* vers. 17. *cuius aspectus erat tanquam ignis comburens in vertice montis in oculis filiorum Israel.* Quod ergo Num.12. vers. 8. de Mose dicitur, quòd *visione & non per ænigmata & figuras DOMINVM viderit*, id de peculiari & manifestissima (quantum tamen humana vitæ huius infirmitas admittit) Dei reuelatione ipsi facta intelligendum, vt exponitur Exod. 33. vers. 11. *loquebatur Iehouah ad Mosen à facie ad faciem, quemadmodum alloquitur quispiam amicum suum.* Quomodo Esaias Deum viderit oculis suis Esa. 6. vers. 5. id ibidem exponitur. vers. 1. *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum & eleuatum, & fimbriæ eius replebant templum.* v.2. *Seraphim stabant super illud, sex alæ erant vnicuique.* Symbolica igitur & prophetica visio fuit, non autem intuitiua ipsius nudæ diuinitatis contemplatio.

CAPVT X.

De simplissima Dei simplicitate.

Deus est simplex.

80. Accedimus ad alterum primæ classis attributum, quod est summa simplicitas. Quando Deus dicitur simplex, intelligitur, quòd sit expers omnis compositionis & diuisionis, quòd nullis essentialibus vel integrantibus partibus constet, quòd nec possit in partes diuidi. Nulla creatura est omninò simplex. Mixta corpora ex Elementis sunt composita. Elementa constât materia & forma. Homo constat corpore & anima. *In Angelis est actus & potentia. Thom.* p. 1.q.50.art.2. vel, vt *Boëtius* loquitur, *Angelus est compositus ex quo est & quod est.* Solus Deus summè simplex est, vt nec actus & potentiæ, nec esse & essentiæ compositio ipsi competat, sed est purus actus & simplicissima essentia. *Scal.* ex 359. sect. 2. *Solus Deus est purus actus, causa sine causa, Ens absque Ente: mera namque essentia. Intelligentia verò tametsi non est composita ex materia & forma, tamen constat ex aliquo tanquam potentia, & aliquo tanquam actu: potentiam illam dicimus eius esse, actum verò eius essentiam.*

Probatur DEI simplicitas.

81. Probatur illa simplicitas essentiæ diuinæ. 1. Ex eo, quòd attributa sint realiter & simplicissimè vnum cum ipsa essentia, ergo non componitur ex essentia & accidentibus. 2. Deus est Spiritus spiritualissimus, simplicior quàm reliqui Spiritus, qui tamen inter creaturas sunt simplicissimi. 3. Omne compositum est ex alio & posterius eo, ex quo componitur, iam verò nihil est prius Deo, ante ipsum nullus fuit Es. 43. vers. 10. 4. In quolibet genere tantò aliquid est perfectius & nobilius, quantò simplicius. Deus autem est perfectissimus, Ergo etiã simplicissimus. 5. Omne compositum est mutabile & dissolui potest sua natura in ea, ex quibus componitur. Iam verò DEVS est immutabilis. 6. Nulla compositionis species in Deum cadit: non enim compositus est ex partibus quantitatiuis, cùm non sit corpus: nec compositus est ex materia & forma, cùm non sit partim corporeus, partim incorporeus: nec compositio subiecti & accidentium ipsi tribui potest, cùm nullum accidens in ipsum cadat: nec compositus est ex actu & potentia cùm non cœperit esse, nec desinat esse id, quod est: nec compositus est ex genere & differentia: cùm nullo genere concludatur, nec per differentiam specificam ad certam speciem contrahatur: nec τὸ εἶναι & οὐσία in ipso differunt: non enim habet Esse ab alio participatum, sed est à seipso, est αὐτοῦσιος, est suum Esse.

82. *Thomas* p.1.q.3.art.4. ita probat, quòd esse & essentia sint idem in Deo. 1. Quicquid est in aliquo, quod est præter essentiam eius, oportet esse causatum vel à principiis essentiæ, sicut propria accidentia, vel ab aliquo exteriori, sed hoc de Deo dici nequit. 2. Esse comparatur ad essentiam, sicut actus ad potentiam: in Deo autem nihil potentiale. 3. Quod habet Esse & non est Esse, est Ens per participationem, sicut quod habet ignem, & non est ignis, est ignitum: Deus autem est sua essentia. *Scal.* exerc.6. sect.2. *Intelligentiæ habent aliquid simile materiæ, aliquid simile formæ, solus Deus simplex est, in quo nihil in potentia, sed in actu omnia, imò ipse purus, primus, medius, vltimus actus.*

83. De hac Dei simplicitate tractat August lib.6. de Trinit.c.6. vbi primò docet, nullam creaturam esse verè & perfectè simplicem. *Creatura quoque spiritualis* (ait) *vt est anima in comparatione quidem corporis simplex, sine comparatione v. corporis multiplex est & non simplex. Quæ idcò* dicitur simplex respectu corporis, quia mole non diffunditur *per spacium loci, sed in vno quoque corpore & in toto tota est, & in qualibet eius parte tota est. Et ideò cùm sit aliquid in quauis exigua particula corporis, quòd sentiat anima, quamuis non sciat in toto corpore, illa tamen tota sentit, quia totam non latet. Sed tamen nec in ipsa tota anima vera simplicitas est. Cùm enim aliud sit artificiosum esse, aliud inertem: aliud acutum, aliud memorem: aliud cupiditas, aliud timor; aliud lætitia, aliud tristitia: possintque hæc & alia huiusmodi innumerabilia in anima inueniri Natura & alia sine aliis & alia magis, alia minus, manifestum est animæ non simplicem, sed multiplicem esse Naturam. Nihil enim simplex mutabile est, omnis autem creatura mutabilis est, Ergo nulla creatura verè simplex est. Deus autem etsi multiplex dicatur, verè tamen & summè simplex est. Dicitur enim magnus, bonus, sapiens, beatus, verus, & quicquid aliud non indignè dici videtur: sed eadem magnitudo eius est, quæ sapientia, non enim mole magnus est, sed virtute, & eadem bonitas eius est, quæ sapientia & magnitudo & veritas. Et non est ibi aliud ipsum beatum esse, & aliud magnum aut sapientem, aut verum aut bonum esse, aut omninò esse.* Hactenus August.

84. Pertinent hûc verba Athanasij in Ep. ad Episcopos Afric. *Non Deus est compositus, qui omnia, vt essent, composuit: neque talis, qualia sunt, quæ per verbum eius facta sunt, quippe qui sit simplex substantia, in qua non est vlla qualitas, neque vlla, vt Iac. testatur, immutatio.* Sic

Hilar.

Hilar. l.7. de Trin. *Non est ex compositis atque inanimis Deus, qui vita est. Neque qui virtus est, ex infirmioribus continetur. Neque qui lux est, ex obscuris coaptatur. Neque qui Spiritus est, ex disparibus formabilis est: Totum in eo quod est, vnum est, & quod Spiritus est & lux & vita sit, & quod vita est & lux & virtus & Spiritus sit.*

Obiectio contra Dei simplicitatem.

85. Num verò personarum Trinitas tollit diuinæ essentiæ simplicitatem? minimè verò, essentia diuina tota & indiuisa est in Patre, tota & indiuisa in Filio, tota & indiuisa in Spiritu Sancto, nec tamen tres sunt essentiæ, sed eadem essentia in Patre est ἀγεννήτως, in Filio γεννητῶς, in Spir. Sancto ἐκπορεύτως: proprietates personales ipsam essentiam nec diuidunt, nec multiplicant. Hinc regula: *Relationes non componunt, sed distinguunt.* Proprietas personalis non efficit, vt alia sit essentia Filij ab essentia Patris, aut vt essentia ex simplici fiat composita, nihil enim reale addit essentiæ, sed tantùm efficit, vt distinctus sit à Patre Filius, distinctio autem non est compositio. Quinimò nec personas componunt relationes, non enim persona Patris composita est ex essentia & proprietate personali, sed hæc omnia realiter vnum sunt in patre.

86. Nec sua solùm natura Deus simplex est, sed etiam in aliorum compositionem non venit, vt compositi cuiusdam forma vel materia fiat. Probat id Thom. p.1.q.3.art.8. his rationibus. 1. Deus est causa prima efficiens: sed causa prima efficiens, cum forma rei factæ non incidit in idem numero, sed solùm in idem specie: materia cum causa efficiente non incidit in idem numero, nec in idem specie, quia hoc est in potentia, illud verò in actu. 2. Quod venit in compositionem aliorum, non per se & primò agit, sed magis compositum. 3. Nulla pars compositi potest esse simpliciter prima in Entibus.

Deus mundi anima quomodo dicatur.

87. Quod ergo prisci sapientes dicunt, Deum esse mundi animam, id non eo sensu accipiendum, ac si esset forma formans mundi, sed metaphoricè ita appellatur: quia, vt anima viuificat & regit corpus, ita Deus mundum. Deus est in omnibus, non vt forma, sed vt efficiens & conseruans causa. *Bernhardus* serm. 4. super Cant. *Sanè esse omnium dixerim Deum, non quia illa sunt, quod est ille, sed quia ex ipso & per ipsum & in ipso sunt omnia. Esse autem est omnium quæ facta sunt, ipse factor eorum, sed causale non materiale.*

CAPVT XI.

De Æternitate Dei.

Æternitas quid sit.

88. Tertium primæ classis attributum est æternitas. Requiruntur autem ad æternitatem verè & propriè sic dictam hæc tria: 1. vt res æterna principij. 2. finis. 3. ac omnis mutabilitatis expers sit. Hebræis dicitur עד, quod significat, vsque ad, quia æternitatem nemo assequitur, & eius meditator semper audit vsque ad. Item עולם, ab occultando & latendo, quia æternitatis principium & finis latet: Præterea æternitas à sensu & intellectione nostra est occulta. *Phauorinus* αἰδιον sic describit: Αἴδιος ὁ ἀεὶ ὤν, ὁ οὐδέποτε ἀρξάμενος, οὐδὲ λήγων. *Boëtius* 5. de consol. sic definit: *æternitas est indeterminabilis vitæ tota simul & perfecta successio:* Excluduntur ergo principium, finis, omnisque successio & mutatio. *Aug.* de vera relig. c.49. *Mentis affectu omnem mutabilitatem ab æternitate seiungo, & in ipsa æternitate nulla spacia temporis cerno, quia spacia temporis præteritis & futuris rerum motibus constant: nihil autem præterit in æternum & nihil futurum est: ita quod præterit, esse desinit, & quod futurum est, nondum esse cœpit: æternitas autem tantummodò est, nec fuit, quasi iam non sit, nec erit, quasi iam non sit.*

89. *Thomas* p.1.q.10.art.1. in æternitatis natura inquirenda sic procedit. *In cognitionem æternitatis* (ait) *venire nos oportet per tempus. Sicut ratio temporis consistit in numeratione prioris & posterioris in motu, ita in apprehensione vniformitatis eius, quod est omninò extra motum consistit ratio æternitatis.* Item, *ea dicuntur mensurari tempore, quæ principium & finem habent: quod verò est omninò immutabile, sicut & successionem, ita nec principium aut finem habere potest.* Allegat etiam dictum *Boëtij: nunc fluens facit tempus, nunc stans facit æternitatem. Aug.* de verb. Domini serm. 38. *in æternitate stabilitas est, in tempore varietas, in æternitate omnia stant: In tempore alia decedunt, alia succedunt.*

Æternitas Dei probatur.

90. Æternitatem Dei probant hæc dicta. 1. in quibus expressè vocatur æternus Gen. 1. v. 33. Psal. 93. Es. 40. v. 28. Ier. 10. v. 10. Rom. 16. v. 26. 1. Tim. 1. vers. 17. 2. quæ Deum ab æterno fuisse & in æternum viuere testantur. Ps 9. v. 9. Psal. 92. v. 9. Psal. 102. v. 13. Psal. 135. v. 14. Esa. 57. v. 15. Dan. 4. v. 31. Hab. 1. v. 12. Apoc. 4. v. 6. c. 5. v. 4. c. 15. v. 7. &c. 3. quæ testantur, Deum fuisse ante omnes creaturas, nam hæc descriptio est æternitatis: si quidem cum creaturis cœpit tempus, ergo ante creaturas nihil est, nisi nuda æternitas, Psal. 90. v. 3. Esa. 43. v. 13. 4. in quibus dicitur, *quòd* mille anni coram Deo, vt dies vnus: hæc enim testantur, quòd temporum mutabilitati non sit subiectus, sed quod omnia in τῷ stabili & fixo sint coram ipso. Psa. 90. v. 5. 2. Pet. 3. v. 8. 5. quæ tradunt, numerum annorum eius esse inuestigabilem, Iob 36. v. 26. 6. quæ testantur, quòd sit primus & nouissimus: hæc testimonia thesi 40. membr. 4. sunt enumerata superiùs. 7. quæ regnum æternum, misericordiam æternam, verbum æternum, &c. ipsi tribuunt. 8. quæ immutabilem eum esse testantur, nihil est immutabile, quod non etiam æternum. 9. Immortalitas enim DEI est æternitatis consequens. De his postea agetur.

91. *Nec desunt argumenta, ex quibus æternitas Dei euincitur. 1. Deus est suũ esse vniforme, Ergo etiam est sua æternitas.* Thom. p.1.q.10.ar.2. 2. Siue motus ab æterno ponatur, quod dicit *Philosophus* 8. ἀκροάσ. siue in tempore cœpisse asseratur, quod dicit veritas, perinde est ad æternitatem Dei commonstrandam. Si enim motus ab æterno est, & verò nullus motus à seipso procedat. Ergo etiam æternum motorem statuere necesse est: si verò cœpit motus, vtique extitit ante eum causa efficiens tempus & motum. 3. Quò quid perfectius, eò diuturnius, arguit enim duratio rei nobilitatem, quod à causis perimentibus se diu potest tueri & conseruare: Deus autem perfectissimus est. Ergo etiam æternum viuens.

92. Quamuis verò de Deo differentiæ temporis prædicentur, non tamen propterea tempus mensura eius efficitur: fit enim illud ad captum nostrum, cùm ipse tempori solùm coëxistat, & in indiuisibili esse suum permanens fixum ac stabile semper obtineat. Tempore non mensuratur temporis creator: Mensuræ temporis obnoxium esse nequit Ens illud immensum. Erat Deus nondum existēte tempore quod ipse fecit, & erit nullo existente tempore, cuius stamen abrumpet, nihil ipsi prius, nihil posterius, nihil præteritum, nihil futurum.

CAPVT XII.

De immutabilitate DEI.

93. Æternitatis adiunctum necessarium est im-

mutabilitas, consequens verò Immortalitas. Immutabilis est Deus, tum respectu essentiæ suæ, quippe cui nihil accedit vel decedit, quæ immobilis & inuariabilis, eadem suique similis perpetuò manet: tùm respectu voluntatis, non enim mutatur ipsius consilium, nec propositum interuertitur. Est autem immutabilis ex se & sua Natura, & quicquid in ipso est, immutabile est, bonitas ipsius immutabilis, sapientia immutabilis, iustitia immutabilis, quicquid nouit (nouit autem omnia) immutabiliter nouit, quicquid vult, immutabiliter vult.

94. Hanc diuinæ essentię immutabilitatem probant hæc dicta. 1. In quibus expresè negatur, Deum mutari posse. Exodi 3. v. 6. *dicit DEVS ad Mosen, quando quærent, quodnam est Nomen eius, qui te misit, respondebis: Qui est, misit me ad vos*, & addit, *Ero qui ero*: Ostendit igitur Deus se esse perpetuò eundem, suique similem, se non esse alium heri quàm hodiè. Ps. 102. v. 28. *mutabis cœlos & mutabuntur, tu autem in æternum permanes*: vers. 29. *tu idem ipse es*, quod repetitur Hebr. 1. v. 12. 2. In quibus dicitur, *apud Deum non esse* vicissitudinem lucis & tenebratum, non solum *lux* est & *æterna lux*, sed etiam extra omnem lucis & tenebrarum vicissitudinem *constitutus*, Iac. 1. v. 17. 3. In quibus dicitur, consilium, decretum & voluntatem Dei esse immutabilem, illud namque dependet ex immutabilitate essentiæ. Mal. 3. v. 6. *Ego Deus, & non mutor*, Etai. 46. v. 10. *Consilium meum stabit & omnem voluntatem meam faciam.* Roman. 11. vers. 29. *dona & vocatio Dei sunt ἀμεταμέλητα.* 4. quæ de æternitate Dei testantur, quia ad æternitatem propriè dictam requiritur immutabilitas. 5. quæ testantur, attributa esse simplicissimè vnum cum essentia, quia enim omnipotentia, bonitas, sapientia, &c. Dei sunt ipsius essentia, proinde est immutabilis: bonitas in nobis hominibus est quiddam *κίνητον*, mobile & mutabile quippiam: siquidem accidens est essentiæ superadditum: sed in DEO est quippiam essentiale, vel potius ipsa essentia.

95. *Thomas* p. 1. q. 9. art. 1. ad probandam Dei immutabilitatem hasce rationes affert. 1. Deus est purus actus: omne autem quod mutatur, est aliquo modo in potentia. 2. in Deo nulla est compositio, omne autem quod mouetur, quantum ad aliquid, manet: & quantum ad aliquid, transit. 3. quod mouetur, acquirit aliquid, & pertingit ad illud, ad quod prius non pertingebat. Sublunaria omnia perpetuæ mutationi sunt obnoxia. De ipsa cœlesti machina dicit Psaltes, quòd veteresçat sicut vestimentum Ps. 102. v. 28. In intelligentiis siue Angelis est prius, & posterius; earum enim actio est cum tempore, & finita secundùm partes, omne autem finitum habet aliquid, quod est in actu, & aliquid quod est in potentia. Ergo aliquid prius & posterius. *Soal.* ex. 6. sect. 2. Solus verò Deus immutabilis est.

96. Accipitur mutabile dupliciter. 1. per potentiam quæ in ipso est. 2. per potentiam quæ in alio est, vtroque modo creaturæ sunt mutabiles. Vt enim in potentia creatoris fuit, res esse antequam essent in seipsis: ita in potentia creatoris est, postquam sunt in seipsis, vt non sint. Deinde corpora inferiora mutabilia sunt tùm secundum Esse substantiale: quia materia eorum potest esse cum priuatione formæ substantialis eorum: tùm secundùm Esse accidentale, vt patet, quod enim hodiè calidum, cras frigidum esse potest. Corpora cœlestia mutantur secundùm Esse locale. Substantiæ incorporeæ mutabiles sunt quoad finem, scilicet electionē de bono in malum: & quoad locum, possunt enim virtute sua attingere quædam loca, quæ prius non attingebant.

97. Ratio cur omnes res creatæ mutabiles sint, dependet ex eo, quòd suum esse habeant aliunde communicatum: sicque non sunt puri actus, sed in actu & potentia. Solus autem Deus est Iehouah, id est, per se & sua virtute existens, in quo cū actu non est coniuncta potentia, in quo esse & essentia non differunt. Rectè *Damasc.* *πᾶν τὸ κτιστὸν τρεπτὸν*, Deus autem non est *κτιστός*, sed *πάντων κτιστῶν κτιστής*, *ἄτρεπτος* igitur est, *καὶ ἀκίνητος*.

98. De immortalitate Dei ita disserit *Augustinus* 5. de Trin. c. 2. *Aliæ essentia vel substantiæ capiunt accidentia, quibus in eis fiat vel magna vel quantacunque mutatio: DEO autem aliquid huiusmodi accidere non potest, & ideò solæ substantia vel essentia, quæ DEVS, incōmutabilis est, cui profectò maximè & verissimè competit esse. Quod enim mutatur, non seruat verum ipsum esse, & quod immutari potest, etsi non mutetur, potest, quod fuerat, non esse: ideoque illud solum, quod non tantùm non mutatur, verùm etiam quod mutari omninò non potest, verissimè dicitur esse. Idem* 12. de ciuit. Dei c. 1. *Dicimus immutabile bonum non esse nisi vnum verum Deum beatum: ea verò quæ fecit, bona quidem esse, quod ab illo; veruntamen mutabilia, quod non de illo, sed de nihilo facta sunt.*

99. At si Deus immutabilis est, cur Iobus c. 30. v. 21. dicit ad Deum, *mutatus mihi es in crudelem?* cur de gentibus dicit Apostolus, quòd *gloriam incorruptibilis Dei mutarint in similitudinem imaginis corruptibilis hominis?* Roman. 1. v. 23. *Resp. loquitur Iobus* iuxta suum sensum: vindicis Dei flagellum experiebatur, cogitabat ergo proficiscei hoc à seuero & irato iudice. *Lyra* in expos. super h. l. *In Deum nec crudelitas nec mutabilitas venit: sed adiunxit, mihi, vt ipsa crudelitas atque mutatio non sit in qualitate iudicis, sed in mente patientis. Apostolus loquitur* de idololatria gentilium, per quam honorem Deo debitum tribuerunt creaturis, sicque gloriam Dei mutarunt in similitudinem rerum corruptibilium, Deo interim ipso immutabili permanente. *Ambros.* super hunc locum, *Lapidibus vel ligni vel cæteris metallis inferentes quod sunt, dant illis quod non sunt, & hoc est mutare verum in falsum.* *Obiectio contra Dei immutabilitatem.*

100. Num verò creationis opus Deum mutauit vel mutabilem fecit? *Resp.* minimè verò: quod enim in tempore fecit, id ab æterno immutabili sua voluntate decreuit. Pulcrè *Aug.* 12. de ciu. Dei c. 17. *Philosophi mentem diuinam omnino immutabilem, cuiuslibet infinitatis capacē, & innumera omnia sine cogitationis alternatione numerantem, de sua humana, mutabili, angustaq; metiuntur. Nam quia illu quicquid noui faciēdum venit in mentem, nouo concilio faciunt, mutabiles quippe mentes gerunt, profectò non Deum, quem cogitare non possunt, sed semetipsos pro illo cogitantes, non illū sed seipsos, nec illi, sed sibi cōparant. Nobis autem fas non est credere, Deum aliter affici cū vacat, aliter cū operatur: quia nec affici dicēdus est, tanquam in eius Natura fiat aliquid, quod ante non fuerit: patitur quippe qui afficitur, & mutabile est omne, quod aliquid patitur. Non itaque in eius vacatione cogitetur ignauia, desidia, inertia: sicut nec in eius opere labor, conatus, industria: nouit quiescens agere, & agens quiescere: potest ad opus nouum non nouum, sed sempiternum adhibere consiliū, nec pœnitendo, quia prius cessauerat, cœpit facere, quod non fecerat: sed etsi prius cessauit, & posterius operatus est, quod nescio quemadmodum ab homine possit intelligi, hoc proculdubio, quod dicitur prius & posterius, in rebus prius non existentibus & posterius existentibus fuit. In illo autem non alteram præcedentem altera subsequens mutauit aut abstulit voluntatem: sed vna eademque sempiterna & immutabili voluntate res, quas condidit, & vt prius non essent, egit, quādiu nō fuerunt, & vt posterius essent, quādo esse cœperūt.*

CAPVT

CAPVT XIII.

De immortalitate Dei.

Deus immortalis & incorruptibilis.

101. Consequens æternitatis est Immortalitas & Incorruptibilitas. Quia enim æternus Deus est, ideò etiam ἄφθαρτος καὶ ἀθάνατος. Passim Scriptura Deo vitam tribuit, ea autem est immortalis, nunquam cessans vita, & mera æternitas. Vita in creaturis manifestat se per motum, non simpliciter, sed quo à seipso aliquid mouetur, nec tamen motus ille vitæ formale est, sed effectus, vita est formaliter ab anima; ideoque definiente *Scaligero* exerc.202.sect. 5. *actus animæ in corpore, id est, vis eius per vnionem vtriusque.* Aliter autem de Deo, aliter de reliquis viuentibus vita prædicatur; vt enim Deus est suum esse, ita etiam est suum viuere, non viuit per aliquid essentiæ superadditum, sed est αὐτόζωος, ipsa vita. Quæ in nobis sunt multa, videl. anima, qua viuimus; ipsa vita, seu ipsum viuere, & vitæ actiones: ea in Deo sunt simplicissimè vnum: quę in nobis sunt cum motu, ea in Deo sunt sine motu: quæ in nobis imperfecta & incompleta, ea in Deo sunt perfectissima.

102. Th.p.1.q.18.art.3. sic procedit. *Viuere aliqua dicuntur, secundum quod operantur ex seipsis, & non quæ ab alio mota. Illud ergo cuius sua Natura est ipsum esse & intelligere, & id obtinet naturaliter non determinatum ab alio, hoc est, quod obtinet summum gradum vitæ. Proinde Deus verè & propriè viuit: vnde in Scriptura vocatur ipsa vita: quippe qui vitam habet à seipso, in seipso & per seipsum, & dat viuere omnibus viuentibus.* Apud ipsum est *fons vitæ* Psal.35.v.10.

Immortalitas Dei probatur.

103. Deum viuere probant hæc dicta. 1. In quibus dicitur καθ' ἑαυτὸν viuens Deus. Gen.16.v.14.c.24.v.62.c.33.11. Deut.5.v.26. Iosuæ 3.v.10.1.Sam.17.v.26.2.Reg 19.v.4. Esa.37.v.4. Ps.42.v.3. Ps.84.v.3. Ierem.2.v.13.c.10.v.10.c.23.v 36.&c.2. In quibus iurat per suam vitam: *Viuo ego*, Deut.32.v.40. Num.14.v.21. Esa.49.v.18. Ierem.22.v.14. Ezech.5.v.11.& alibi passim. 3. in quibus alij iurant per veritatem Dei. Sic Gideon Iud.8.v.19. Boas Ruth.3.vers.13. Saul.1. Sam.14.v.39. Israëlitæ v.45. Dauid, 1. Sam.20.v.3. Ionathan.v.21. Abigail.1.Sam.25.v.26.&c.4. In quibus Deo tribuitur anima: ea enim in nobis principium vitæ formale: Aristot.2.de an.text.36. disputat, *Animam esse causam viuentu corporis in triplici genere causæ, nempe vt effectricem, vt finem & vt formam.* Passim autem Deo tribuitur anima. Leu.26.v.11.& 30. Esa.1.v.14.c.42.v.1. Ierem.5.v.9.c.9.v.9.c.32.v.40.c.1.v.14. Amos.6.v.8. Hebr.10.v.37.

104. Nec desunt rationes, quibus Deum viuere probetur. 1. *Deus dat vitam omnibus viuentibus.* Act.17.v.25. *omnibus dat vitam & Spiritum.* vers.28. *in ipso viuimus mouemur & sumus.* Ergo ipse viuit modo perfectissimo. 2. Viuentia perfectiora sunt non viuentibus. At Deus est Ens perfectissimũ. Ergo hæc perfectio (vita inquam) ipsi non est deneganda. 3. Deus est intelligens, volens & amans. Ergo verè viuens, Intelligere enim, velle, amare, non nisi viuentium est. 4. Illa dicuntur viuere, quæ seipsa mouent. At Deus maximè omnium omnia agit in seipso: est enim prima & perfectissima omnium causa.

105 Hæc autem Dei vita est sempiterna, quę eadem sẽper est, principio, successione & fine carens. Probãt id Scripturę dicta. 1. In quib. Deus dicitur immortalis & incorruptibilis. Ro.1.v.23.1.1.Tim.1.v.17.1.Tim.16.v.6. *ipse solus habet immortalitatem.* 2. In quibus dicitur Deus in æternum viuere. Deu.32.v.40. Dan.12.v.7. Apoc.10.v.6.3. In quibus dicitur æternus, & ipsa vita: est enim suum viuere, & viuit per seipsum, Ergo vita ab ipso nequit separari. Præterea Deus est purissimus actus: non ergo desinit esse & viuere; nihil ipso fortius, per quod vita ipsi eripiatur. Nihil ei nocere vel obsistere potest, nec voluntatem habet moriendi. Ergo immortalis est.

CAPVT XIV.

De infinitate Dei.

Deus est infinitus.

106. Accedimus ad vltimum primæ classis attributum videlicet Infinitatem, per quam intelligitur, quod ipsius essentia non sit circumscripta, nec finita, nec inclusa, sed immensa, interminata, & ἀπερίγραπτος. Deinde quòd omnia attributa sint immensa & infinita, misericordia Dei infinita est, iustitia est infinita, bonitas est infinita. Denique infinitatis consequens est, quod Deus vbique omnibus creatis rebus præsens, est in omnibus non tamen ab illis inclusus: est extra omnia, non tamen ab illis inclusus.

107. *Omnia reliqua Entia præter solum Deum sunt finita.* Didymus lib.1.de S.S. *Vniuersa, quæ facta sunt circumscriptam habent quantitatem & vel loco & finibus circumscribuntur vel substantiæ proprietate finiuntur*: quæ posteriora verba de creatis spiritibus, videlicet Angelis & animabus sunt accipienda. Etsi enim Angeli finibus loci corporalis non circumscribuntur: tamen substantiæ sunt finitæ; hinc pulcrè *Scaliger* exerc.159. sect.3. *intelligentia, cùm sint entia alia à primo Ente, finita esse necesse est, sunt autem finita potestate; quia pendent à prima. Sunt finita essentia; quia vnum tantùm est infinitum. Sunt finita numero, quia sunt extra vnum infinitum. Sunt finita quantitate, quia non potest excedere quantitas substantiam. Quantæ autem sunt intelligentiæ non quantitate prædicamentali; sed quantitate intelligibili, vt intellectus intelligat in eis vnam partem, quæ non sit alia. Nihil enim infinito æquale esse potest. Æqualitas enim est certa ratio mensuræ. Atinfiniti mensura nulla. Duo infinita nequeunt esse neque in natura, neque extra naturam. Essent enim duo principia prima.*

108. Ita ergo Deus infinitus est, vt ipse *solus sit infinitus.* Potest aliquid præter Deum esse infinitum secundum quid non simpliciter, potentia non actu. Solus autem Deus simpliciter & actu est infinitus. *Thom* part.1.q.7.art.2. *Non datur infinita quædam creatura per essentiam, quia cuiusque essentia est terminata ad certam aliquam speciem per formam: vicissim formam determinatam sequuntur determinata accidentia. Sed in Deo essentia est infinita, proinde etiam attributa sunt infinita, quippe quæ cum essentia vnum sunt.*

CAPVT XV.

De omnipræsentia Dei.

109. Infinitatis consequens est omnipræsentia, per quam denotatur, quòd Deus vbique præsens omnia regit & conseruat. Ergo ad probandam immensitatẽ & omnipræsentiam Dei pertinent hæc dicta. 1. In quibus dicitur esse immensus. Iob.11.v.84. *Excelsior cælo est, & quid facies? profundior inferno, & vnde cognosces? longior terra est mensura eius & latior mari.* Ps.145.v.3. *Magnus Dominus & laudabilis nimis, & magnitudinis eius non est finis.* 2. In quib. *omnipræsens* esse statuitur. 1.Reg.8.v.27. *Ergone putandũ est, quòd verè Deus habitet super terram? si enim cœlũ & cœli cœlorũ te non capere possũt, quãto minus domus hæc quã ædificaui?* Ps.139.v.7

Quò ibo à Spiritu tuo? & quo fugiam à facie tua? v.8. *Si ascenderem in cœlum, tu illic es, si lectum sternerem in infernum, ades;* v.9. *Si sumsero alas auroræ, & habitauero in extremis maris, illic etiam manus tua duceret me, & apprehenderet dextra tua.* Ier.23. v.23. *Nunquid non Deus de propinquo ego sum, dixit, Iehouah, & non Deus de longinquo?* vers.24. *Num occultabit se quispiam in occultis, & ego non videbo eum, dixit Iehouah? annon cœlum & terram ego impleo, dixit Iehouah?* Actor.17. vers.27. *DEVS non procul ab vnoquoque nostrum: in ipso enim viuimus, mouemur & sumus.* 3. Quæ testantur, quod nihil possit Deo comparari Esa.40.vers.12. *Quis mensus est pugillo aquas? & quis cœlos palmo mensus est? quis appendit tribus digitis molem terræ? quis librauit in pondere montes, & colles in statera?* vers.15. *Ecce gentes* (coram ipso) *quasi stilla situla & quasi puluisculus stateræ reputatæ sunt: Ecce Insulæ quasi puluis exiguus.* v.37. *Omnes gentes quasi nihil coram eo, & minus quàm nihilum & vacuum estimatæ sunt ab eo.* v.22. *Sedet super orbem terræ & habitatores eius sunt coram ipso quasi locustæ.* Sap.11.v.23. *Tanquam lingula sic est ante te orbis terrarum, & tanquam gutta roris antelucani, quæ descendit in terram.*

Quomodo Deus sit omnipræsens.

110. Non autem corporeæ molis diffusione, vel quantitatis expansione, vel substantiæ suæ multiplicatione infinitus Deus & omnipræsens est: sed simplici essentiæ suæ infinitate. Greg.sup.Ezech. *Deus manet intra omnia, ipse extra omnia, ipse super omnia, ipse infra omnia: superior est per potentiam; inferior per sustentationem; exterior per magnitudinem; interior per subtilitatem; sursum regens, deorsum continens, extra circumdans, interius penetrans.* Vnde Hildebertus apud Vincent.li 25. hos de πανταπαρουσίᾳ Dei profert rythmos. *Alpha & O, magne Deus, Hely, Hely Deus meus: Cuius virtus totum posse: cuius sensus, totum nesse: cuius esse, summum bonum: cuius opus quicquid bonum: Super cuncta, subter cuncta: Extra cuncta, intra cuncta: Subter cuncta, nec substratus: super cuncta nec elatus: intra cuncta, nec inclusus: extra cuncta, nec exclusus: super totus præsidendo: subter totus sustinendo: extra totus complectendo: intra totus in complendo: Intra nusquam coartaris: extra nusquam dilataris: subter nullo fatigaris: super nullo sustentaris: mundum mouens non moueris: locum tenens non teneris: tempus mutans non mutaris: vaga firmans non vagaris: Vis æterna vel necesse: Non alternat tuum esse.*

111. Quia verò ratio nostra audiens Dei immensitatem statim sibi somniat molis cuiusdam corporeæ diffusionem vel extensionem, quæ tamen ab Essentia diuina est alienissima: ideò audiemus disserentem Aug. de præsentia Dei ad Dardan. c.4. *In eo ipso, quo Deus dicitur vbique diffusus, naturali resistendum est cogitationi & mens à corporeis sensibus auocanda, vt quasi spaciosa magnitudine opinemur Deum per cuncta diffundi, sicut fumus, aut humor, aut aër, aut lux ipsa diffunditur, omnis enim huiusce modi magnitudo minor est in sui parte quàm in toto, sed ita potius sicut est magna sapientia, etiam in homine, cuius corpus est paruum, & duo si sunt sapientes, quorum alter sit corpore grandior, neuter sapientior, non est illa maiore maior, in minore minor, aut minor in vno quàm duobus, sed tãta in hoc, quanta in illo; & tanta in vnoquoque, quanta in vtroque. Neque enim si æqualiter omnino sunt sapientes, plus sapiunt ambo quàm singuli, quemadmodum si æqualiter sint immortales, non plus viuunt ambo quàm singuli. Ipsa denique immortalitas corporis, quæ in Christi carne præcessit nobisq; in fine futura promittitur, cùm magna sit res, non est profectò mole magna, sed licet corporaliter habeatur, corporea quadam excellentia est. Nam, cùm ipsum immortale corpus minus sit in parte quàm in toto, immortalitas eius tàm plena est in parte quàm in toto: & cùm sint alius alia maiora, non tamen aliis alia immortaliora sunt membra.* Tandem concludit. *Absit igitur, vt quod potest in corpore qualitas creati corporis, non possit in seipsa substantia creatoris.*

112. Per omnipræsentiam igitur Deus non includitur rebus: sed potiùs omnia creata coram Deo sunt præsentissima. Aug. de diuersis qq quæstione 20. *In illo sunt potiùs omnia, quàm ipse alicubi; nec tamen ita in illo, vt ipse sit locus. Locus enim in spatio est, quod longitudine & latitudine & altitudine corporis occupatur, nec Deus tale aliquid est, & omnia igitur in ipso sunt, & locus non est.* Epist.57.ad Dard. *Sic est Deus per cuncta diffusus, vt non sit qualitas mundi, sed substantia creatrix mundi, sine labore regens & sine onere continens mundum. Non tamen per spacia locorum quasi mole diffusa, ita vt in dimidio mundi corpore sit dimidius, & in dimidio vicissim dimidius, atque ita per totum totus: sed in solo cœlo totus, & in sola terra totus, & nullo contentus loco, in seipso vbique totus.*

113. Similitudine quadã id declarat 5. de Trin.c.1. *Quo intellectu Deum capit homo, qui ipsum intellectum suum (quo eum capere valet,) non capit? Si autem hunc (intellectum) iam capit, attendat diligenter, nihil esse eo in sua natura melius, & videat, vtrum ibi videat lineamenta illa formarum, nitores colorum, spacios am grandit atem, partium distantiam, molis distensionem, aliquas per locorum interualla motiones, vel quid eiusmodi. Nihil certè istorum inuenimus in eo, quæ in Natura nostra nihil melius inuenimus, id est, in nostro intellectu, quo sapientiam capimus, quantum capaces sumus. Quod ergo non inuenimus in meliore nostro, non debemus in illo quærere, qui longè melior est meliore nostro.* Contra Epist. Fund. c.17. *Imagines immensarum regionum, & cœli ac terræ imagines animus voluit, quibus cateruatim discedentibus ac succedentibus non fit angustus: atque hinc se ostendit non esse diffusum per locos, quia maximorum locorum imaginibus, non quasi capitur, sed potius eas capit: non sinu aliquo, sed vi potentiali atque ineffabili: quia licet eis & addere quidlibet & detrahere, & in angustum eas contrahere & per immensa expandere, & ordinare, vt velit, & perturbare & multiplicare & ad paucitatem singularitatemque redigere.* c.19. *Si ergo animam, vt dixi, his atque huiusmodi motionibus mutabilem sentis non diffundi extendique per locos, sed omnia talia spacia potentiæ viuacitate superare: quid de ipso DEO cogitandum aut existimandum est, qui super omnes rationales mentes inconcussus atque incommutabilis manens, tribuit, quod cuique tribuendum est?*

114. Hanc Augustini similitudinem per quinque partes deducit D. Phil. Nicol. lib.1. de omnipræs. myst. cap. 7. Primo dicit in eo modum illocalem diuinæ omnipræsentiæ demonstrari. Non corporea mole grandescit λόγος humanus, nec stat aëris diffunditur, nec sicut aluta distenditur, cùm per conceptam multarum regionum ideam omnipræsens est, sed illocaliter omnia replet, manẽs id quod est, & nullam sui distractionem ex illa πανταπαρουσίᾳ perferens: sic & Iehouah Deus omnipotens Logósque æternus non multiplicatur, nõ dilatatur, nec diuiditur ex eo, quòd habet cœlum sedem & terram scabellum pedum tuorum. 2. Mens non egreditur quasi à seipsa, & virtutem ac efficaciam à se foràs exerit & tanquam oculari prospectu emittit, vt longè lateque patentis mundi conceptam & formatam ideam impleat: quia species & εἴδωλα non sunt extra animum, sed in animo & intra animum: Sic λόγος hominis in seipso lucem habet, qua formas illas complectitur præsentissimas: Sic Deus infinitus non opus habet extrinseco prospectu, vt omnia videat: non euagatione à semetipso, vt creaturas vniuersas repleat; nec emissione corporea alicuius virutis, quæ ab ipso foràs effluat & emanet, vt hac ipsa cœlum terramqũe complectatur: quia nullæ creaturæ sunt extra Deum, totum

Phil. Nicol. omnipræsentia.

tum intus agitur, & totus in seipso vbique est. 3. Sicut respectu mentis concepta species & imagines non sunt existentes ὑπόστασις, aut palpabiles creaturæ, sed nuda mentis εἴδωλα, nuda simulachra, quorum plenitudo est λόγος, qui præ omnibus istis solus est vera substantia & viua natura: sic quamuis creaturę omnes sint veræ res, vera τὰ ὄντα, tamen Dei respectu sunt tanquam picturæ, vmbræ & imagines, quorum plenitudo est Deus, qui solus est Ens Entium & αὐτοόν. 4. Tota rerum Natura est quasi punctus in oculis Dei & in luce illa profundissima, qua Deus vniuersas creaturas in seipso præsens habet, saluis creaturarum interstitiis, distantiis, ponderibus, numeris, &c. Sicut omnia tempora Deo sunt momentum, ita & omnia loca sunt ei vnus locus, imò ne punctus quidem loci, aut si quid minutius dici potest. 5. Sicut animus solo nutu species omnes in se conceptas, adeoque sensus suos omnes gubernat: sic totius mundi gubernatio adhuc minore labore Deo constat & solo nutu omnia peraguntur, &c.

115. Cæterùm Deus non sua tantum quadam virtute & actiua potentia, quæ sese ad omnia extendit, præsens est; sed etiam sua essentia; nec tamen secundùm partes, ita vt vna sui parte sit in vno loco, & alia parte alio in loco, sed potius est vbiq; indiuisus. Non ergo probare possumus, quod scribit Pincier tr. 4. lib. 2. de Cœna Dom. p. 307. *Cùm Deus sua essentia dicitur vbique esse, atque omnia replere, verbum essentiæ haud omninò propriè accipi, sed tantùm pro maiestate quadam vera & essentiali, qua Deus omnia repleat, ibi essentiam Dei vbique realiter ac substantialiter non modò diffusam, sed cum ipsis rerum substantiis coniunctam, ego quidem non video, quomodo dari possit.* Danæus de Elench. hæret. p. 119. *quod dicitur, Pater & Filius & Spiritus S. habitare in nobis, non de essentia Dei, & transfusione eius in nos est accipiendum; sed tantùm de nostra per Christum connexione cum Deo, quæ res illi planè accidens est.*

116. Non quidem diuinæ essentiæ diffusio, & in nos transfusio quędam statuenda est; interim essentiã diuinam ab eius omnipræsentia excludere est ἀνεπέλογον: cùm nullum sit discrimen reale inter essentiam & potentiam Dei. Rectè Chrysost. super Epistolam ad Hebr. hom. 2. *Sicut multa de Deo intelligimus, quæ loqui penitus non valemus; ita multa loquimur, quæ intelligere non sumus idonei: Verbi gratia, quod vbique Deus est, scimus & dicimus, quomodo autem vbique sit, intellectu non capimus:* quæ verba allegat Lombard. 1. sent. dist. 37. lit. F. & subiungit lit. G. *in illis verbis, quibus dicitur, Deus vbique esse per essentiam, plus contineri credendum est, quod homo viuens capere non valet.*

117. Per hanc suam omnipręsentiam Deus nec misceatur rebus creatis, nec ab eis contaminatur. Cypri. in expos. symb. *Quantum putas, Natura Solis Deo inferior est? quantum creatura sine dubio creatore. Intuere nunc Solis radios, si in Cœni alicuius voraginem demittantur, nunquid iam inde aliquid pollutionis acquirunt, aut obscœnorum illustratio Solis ducitur iniuria? Ignis quoque natura quantò est inferior his, de quibus sermo est? & nulla materia vel obscœna vel turpis adhibita est, ignem polluisse creditur. Cùm ergo hæc ita esse in rebus naturalibus constet, tamen in illa supereminenti & incorporea Natura, quæ supra omnem ignem & supra omne lumen est, pollutionis aliquid putas aut obscœnitatis incidere?* Idem simile de Sole proponit Aug. de agon. Christ. c. 18. *Timent quidam, quod fieri non potest, scilic. ne humana carne veritas & substantia Dei inquinetur: & tamen prædicant ipsum visibilem Solem radios suos per omnes fœces & sordes spargere & eos mundos & sinceros seruari. Si ergo visibilia munda à visibilibus immundis contingi possunt, & non inquinari: quantò magis inuisibilis & incontaminabilis veritas?* Alij adhibent similitudinem animæ, quæ tametsi in singulis corporis partibus etiam fœdissimis inest, non ideò tamen ab illis ipsa inficitur aut sordidatur: ita multò minùs Deus, cuius essentia infinitis partibus simplicior est quàm animæ essentia. Quomodo insuper Deus non sit immixtus rebus per hanc suam præsentiam, explicat contra Manichæorum deliria August. tom. 6. de Nat. boni. c. 42. & tom. 7. de anima eiusque origine; nosque superiùs ostendimus, Deum non venire in in aliarum rerum compositionem.

118. At si vbique præsens est Deus, cur in tot Scripturæ locis dicitur *descendere & venire*? Genes. 11. vers. 7. c. 18. vers. 21. Exod. 3. v. 8. &c. Resp. quando Deus suam præsentiam opere iræ vel gratiam alicubi manifestat, Scriptura dicit ipsum eò descendere, cùm tamen propter essentiæ infinitatem iam ante ibidem fuerit præsens. *Obseruandi ergo sunt distincti gradus diuinæ præsentiæ.* 1. Gradus est præsentia potentiæ, per quam Deus omnia conseruat & regit in cœlo & in terra, Hebr. 1. v. 3. hæc est præsentia generalis. 2. Gradus est præsentia gratiæ, per quam Deus in cordibus credentium habitat ac nouos motus in eis accendit Ioh. 14. v. 23. *Veniemus ad eum.* 1. Corinth. 6. vers. 19. *Templum Dei vos estis.* 3. Gradus est præsentia gloriæ, per quam Deus Angelis & electis se coram conspiciendum præbet ac gloriam suam eis manifestat. Ioh. 17. vers. 24. 4. Gradus est præsentia hypostatica, per quam *tota plenitudo diuinitatis habitat in Christo corporaliter*, Coloss. 2. v. 9. Qui delectantur διχοτομίαι dicere possunt, præsentiam Dei esse vel generalem, vel specialem, eamque vel hypostaticam vel gratiosam: hanc rursus vel inhabitationis vel visionis: obseruatione quatuor horum præsentiæ gradũ multa Scripturæ loca intelligi & explicari possunt. Aug. Epist. 28. ad Hier. *Quemadmodum anima per omnes particulas corporis tota adest simul, nec minor in minoribus, nec maior in maioribus, sed tamen in aliis intensiùs & in aliis remissiùs operatur, cùm in singulis particulis corporis essentialiter tota sit: ita & Deus, cùm sit in omnibus essentialiter ac totus, in illa tamen plenius esse dicitur, quos inhabitat, id est, in quibus ita est, vt faciat eos templum suum, & ibi tales cum eo sunt iam ex parte, sed in beatitudine perfectè, mali verò etsi ibi sint, vbi ipse est, qui nusquam deest, non tamen sunt cum eo.* Ansh. in spec. serm. Euang. c. 3. *Venisti ad nos Deus, non locum mutando, sed præsentiam tuam nobis per carnem exhibendo* (vnde Apostolus Filij Dei aduentum manifestationem in carne vocat.)

Obiectio cõtra omnipræsentiam Dei.

I. Gradus diuinæ præsentiæ.

119. Obseruandũ verò, omnes illos gradus præsentię Dei non essentialiter, sed effectibus tantũ discerni. Non enim alia Dei essentia in creaturis, alia in beatis hominibus, & Angelis, alia in renatis, nec diuina essẽtia ex parte creaturis, ex parte Angelis, ex parte renatis præsens est, sed vna eademque sua essentia tota & indiuisa Deus vbique præsens; discrimẽ multiplicis præsentiæ in sola effectuum diuersitate consistit, vt multiplex illa præsentia nihil aliud sit, quàm varia vnius eiusdẽq; omnipræsentis naturæ operatio. Ergo quot sunt operationum diuinarum species, tot præsentiæ Dei gradus cõstitui possunt; At multæ sunt operationum species, ergo & multi præsentiæ gradus, quorũ tamen summa genera isti quatuor gradus haud incommodè constituuntur. Pulcrè Bernhardus medit. c. 1. col. 1189. *Deus in seipso incomprehensibilis, quia principium & finis: Principium sine principio, finis sine fine: In Angelis desiderabilis, quia in eum desiderant prospicere: In sanctis est delectabilis, quia in eo assiduè felices lætantur: In creaturis admirabilis, quia omnia potenter creat, sapienter gubernat, benignè dispensat: In hominibus*

est amabilis, quia eorum Deus, & ipsi sunt populi eius. Quidam ex veteribus ante Bernhardum sic loquitur: *Est Deus in seipso, sicut α & ω: in mundo, sicut autor & rector: in Angelis, sicut sapor & decor: in Ecclesia, sicut paterfamilias in domo: in anima, sicut sponsus in thalamo: in iustis, sicut adiutor & protector: in reprobis, sicut pauor & horror.*

120. *Denique si Deus vbique præsens est, cur in cœlis habitare* dicitur Psal.2.v.4. cur *in cœlo solium ipsius* esse dicitur? Psal.103. vers.16. Resp. *Cœlum quidem sedes Dei, terra autem scabellum pedum eius.* Esa. 66.v.1. Solium quidem Dei in cœlis, sed regnum eius nihilominus super omnia, Psal.103.v.19. non ergo ideò in cœlis habitare dicitur, ac si tantum in cœlo essentia sua præsens sit, sed quia in illis & excellentius suam potentiam & maiestatem exerit, per cœlestium corporum motum, lucem & influentem virtutem regit sublunaria: quin etiam in cœlo tertio (quod est cœlum gloriæ & Paradisus) Angelis & electis suam bonitatem in gradu excellentissimo communicat, ex eo mittit Angelos, in illud animæ nostræ recipiuntur, &c. Quemadmodum anima tota est in toto corpore, & tota in singulis corporis partibus, nihilominus speciatim dicitur esse in capite, non respectu essentiæ quasi illa magis sit in capite, quam in pedibus: sed respectu operationis & effectuum, quos ibi perfectius & excellentius exerit: sic cœlum dicitur Solium Dei, quia in illo Maiestas Dei elucet manifestius, & inde tanquam ex sua arce Deus vitam, lucem, motum & omnia communicat inferioribus. Zanch. 1. de Nat. Dei c. 6. q. 3. Pulcrè hac de re differit Augustin. Ep.57. ad Dard. *Propter hanc (Dei in cœlis) habitationem, vbi proculdubio gratia dilectionis eius agnoscitur, non dicimus, Pater noster qui es vbique, cum & hoc verum sit: sed Pater noster qui es in cœlis, vt templum eius potius in oratione commemoremus, quod & nos ipsi esse debemus, & in quantum sumus, in tantum ad eius societatem & adoptionis familiam pertinemus. Si enim populus Dei, nondum factus æqualis Angelis eius adhuc in ista peregrinatione dicitur templum eius, quantò magis est templum eius in cœlis, vbi est populus Angelorum, quibus aggregandi & coæquandi sumus, cum finita peregrinatione, quod promissum est, sumserimus?*

CAPVT XVI.

De Dei omnipotentia.

Deus quomodo omnipotens.

121. Atque hæc dicta sint de attributis primæ classis, prolixius quidem, sed tamen satis tenuiter, si diuinæ essentiæ maiestatem respicere velimus. Alterius classis primum attributum est *Omnipotentia.* Vt autem essentia Dei infinita est, ita etiam eius omnipotentia: quippe quæ ab Essentia non differt realiter. Ceterum potentia illa quæ Deo attribuitur, non est passiua (quippe quæ imperfectionem arguit atque actui opponitur; iam verò Deus est Ens perfectissimum & actus purissimus) sed actiua, quæ tamen in Deo non est vis quædam agendi diuinæ essentiæ superddita; sed est ipsa omnipotens Dei essentia: Vt enim Deus est seipso, ita etiam potens est, & agit seipso.

Omnipotentia Dei cõfirmatur 1. Scripturæ dictis.

122. Confirmant Dei omnipotentiam hæc Scripturæ dicta. 1. In quibus disertè dicitur *omnipotens*, qualia sunt numero plurima, autoritate maxima, pondere grauissima, Gen. 17. v.1. *Dominus apparuit Abrahamo & dixit ei: Ego sum omnipotens Deus*, Gen.28. v.3. c.35. v.3. c.43. v.14. c.48. v.3. c.49. v.25. Exo.6. v.3. Num.24. v.4. Ruth.1. vers.20. in Iobo passim, &c. 2. In quibus dicitur, *Deo nihil esse impossibile vel difficile.* Gen.18. v.14. *Num Iehouæ quicquam impossibile?* Ier.32. v.17. & 27. Zach.8. v.6. Mat.9. v.26. Marc.10. v.27. Luc. 1. v. 37. cap. 18. v.27. 3. In quibus dicitur, quod Deus *plura & maiora possit facere, quàm fecit, & quàm nos intelligimus.* Matth.3. v.9. Luc.3. v.8. *DEVS ex lapidibus potest suscitare filios Abrahæ.* Ephes.3. v.20. *DEVS superabundanter plus facere potest, quàm nos petimus, aut intelligimus.* Sap.19. v.6. vnde etiam dicitur, Dominus Zebaoth exercituũ, omnes enim creaturę sunt instar magni cuiusdam exercitus sub DEI summi Ducis imperio. 4. In quibus *potentia, virtus, robur ac fortitudo* DEO tribuitur, vt enim sapientia eius infinita est, vt bonitas eius infinita, ita etiam potentiam eius infinitam agnoscimus; vnde vocatur *Omnipotentia.* Genes.33. v. 20. Deut. 10. v.17. Io.9. vers.4. cap.36. v.5. Psal.24. v.8. Psal.89. v.8. &c. 5. In quibus brachium, manus & dextra DEO tribuitur; per hasce enim appellationes ἀνθρωποπαθῶς potentia ipsius immensa describitur, perinde vt homines per manus & brachia robur suum exerunt: vnde sæpius coniunguntur dextra & potentia Dei. Item vocatur *dextra roboris, brachium potentiæ, &c.* Gen.49. vers.24. Exod.6. v.6. c.13. v.3. Deut.5. v.15. Psalm.136. v.12. & alibi passim. 6. In quibus Deus dicitur nostra rupes, nostrum adiutorium, nostrum refugium, &c. quia enim omnium nostrum robur, ideò infinitæ potentiæ sit oportet. 7. In quibus iubemur Deo confidere. Nititur enim illa fiducia Dei omnipotentia: vnde in Symbolo statim in principio dicitur: Credo in Deum Patrem omnipotentem. 8. Quæ in specie testantur, Patrem esse omnipotentem, Filium esse omnipotentem, & Spiritum sanctum esse omnipotentem, neque tamen tres sunt omnipotentes, sed vnus est omnipotens. Quippe vt trium personarum vna est essentia, ita etiam vna infinita potentia. 9. Denique de omnipotẽtia Dei testantur opus creationis & omnia miracula, quæ in certas classes poterunt ab industrio sacrarum literarum lectore diuidi.

2. Rationum

123. Quamuis verò Scotus & Biel 1. sent. dist. 42. negent, *omnipotentiam Dei ratione naturali cognosci posse*, tamen non desunt omninò rationes, per quas illa astruatur. 1. Vnumquodque secundum quod est actu, secundum hoc etiam est principium alicuius rei actiuum; quippe actus & forma radix est actionis, sicut potentia & materia passionis. Iam verò Deus est summè actu & purissimus actus: Ergo maximè ei cõuenit, vt sit principium actiuum. 2. Vnumquodque secundum quod est perfectum, secundum hoc maiore agendi potentia est instructum: quia agere perfectionis est; pati autem imperfectionis. Deus autem perfectissimus est, Ergo etiam maxima agendi potentia est instructus, vt autem seipso perfectus est, ita etiam seipso potens. 3. Quæcunque sunt in rebus creatis perfectiones, eæ longè perfectiores & perfectissimo modo sunt in Deo: iam verò creaturis competit hæc perfectio, quod vi agẽdi sunt instructę, & vnum quodque Ens in quouis genere dicitur perfectius, quod plura & melius potest in illo genere præstare. Ergo hæc perfectio gradu summo conuenit Deo. 4. Quò quid agit plura & melius, eò maiori agendi vi est instructum: iã verò Deus agit omnia, ille omnia conseruat & gubernat, in ipso viuimus, mouemur & sumus. Ergo maxima agendi vi est instructus, quæ tamen agendi vis non est aliquid realiter diuersum ab ipsius essentia. 5. Si Deus non posset facere omnia quæcunque velit, vel in seipso vel in rebus impedimentum esset, at ipse

sibi

sibi non repugnat, cum sit simplicissimus; sibi omnino semper similis: nec in rebus resistentia est; alias ipsi aliquid foret par: & sic Deus non esset summus & maximus; quinimò resistentia in rebus ex eo oritur, quod aliquid contra Naturam suam patiuntur, sed qualem Deus rem quamque esse vult, talis est ipsius Natura, vis atque pronitas. Vide Suar. disput.30. Metaph.sect.17.n.2.

3.Ethnicorum testimoniis.

124. Inde factum, vt antiquissimi quique Philosophi hanc Dei omnipotentiam dignis celebrarint encomiis. Linus Poëta antiquissimus dicit:

ῥᾴδίως πάντα Θεῷ τελέσαι, καὶ ἀνύσαι ἔοργεν.

Euseb.lib.3. de præpar. Euang.cap. 3. recitat ex Orpheo quod dixerit: *Vnus est omnipotens.* Iustin. in exhort.ex Sibylla recitat: *Vnus Deus, solus, præmagnus, ingenitus; Omnipotens, inuisibilis, videns ipse omnia; Ipse verò non cernitur ab vlla carne mortali.* Arist.li.de mũdo ad Alex. *Proinde* (inquit) *hæc etiam de Deo nobis sentienda sunt, illo quidem si vim spectes, valentissimo; si decorem, formosissimo; si vitam, immortali; denique si virtutem, præstantissimo.* Trismegistus 2.part.Pim.serm. 1. potestatem Dei vocat *insuperabilem, inuincibilem, omnem humanam & Angelicam* (quam ipse vocat diuinam) *excedentem, cum qua nulla est comparanda potentia.* Cic.3. de Nat. Deor. *Nihil est, quod Deus efficere non possit, & quidem sine labore vllo.* Vide plura in morum Philosophia Poëtic.Th.Zuingeri.

Quomodo Deus sit omnipotens.

125. Nomine igitur *omnipotentiæ* intelligimus infinitam esse Dei potentiam, idque 1. in se, per se, & sua Natura. Vt enim Deus in seipso, & per seipsum est infinitus, ita etiam potentia eius in se & per se est infinita: quippe quę cum essentia realiter est idem. 2. respectu obiectorum, quia infinita sunt, quę Deus sua potentia præstare potest. Nunquam tot & tanta efficit Deus, quin semper plura & maiora efficere possit. Propterea Scholastici dicunt, potentiam Dei esse infinitam *extensiuè*, respectu scilicet infinitorum effectuum, ad quos extenditur. 3. respectu actionis siue modi agendi, quia nunquam ita intensè & efficaciter Deus operatur, quin intensius & efficacius agere & operari possit. Propterea dicunt Scholastici, potentiam Dei esse infinitam *intensiuè*, respectu scilicet efficaciæ in agendo Zanch.3. de Nat.Dei.c.1. quæst.3. Pulcrè Scaliger ex. 365. sect. 8. *Non sequitur, actio finita est, Ergo & potestas: propterea quod æternæ essentiæ & potentiæ continuatio superest ipsi iam factæ operæ.*

126. Infinitatem istam diuinæ potentiæ opponimus illis, qui terminis quibusdam ac limitibus certis illam concludere satagunt. Nimirum

Diuina humanas emensi ad robora vires,
Virtutem breuibus cupiunt comprehendere metis.

Obiectio cõtra Dei omnipotentiam

Disputat Thomas 1.q.25. art.3. & 4. rectissimè, *ea quæ contradictionem implicant, sub diuina potentia non contineri*, vnde quidam concludere volunt, *Deum non posse facere ea, quæ rei Naturæ repugnant.* Item *quæ iure Physico fieri nequeunt, ea nec diuino fieri possse*; idque applicant ad negotium sacræ Cœnæ. Collocutores Momp. p. 33. *Deus non potest efficere, vt Christi corpus vno eodemque tempore pluribus locis essentialiter præsens sit, aut vt alibi nunc sit quàm in cœlis.* P.Martyr.in Orothete p. 4. *Nulla vi fieri potest, vt res creata sit vbique.* Keck. 1. Systems. Logic.p.1.c.2. can.6.p.42. *Entia ficta impossibilia sunt, quæ ne Deus quidem producere potest, cum implicent cõtradictionem Naturæ Dei aduersantem, qualia sunt Deus creatus, vbiquitas humanæ carnis, caro Deificata, oralis manducatio corporis Christi.* Beza. resp. ad Hold. *Corpus omne est in loco, est quantum, dimensum, circumscriptum, super est ergo, vt corpus Christi ab illis regulis excipias. sed quo iure? physico certè nequaquam, Ergo nec diuino.* Ex hoc fundamento ἀπιστίαν corporis Christi propugnat, cum contradictionem ipsis videatur implicare, si dicatur, Christum habere verum corpus naturale, in quo & cum quo cœlũ ascenderit, nihilominus illud corpus verè adesse & manducari in Cœna: ideò hęc referunt in numerum ἀδυνάτων, ad quæ Dei potentia se non extendat.

127. *Resp.* Regulam illam non negamus, quòd ea quæ verè contradictoria sint, Deus non possit facere: vel, rectius loquendo, non faciat; sed improbamus vitiosam regulæ applicationem. Addimus enim iudicium de vera contradictione non permittendum esse rationi nostrę: nec ex principiis rationis pronunciandum esse, quæ verè sint contradictoria, & apud Deum impossibilia, sed vnicè ex Dei verbo. Opponimus ergo hoc theorema: Quicquid Deus promittit, præstare potest, etiamsi id nobis videatur impossibile, & cum contradictione coniunctum Rom. 4. v. 21. Rationem subministrat Apost. Ephes. 3. v. 20. *Deus potens est super omnia facere* ὑπερπερισσοῦ *superabundanter, quàm petimus aut intelligimus.* Huic Theoremati plena fidei πληροφορία Abraham innitebatur, ideoque iussus immolare filium, promtè obsequebatur, etiamsi non posset videre, quomodo promissio de multiplicatione seminis cum illo mandato consisteret: perinde vt olim accipiens promissionem filij ex se nasciturj, nec suum, nec Saræ corpus emortuum intuebatur. Applicamus hoc ad præsens negotium, & disertè negamus, hæc verè contradictoria esse, quod Christi corpus sit verum corpus, in cœlum euectum, & nihilominus in Cœna adsit: quia vtrumque Scriptura κατὰ τὸ ῥητὸν asserit.

128. Quicquid Deus promittit, illud vult; quicquid vult, etiam potest, non enim latius patet eius voluntas quàm potestas, Fulg.lib.2.ad Thras. *voluntas Dei est plenissima potestas.* Aug.tom.3. in Enchir. c.96. *Neque enim veraciter ob aliud vocatur omnipotens, nisi quia quicquid vult, potest: nec voluntate cuiuspiam creaturæ voluntatis omnipotentis impeditur effectus* Chrys.in hom. de symb.expos. *Omnipotens dicitur Deus, quia velle illius non potest inueniri non posse, dicente Propheta, Omnia quæcunque voluit, fecit; ipse est ergo omnipotens, vt totum quod vult, possit.* Ambros. super 4. Rom. *De Deo sentire plus par est, quàm humana imbecillitas capit.* Et ante hos Tertul.adu.Praxeam p. 411. *Dei posse velle est, & non posse nolle.* Pulcrè Arnobius 2. contra gentes pag. 85. *Si nos istud nescire dicamus, ac tantummodo auditum ex potentiore credidisse, vbi nostra videtur credulitas lapsa? si omnipotenti credimus Regi, nihil esse difficile, nihil arduum, si quod impossibile nobis est factu, illi impossibile atque admodum executioni paratum? Est enim quod obstare eius voluntatibus possit, aut quod esse voluerit, non necessariò sequatur, vt fiat? Nunquid ex nostris diuisionibus colligemus, quid aut fieri possit, aut non possit: nec rationes considerabimus nostras tam esse mortales, quàm sumus nos ipsi: & nullius apud Principem nominis.* Hact. Ambrosius. Vbicunque ergo præsto est diserta & perspicua diuinæ voluntatis significatio, non excogitet vel somniet sibi contradictiones humana ratio.

129. Quinimò tantum abest, vt Deus ea, quæ in promissionibus suis se velle ostendit, non posse dicendus sit, & sic voluntas eius potestate statuatur angustior, vt rectissimè potius disputet Zanchius 4. de Natur Dei c.1.q.2. *Deum absoluta sua potentia multa posse, quæ non vult, nec fortè vnquam volet.* Ratio est, quia quod potest siue in se siue extra se, potest Natura, eoque in infinitum extenditur eius potentia;

quæ autem vult, liberè vult pro suo beneplacito: sed illa voluntas in obiecta actu infinita non extenditur, sed beneplacito quasi fine quodam ac termino (cogimur ita absolutè loqui) clauditur Matth.3.4.9. *Potens est Deus suscitare de lapidibus istis filios Abrahæ.* Aug. de Nat.& grat.c.7. *Consequens est, vt quod est, esse potuerit: non est autem consequens, vt quod esse posit, etiam sit: quia enim Dominus Lazarum suscitauit, sine dubio potuit. Quia verò Iudam non suscitauit, nunquid dicendum est, non potuit? potuit ergo sed noluit. Nam si voluisset, eadem etiam hoc potestate fecisset.* Damasc. 1. orth. fid. cap.20. πάντα μὲν ὅσα θέλει, δύναται, (ὁ Θεὸς) οὐχ ὅσα δὲ δύναται, θέλει: δύναται γὰρ κατακλεῖσαι τὸν κόσμον, ἀ θέλει δέ.

Potētia Dei absoluta & ordinaria.

130. Ex hoc fonte promanauit distinctio inter *potentiam Dei absolutam & ordinariam* (seu actualem.) Quandoque enim potentia Dei consideratur absolutè sine vllo respectu ad alia diuina attributa, veritatem scilicet, sapientiam, iustitiam & voluntatis suæ propositum: quandoque verò relatè consideratur respectu habito ad aliquod attributum diuinum, sapientiam puta, misericordiam, veritatem, &c. vnde diuisio illa diuinæ potentiæ in absolutam & ordinariam oritur. Potentia absoluta multa potest Deus, quæ tamen non facit. Ex inferno damnatos liberare posset, sed non liberat, quia iustitia æternam damnationem illis statuit. Absolutæ Dei potentiæ correspondere dicunt in Creaturis potentiam quandam *obedientialem.* Rectè autem monet *Scalig.* exerc.365. sect. 8. *quod ordinaria potentia sit absoluta pars, vna enim in Deo est potentia. Et omninò, quicquam in Deo ponere, quod non sit absolutum, & quod non sit ipse Deus, impium est. Neque ordine disponitur aut distinguitur eius potentia, sed ipse ordinis autor est, cuius ordinis necessitas omnis ab eo pendet: Ipse rebus ordinem præfixit per sapientiam & bonitatem.* Hæc Scal.

An Deus possit facere melius quod fecit, quam quomodo fecit.

131. Manuductione huius diuisionis responderi potest ad multas quæstiones. Quæritur, *an Deus possit facere melius quod fecit, quàm quomodo fecit?* Respondet Scalig.ex.249.sect.3. *Potest Deus ex immensitate potentiæ aliter facere: at ex summa bonitate, quæ est potentiæ regula, neque à potentia essentiâ diuersa (est enim Deus & Dei omnia vnum atque vnius Deus, sui ipsius & principium & finis, sine tamen principio & fine vllo, non enim extra se egredi potest) non vult minus posse, quàm benè posse: quia à summo bono simpliciter non potest, nisi summum bonum in vnoquoque genere aut ordine Entium proficisci.* Postea concludit: *Deum quidem posse facere semper aliquid melius: rem autem ipsam non posse suscipere illam infinitatem: neque enim est, vt in rebus nostratibus. Frustra namque est hîc apud nos potentia, quæ non habet, in quod exerceatur. Nam potentia hîc & actus sunt relatiua: at Dei potentia ad nihil refertur, sed sua solius est, & ipsa sibi & hoc, quod est, & hoc omne, quod sunt omnia.*

132. Ceterum obserua accuratè, potentiam Dei ordinariam dici vel respectu ordinis in Natura instituti, vel respectu reliquorum attributorum diuinorum, videlicet bonitatis, misericordiæ, iustitiæ, &c. *Priori* modo agit Deus non tantum secundum ordinariam potentiam, sed etiam secundum absolutam. *Aug.* de Gen.ad lit.lib.6.c.13. *Voluntas Dei super omnia, potentia quippe sua numeros creaturis dedit, non ipsam potentiam suam creaturis alligauit.* Proinde diuina potentia non est æstimanda ex conditione creaturarum, sed ex natura Dei loquentis: is quando ordinem à se conditum mutat, eadem vtitur libertate, qua antea eundem constituit. Thom.pag.1. q.25.art. 5. *Potentia Dei nihil aliud est, quàm ipsius sapientia: nihil ergo est in Dei potentia, quod non sit in ordine diuinæ sapientiæ: nam diuina sapientia totum posse potentia comprehendit; sed tamen ordo diuinæ sapientiæ rebus inditus non adæquat diuinam sapientiam, sic vt diuina sapientia, limitetur ad hunc ordinem, diuina enim bonitas est finis improportionaliter excedens res creatas, vnde diuina sapientia non determinatur ad aliquem ordinem rerum, vt non possit alios cursus rerum effluere.* Posteriori autem respectu Deus tantum agit secundum potentiam suam ordinariam, nihil enim agit, quod suæ sapientiæ, vel iustitiæ, vel misericordiæ, vel veritati repugnet atque aduersetur.

Obiectionij cōtra Dei omnipotentiam.

133. Strolidè contra Dei omnipotentiam insurgit Plinius, eique per hoc aliquid detrahi existimat, quòd *mori & fallere non posit, nec factum infectum reddere; ideò enim omnipotens est Deus* (ait Augst. lib.1.de Symb.c.1.) *quia ista non potest. Nam si ista* (mori, peccare, fallere) *posset, non esset omnipotens: magna in Deo potentia est, non posse mentiri.* Ansh.libr.2. Cur Deus homo c.17. *Quotties dicitur, Deus quædam non posse, nulla in eo negatur potestas, sed insuperabilis significatur potentia & fortitudo.* Sic ergo procedimus: Posse mori, posse peccare, quoad formam loquendi quandam videntur indicare potentiam in eo, qui ista dicitur posse, sed quoad rem ipsam, non potentiam actiuam, sed defectum potius potentiæ significant; ratio est, quia passiuam potentiam denotant, quæ imperfectionis est, & quo quid magis à potentia passiua remotum, eò perfectius est & magis actu. Efficere, vt factum sit infectum, esset facere vt aliquid simul sit & non sit; at hoc est falsum. Omne falsum est impotentiæ: Deus autem omniporens: Ergo nihil falsi potest. Rectè Augst. lib. 26. contra Faustum c.8. *Quisquis ita dicit, si omnipotens est Deus, faciat, vt quæ facta sunt, facta non fuerint, non videt hoc se dicere, Si omnipotens est, faciat vt ea, quæ vera sunt, eo ipso quo vera sunt falsa sint.*

134. Proinde, dùm infinita potentia (actiua) Deo assignatur, remouentur ab eo, quæcunque ex potentia passiua, quę potius ex impotentia, oriuntur. Lombard. 1. sent. dist. 43. Ergo. *Diligenter considerantibus omnipotentia Dei secundùm duo apparet, scilicet, quod omnia facit, quæ vult, & nihil omninò patitur: secundum vtrumque Deus omnipotens verissimè prædicatur: quia nec aliquid est, quod ei ad patiendum corruptionem inferre valeat: nec aliquid ad faciendum impedimentum afferre.* Manifestum est itaque, Deum omninò nihil posse pati, & omnia facere posse, præter ea sola, quibus eius dignitas læderetur, eiusque excellentiæ derogaretur, in quo tamen non est minus omnipotens.

Quæstiones Scholasticarum de Dei omnipotentia.

135. Hæc ita balbutire possumus de infinita illa Dei potentia: vbi meritò præcidimus quæstiones quasdam Scholasticorum, quæ Erasmi iudicio sunt scrupulosæ, curiosæ, superuacaneæ; quædam etiam ineptæ, absonæ & impiæ. V.G. *An Deus posit quodvis malum etiam odium sui præcipere, & omne bonum prohibere, etiam amorem & cultum sui. An posit actu infinitum secundum omnem dimensionem producere. An hæc propositio sit possibilis: Pater Deus odit Filium Deum. An hæc propositio, Deus est scarabeus aut cucurbita, tam possibilis sit, quàm hæc, Deus est homo. An posit Naturam vniuersalem producere & conseruare sine singularibus. An reuelare possit alicui futurum suum peccatum aut damnationem, &c.* Hi sunt λόγοι ἀπέραντοι, οἵτινες ζητήσεις παρέχουσι μᾶλλον ἢ οἰκονομίαν Θεοῦ τὴν ἐν πίστει. Tim.1.v.4.

CAPVT XVII.

De Dei bonitate.

Deum esse bonum probatur.

136. Alterum secundæ classis attributum est Bonitas. Vt autem Deus summum Ens, ita etiam summum bonum & αὐτοαγαθὸν. Vt summum illud

Ens

Ens reliquis omnibus Entibus dat esse: ita quicquid bonum est, participatione summi istius boni tale est. Riuuli ex isto bonitatis diuinæ fonte in creaturas deducuntur, sed ipsum in seipso plenum manet summi istius boni pelagus. Non sibi solum & in seipso Deus bonus est, sed etiam aliis suam bonitatem communicat. Quin ita bonus est Deus, vt nihil mali ipsi sit permixtum, vt originaliter (non participatiuè) essentialiter (non accidentaliter) inamutabiliter [non alternatiuè] bonus sit, proinde est summum & perfectum bonum, vnde Saluator dicit: Nemo est bonus nisi solus Deus.

1. Ex Scripturis.

137. De hac Dei bonitate testantur innumera Scripturę dicta. 1. In quib. dicitur *bonus* Ps.25.v.8. Ps. 86.v.6. Mat.19.v.17. Marc.10.v.18. Luc.18.v.19. &c. 2. In quibus bonitas Dei celebratur 2. Paralip.5.v.13. Esdr.3.v.11. Nehem.9.v.25. Psal.17.v.7. Ps. 31.v.20. Psal.40.vers.12. Psal 86.v.6.&c. Rom.2.v.4. vocantur *diuitiæ bonitatis*. 3. In quibus *miserator & misericors* dicitur Exod.34.v.6. Nehem.9.v.17. Ps.103.v.8. Ps. 145.v.8. Esa.49.v.10. Ionæ 4.v.2 Luc.6.v.36. Iac.5.v. 11.&c. 4. In quibus misericordia eius celebratur. Genes.32. vers.10. *Magna misericordia* dicitur 2. Sam.24. v.14. Nehem.9.v.17.c.13.v.22. Ps.51.v.3. Esa.54.v.7. *æterna* dicitur 2. Paral.5.v.13. Esdr.3.v.11. *viscera misericordiæ* dicuntur Esa.63.v.15. Luc.1.v.78. singulis diebus renouatur Thren.3.v.22 ipsa misericordia dicitur Dan.9.v.9. *tanta dicitur quantus ipse est*, Eccl.2.v.21. *ardens & accensa* dicitur Ose 11.v.8. Deus *diues misericordia* dicitur Eph.2.v.4. &c.5. In quibus dicitur *clemens* Exod.22.v.27. Exod.33.v.19. Num.6.v.25. Ps.13. v.6. Psal 86.v.6. Psal. 103.v.8. Esai.30.v.19. Ier.33.v. 11.&c.6. In quibus clementia ipsius celebratur Ps.5. v.13. Ps.89.v.3. Psal.108.v.5. Psal.103.v.4. Ps.117.v.2. Oseæ 6.v.4.&c.7. In quibus dicitur *longanimus* Ion.4. v.2. Rom.2.4.1. Cor.13.v.4.1. Ioh.4.v. 6.8. In quibus *suauitas*, & χρηστότης & φιλανθρωπία eius celebratur Ps.34.v.9. *Gustate & videte, quàm suauis sit Dominus*. Ps.118.v.1. Ps.136.v.1. Thren.3.v.25. Tit.3.v.4.1. Petr.2.v.3.&c.9. In quibus *patientia* eius celebratur, qua condonat hominibus næuos & patienter expectat eorum conuersionem Exod.34.v.6. Nehem.9. v.17. Ps.86.v.17. Ps.103.v.8 Rom.2.v.4.2. Pet.3.v.9. 15. &c. 10. In quibus suauissimo *Patris* nomine seipsũ appellat, Deu.32.v.6. Io.34. Ps.68.v.6. P.103.v. 13. Es.49.v.14.c.63.v.16.c.64.v.8. Ier.3.v.3.c.31.v.9. & v.20. Mal.1.v.6. Mat.5.6.7. & alibi passim. 2. Cor. 6.v.17. Eph.3.v.14. Heb.12.v.6.&c.11. In quibus *charitas* eius celebratur Deut.33.v.3. Ier.12.v.7. *dilectum populum* vocat dilectam suam animam c.31.v.3. Ro. 8.v.35. Eph.2.v.4.1. Ioh.4.v.8.&16. *Deus est charitas*. &c.12. De bonitate Dei testantur omnia ipsius opera Psal.25.v.10. Tob.3.v.2. in specie opus creationis, *erant omnia valde bona* Gen.1.v.vlt. Ps.108.v.5. Ps.119. v.64. Mal.2.versic.10. Item *conseruatio rerum omnium* Matth.5.v.44. *missio Filij* Ioh 3.v 16. Rom.5.8. Eph. 2.v.4.1. Ioh.4.v.9.&10. *remissio peccatorum & condonatio pœnæ* Exod.34.v.6. Ps.103.v.8.9.10.12 Esa.54. v.7. Thren.3.v.32.33. Dan.9.v.9. Ionæ 4.v.2. Luc.6. v.36.&c. *Paterna ipsius prouidentia*. 1. Reg.9.v.3.2 Paralip.7.v.15.16. Psal.4.v.7 Psal.33.v.17. *donatio Spiritus sanctis* Rom.5.vers.5. *exauditio precum*. Psal 86.v.6. Dan.9.v.18. *donatio vitæ æternæ*. Roman.6.v.vlt.&c.

2. Ex operibus diuinis.

138. Quinimò συλλήβδην dicendo, vniuersa Dei opera sunt diuinæ bonitatis effecta & testimonia, adeò vt ipse etiam castigationes de ipsius bonitate testentur. 1. quòd nos castigat variis virgis, id facit per occasionem, pronocatus nostris peccatis: est opus ipsius alienum Esai. 82.v.21. proprium autem ipsius est misereri, & parcere. Bernhard. serm.5. in die nat. col.60. *Quod miseretur, proprium est illi, ex se enim sumit materiam & velut seminarium quoddam miserendi: quòd autem iudicat & condemnat nos, cum quodammodo cogimus, vt longè aliter de corde ipsius miseratio quam animaduersio procedere videatur.* 2. per istas castigationes in viam nos reuocare cupit. Sap.12.v.22. 2. Maccab. 6.v.14. 1. Cor.11.versic.32. Heb.12.v.6. Hinc Iacobus de Voragine super Euangelia scribit, *mala pœnalia, non sunt propriè mala, quia sunt à summo bono, à quo non potest procedere, nisi bonum: fuerunt in summo bono scilicet Christo, & ducunt ad summum bonum.* 3. Castigatio semper minor est delicto Oseę 11.v.8. &c. hinc Scholastici, *Præmia Deus confert vltra condignum, punit autem infra condignum.* Prosper. in Epigr. super sent. August. *Nulla Dei opera vacant misericordia, quando homini & indulgentia consulit & flagello.*

Locus Exod. 34. v. 5. explicatur.

139. Omnia ista bonitatis suæ testimonia Deus ipse ὡς ἐν τύπῳ & συντόμως proponit Mosi seruo suo fideli Exod. 34. Cùm enim dixisset Exod.33.versic.19. *Transire faciam omne bonum meum coram facie tua*, statim sequitur c.34.v.5. *Descendit Iehouah in nube & stetit cum ea illic & prædicauit in nomine Domini.* v.6. *Et transiuit Dominus corã facie eius & prædicauit: Dominus Dominus est misericors & clemens, longanimus & multæ bonitatis & veritatis, seruans bonitatẽ in millia, condonans iniquitatẽ, præuaricationẽ & peccatũ nocentem, & nõ faciens innocentẽ.* רַחוּם, significat misericordem ex intimis visceribus, cui in Nouo Testamento respondet verbum σπλαγχνίζεσθαι, Oseæ 11.v.8. *conuersum est in me cor meum, simul exarserunt in me miserationes meæ.* חַנּוּן, significat *benignum*, beneficum, clementem, & soli Deo attribuitur in illa forma. Significat igitur DEVS se promtum ac paratum esse ad gratificandum & benefaciendum: Huic voci in Nouo Testamento respõdet illud ἐκδεισποσιν Ephes. 1.v.6. אֶרֶךְ אַפַּיִם tardus ad iram: cui in Nouo Testamento respondet μακροθυμος; significat ergo DEVS se non statim, nec facilè ad iram commaneri, per quam in malè agentes grauiter animaduertat. רַב חֶסֶד, *multus benignitate*, cui respondet πλοῦτος χρηστότητος, Rom.2. v.4 significat ergo DEVS se non solum esse tardum ad iram & pœnam in mal-factores, sed insuper benignitate sua & beneficiis illos ad conuersionem inuitare. חֶסֶד propriè significat στοργήν affectum illum pietatis ac caritatis, quo parentes naturaliter tanguntur erga liberos & vicissim hi erga illos. אֱמֶת significat veritatem & fidem in seruandis promissis. Ostendit igitur Deus, quòd non solum Natura sua sit beneficus, sed etiam se suis promissionibus ad beneficẽtiã obstringat: ideò subiungit, se custodire benignitatem & misericordiam in millesimam generationem, quò ostendit, se non defatigari benefaciendo. Tandem dicit se condonare עָוֹן וָפֶשַׁע וְחַטָּאָה *iniquitatem, transgressionem & peccatum*, quibus verbis omnia peccatorum genera complectitur, Avon totam Naturæ corruptionem significat, Peschà actualem præuaricationem; Charthaah peccatum sine timore admissum: hæc omnia condonat Deus, scilicet respicientibus & in Christũ credentib. Nam quid impœnientibus exspectandũ sit, verbis sequentibus indicatur.

3 Rationibus.

140. Sed nec desunt argumenta philosophica, quibus Dei bonitas confirmatur. 1. Deus est summum Ens. Ergo etiam summum, quia Ens & bonum conuertuntur. 2. In creaturis multa inueniuntur bona. Ergo multo magis Deus creator erit bonus. Quicquid enim in effectu est, id longè præstantius in causa inuenitur. Nisi bonus esset Deus, non benefaceret quotidiè. 3. Vnumquodque bo-

num, in quantum perfectum: perfectio autem rei triplex. Primò prout in Esse suo constituitur. Secundò prout ei aliqua accidentia superadduntur ad operationem necessaria. Tertiò, quod aliquid aliud attingit tanquam finem. Thom. p.1.q.6. art. 3. prima perfectio est potissima, quæ etiam Deo competit. Cùm ergo Deus sit perfectissimus, vtique etiam optimus. Quartò, quò quid melius, cò largius se communicat. Bonum enim est sui communicatiuum: iam verò Deus omnium maximè suam bonitatem creando & cõseruando communicat. Ergo est optimus. Quintò Bonum est, quod omnia appetunt, iam verò *Deum omnia appetunt entia: non primo, sed quia esse appetunt.* Scal. ex. 307. sect. 17.

4. Ethnicorũ testimoniis.

141. Hinc etiam prisci Philosophi de bonitate Dei pulcerrimè philosophantur. Trism. ser. 2. Pimandri, *in Deo tantum bonitatem collocat, imò Deum nedum bonum, sed ipsam bonitatem esse demonstrat:* Sic enim ait: *Etenim ex his, qui præter ipsum appellantur Dij, seu Dæmones siue homines, nullus esse tam bonus potest, quàm Deus vnicus. Is enim ipsum bonum est, nec aliud quicquam præter bonum.* Et postea. *Tàm ampla est bonitas, quàm existentia rerum omnium tùm corporalium, tùm etiam incorporalium, sensibiliumque & intelligibilium, id bonum est, id Deus est. Caue itaque ne quando dixeris aliud quicquam bonum: prophanus enim hic foret error. Neque etiam dixeris Deum aliquid quicquam præter solum bonum, in eandem quippe impietatem incideres.* Ibid. *Bonus porrigit vniuersa, neque accipit quicquam: Deus exhibet omnia, capit nihil. Igitur Deus bonum & bonum Deus.* ser. 6. Pim. *Bonum in nullo penitus, nisi in vnico Deo, imò ipsum bonum Deus ipse semper. Quamobrem essentiam omnis motionis atque cognitionis Deum esse oportet. Hac essentia orbatum nihil: hæc circa se stabilem actum, nullius egenum, infinitum, superabundantem, porrigentem possidet. Vnum id vniuersorum principium bonum porrigens & effundens. Bonum quoties nomino, bonum id quod omnia bona, & quod bonum semper intellige, hoc vnico Deo adest, neque enim cuiusquam indigus est, vt adeptionem illius appetendo maius fiat: neque iactura cuiusquam in eum cadit vnquam, vt post damnum dolore afficiatur.* Plato in Timæo. *Dicamus de causa qua vniuersum hoc à creatore productum est. Bonus erat: bono autem nulla vnquam ineſt inuidia.* Idem definit Deum *summum bonum, quo nihil melius excogitari possit, ac mentem æternam causam omnis boni in Natura.* Numenius in li. de Bono, *dicit eum, qui sensibilib. detentus, ipsius boni q. phantasmatibus mouetur, ac ideò putet, bonum ipsum prospexisse, vehementer errare: viam autem & rationem intelligendi bonum optimam esse, vt primum sensibilia omnia negligantur, ac mens ad intelligendum ipsum Ens eleuetur.* Plotin. lib. 8. Ennead. 1. c. 2. *Bonum est, à quo omnia pendent, quodque omnia appetunt, acci pientia ab ipso principium, eiusque penitus indiga, ipsum verò nullus egenum ipsum sibi sufficiens, nihil penitus appetens, mensura omnium atque terminus.*

Deus est summe bonus.

142. Porrò Deus eo modo bonus est, vt sit summè bonus vel summum bonum, quinimò est summum bonum simpliciter & absolutè, non solum in aliquo rerum genere vel ordine; *sic enim bonum Deo attribuitur in quantum omnes perfectiones desiderata affluunt ab eo, sicut à prima causa: non autem sicut à genere vniuoco.* Thom. par. 1. q. 6. art. 2. Vt enim Deus est Ens transcendentale, non inclusum reliquis Entium generibus: ita etiam est Bonum summum reliqua bonorum genera infinitis modis transcendens, ac proinde vniuoco quodam genere cum reliquis bonis non participat. Constituitur alias duplex bonum, vt vnum esse dicant, quod *simpliciter & per se* bonum est, aliquid quod *alicui tantum aut aliquibus bonum* esse dicatur. Arist. 5. Eth. Nicom. c. 2. Solus Deus propriè loquendo simpliciter & per se bonus est: reliqua enim omnia bonorum genera participatiuè bona sunt & accidentaliter. Aug. tom. 10. de verb. Apost. serm. 1. *Deus omnem creaturam suam excedit, omnem facturam præterit, vniuersa præcellit. Si quæras magnitudinem ipse maior est; si pulcritudinem, pulcrior; si dulcedinem, dulcior: Si iustitiam, iustior: si fortitudinem, fortior: si pietatem, clementior.*

143. Eo etiam modo Deus est bonus, vt sit sua bonitas, vel quod idem est, per essentiam bonus. Neque enim bonitas in Deo est aliquod aliundè acceptum, & per modum accidentis diuinæ essentiæ inhærens: sed Deus est seipso & per suam essentiam bonus: id quod simplicitas, æternitas & perfectio diuinæ essentiæ liquidissimè comprobant. Quo sensu dicebat Saluator, quòd nemo bonus, nisi solus Deus, videlicet essentialiter, originaliter, immutabiliter, simpliciter & perfectè. Matth. 19. v. 17. Marc. 10. v. 18. Luc. 18. v. 19. Cumque hoc modo bonus sit, videlicet per suam Naturam & essentiam, ideò nihil mali ipsi admixtum esse, vel ab eo procedere potest. Ita lux est, vt tenebræ non sit in eo: ita bonus est, vt nihil in eo possit esse mali. 1. Ioh. 1. v. 5.

144. Variæ quidem sunt rerum creatarum bonitates (intellige, formales) vt enim vnaquæque res est per suam formam, ita etiam bona est sua propria forma, interim, quia Deus omnium entium reliquorum est principium & finis: ideò etiam est causa omnium bonitatum efficiens & finalis: omnia enim bona à bono Deo condita, & omnia ad diuinam bonitatem, vt ad finem suis tendunt bonitatibus. Et quamuis non sit vna omnium bonitas formalis, (siquidem vt sunt distinctæ ac diuersæ rerum formæ, ita etiam distinctæ & diuersæ bonitates formales) tamen cùm Deus sit exemplaris causa omnium Entium, ideò etiam est exemplaris causa omnium bonitatum, & proinde vna est omnium bonitas exemplaris. Quæ in rebus multæ & distinctę sunt bonitates, hæ omnes in Deo sunt vna bonitas. Quæ per participationem bona sunt, referunt exemplar summæ bonitatis in Deo, qui per se, suaque essentia bonus est. Ab illo *omnia bona*, per illum *bona omnia*, ad illum *bona omnia*, Rom. 11. v. 36. Hinc Thom. part. 1. quæst. 6. art. 4. *Primum* (bonum & Ens) *est, quòd per suam essentiam est Ens & bonum, ab hoc vnumquodque* (est) *bonum & Ens, in quantum participat ipsum per modum cuiusdam assimilationis, licet remotè & deficienter.* Vnumquodque ergo bonum bonitate diuina, sicut primo principio exemplari; effectiuo & finali totius bonitatis, bonum tamen etiam est similitudine diuinæ bonitatis sibi inhærente, quæ est formaliter sua bonitas.

Quæ ad Dei bonitatem pertineant.

145. Ad hanc bonitatem Dei pertinet ipsius gratia, misericordia, amor & dilectio: quæ omnia non sunt affectus quidam accidentales in Deo, sicut in nobis, sed ipsa eius bonitas. Ansh. in Prosol. c. 8. *Cùm nobis compateris, nos sentimus miserationis effectum, tu non sentis miseriæ affectum.* c. 9. *Verè in altissimo & secretissimo bonitatis tuæ latet fons, vnde manet fluuius misericordiæ tuæ.* Per gratiam Dei intelligitur gratuitus ipsius fauor, quo homines complectitur, & condonatis iniuriis in gratiam eos recipit, ac varia dona gratis in eos cõfert, hinc Thom. 1. 2. q. 110. art. 1. *Gratia Dei accipitur bifariam; aliquando pro ipsius Dei erga nos dilectione: aliquando pro dono gratis dato, & hoc alterum proficiscitur ex priore; ideò enim Deus nobis largitur sua dona gratis, quia nos diligit.* Amor Dei complectitur beneuolentiam eius & promtam benefaciendi volun-

voluntatem: deinde actualem beneficentiam, denique complacentiam seu oblectationem in re amata. Per misericordiam Dei intelligitur, quòd ipsius voluntas ad miserendum siue ad succurrendum misero sit propensissima atque efficacissima.

Ipsius doctrina de Dei bonitate.

146. Ex pia diuinæ bonitatis & charitatis meditatione ad amandum & prædicandum summum illud bonum meritò inuitamur. *Certè Domine*, dicit Ansh. in lib. de medit. redemt. c. 7. *quòd me fecisti, debeo amori tuo meipsum totū: quia me redemisti, debeo meipsum totum: quia tantum promittis, debeo meipsum totum, imò tantum debeo amori tuo plusquam meipsum, quantum tu es maior meipso, pro quo dedisti teipsum, & cui promittis in cœlo teipsum.* Bernh. serm. de sept. miser. col. 181. *Septem inuento in me misericordias Domini; prima est, quod à multis peccatis adhuc in seculo positum custodiuit, prima hæc est non inter omnes quas impendit, sed prima inter has septem. Quis enim non videat, quod sicut in multis cecidi, sic & in alia poteram cecidisse peccata, nisi omnipotentis pietas conseruasset? Secunda miseratio tua Domine quàm benigna, quàm liberalis, quamque gratuita! Ego peccabam & tu dissimulabas: Non continebam à sceleribus, & tu à verberibus abstinebas: Prolongabam ego multo tempore iniquitatem meam, & tu Domine pietatem tuam. Sed quid prodesset expectatio, nisi sequeretur pœnitudo? Tertia proinde miseratio fuit, quod visitauit cor meum & immutauit, vt amara fierent, quæ male dulcia prius erant, &c. Multi pœnitentia ducti sunt, sed infructuosa, itaque & hæc miseratio quarta fuit, quod pœnitentem misericorditer susceperis, vt in eorum numero inueniner, de quib. Psaltes; Beati, inquit, quorum remissæ sunt iniquitates. Sequitur misericordia quinta, per quā mihi continendi deinceps & emē dationis viuendi præstitisti virtutem, ne recidiuam paterer, & esset nouissimus error peior priore. Postquam in hu quinque miserationibus à malo liberaueris, in duabus aliis bona largiris. Hæ duæ sunt, gratia promerendi, quia videlicet munus bonæ conuersationis indulges, & spes obtinendi, qua dones homini indigno & peccatori de tua toties experta bonitate vsque ad cœlestia sperāda præsumere.* Hæc Bernhard. qui sermone sequente ex singulis illis septem panibus misericordiæ tria colligit fragmenta.

Obiectiones contra Dei bonitatem.

147. Si quæ dicta Scripturæ Deo videntur causam peccati tribuere, ea explicantur in loco de Prouidentia diuina. Si quæ diuinam misericordiam videntur *coarctare*, quasi certi quidam homines odio Dei absoluto ab eius aditu excluſi sint, ea explicantur in loco de prædestinatione. Nec aduersantur diuinæ misericordiæ illa dicta, quæ *iustitiam* diuinam describunt, ac Deum esse ignem consumentem tradunt.

Deus non tantum misericors, sed etiam iustus

Non enim misericors solùm Deus est, sed etiam iustus. Tertul. 2. aduers. Marcion. c. 11. pag. 203. *Vsque adeò iustitia etiam plenitudo est diuinitatis ipsius, exhibens Deum perfectum & Patrem & Dominum: Patrem, Clementia: Dominum, disciplina: Patrem, potestate blanda: Dominum, seuera: Patrem, diligendum piè: Dominum timendum necessariè: Diligendum, quia malit misericordiam, quàm sacrificium: & timendum, quia nolit peccatum: diligendum, quia malit pœnitentiam peccatoris, quam mortem: & timendum, quia nolit peccatores sui iam non pœnitentes: ideò lex vtrumque definit:* Diliges Deum & timebis Deum. *Aliud obseruatori proposuit, aliud obsecutori proposuit, aliud exorbitatori. Ad omnia tibi occurrit Deus, idem percutiens, sed & sanans; mori faciens, sed & viuificans; humilians, sed & sublimans; condens mala, sed & pacem faciens.* Hæc Tertul.

148. Bonitate igitur diuina non abutamur ad peccata, sed per illud πλοῦτος τῆς χρηστότητος Θεοῦ καὶ τῆς ἀνοχῆς καὶ τῆς μακροθυμίας ad pœnitentiam nos inuitari statuamus. Ro. 2. v. 4. Referēte Valer. Max li. 1. dict. factorumque memorab. cap. 2. Dionysius Syracusis genitus mensas argenteas atque aureas è fanis sustulit, quodque in his more Græciæ scriptum erat, *bonorum Deorum* eas esse, vti se bonitate eorum prædicauit. Non minùs abutuntur Dei bonitate, qui peccatorum suorum impunitatem securo animo ab ea sibi pollicentur, quibus Apostolicum illud proponimus: *Secundùm duritiem tuam & cor impœnitens thesaurizas tibi ipsi iram in die iræ & reuelationis iusti iudicij Dei.* Rom. 2. v. 5.

CAPVT XVIII.

De iustitia Dei.

Iustus quomodo dicatur Deus.

149. Sequitur proinde tertium secundæ classis attributum, videlicet *Iustitia*, quæ à diuinæ bonitatis abusu reuocare poterit delinquentes. *Cùm misereri voluerit, nihil est Deo clementius: cùm verò iustitiam tribuere, nihil ipso terribilius*, vt rectè notat Gerson de cōsol. Theol. Ceterum quando Deo iustitia tribuitur, intelligitur, 1. Iustitia Vniuersalis, quam ita describit Philosophus libr. 5. Eth. cap. 3. quod sit ἀρετὴ τελεία, ὅλη ἀρετὴ, καὶ κρατίστη πρὸς ἄλλον ἀρετήν, adducit etiam versiculum, ἐν δὲ δικαιοσύνῃ συλλήβδην πᾶσ' ἀρετή, ἐστι. *Iustitia in se virtutes continet omnes.* Et Phauorinus: δίκαιος ὁ πᾶσαν ἀρετὴν ἔχων. Cui verò melius & perfectius chorus ille virtutum omnium competit quàm Deo, qui perfectè bonus est & apud quem nulla iniquitas vel iniustitia, *nihil in eo mali vel iniusti*, qui lux est, & tenebræ in eo non sunt? 2. Iustitia status, per quam aliquis rectus & integer est secundùm statum seu conditionem & personam quam gerit, ac proinde in officio suo ἄμεμπτος καὶ ἀνέγκλητος. Sic iustus Magistratus est, qui partes huius officij iustè & inculpatè exequitur. Quis verò ita benè & perfectè se in suo gerit statu atque officio quàm Deus in suo? Omnes (vt ita loquar) partes officij sui iustè & modis omnibus perfectè administrat, iustus Dominus est, iustus Iudex, iustus Pater, iustus Rex, iustus Doctor, iustus Sponsus, iustus Legislator, &c. 3. Iustitia distributiua, quæ pars est vniuersalis iustitiæ, & propriè versatur in æqualitate, suum enim cuique tribuit. At cui hoc perfectius competit, quàm DEO, de quo toties Scriptura prædicat, quòd reddat vnicuique secundum sua opera? Dionys. de diu. nom. c. 8. *Oportet videre in hoc veram Dei iustitiam, quòd omnibus tribuit propria secundùm vnuscuiusque existentium dignitatem & vniuscuiusque Naturam in proprio saluat ordine & virtute.* Thom. p. 1. q. 21. art. 1. *Iustitia commutatiua non competit Deo, quis enim prior ipsi tribuit? sed distributiua.* 4. Iustitia correctiua, quæ citra προσωπολημψίαν vitia corrigit, nocentes punit; hæc pars quædā est iustitiæ distributiuæ: Nec hanc à Deo remouere possumus iustitiam, qui *absoluendo non absoluit* scilicet impœnitentes peccatores Exod. 34. v. 6. *Vt est ergo pios indulgentissimus Pater, ita aduersus impios est rectissimus iudex,* Lactant. 1. diu. Inst. c. 1. 5. Iustitia promissorum, quæ nihil aliud quàm veritas, & fides in dictis atque promissis. At Deo hoc maximè competit suis stare promissis, cùm sit fidelis & iustus 1. Ioh. 1. v. 9. *Qui verus est in promittendo, verus etiam est in minando.* Aug. in lib. de vera & falsa pœnit. c. 7. 6. Denique nomine iustitiæ diuinæ sæpè intelligitur *Dei bonitas* Psal. 51. v. 16. Psal. 69. v. 27. Psal. 145. v. 7. vnde & Græci dictionem צְדָקָה per δικαιοσύνην aliquando reddunt Gen. 19. v. 19. cap. 20. v. 13. cap. 21. v. 24. ratio videtur esse, quòd iustum sit & Naturæ Dei conueniens miseris & opem suam implorantibus bonitatem exhibere. Vna quidem est Dei iustitia, sicut vna essentia, qua ipse iustus

est & iusta facit omnia, tamen propter diuersos respectus & propter mentis nostræ imbecillitatem in has classes Dei iustitia distribuitur.

Iustitia Dei probatur 1. Scripturæ dictis.

150. De hac Dei iustitia testantur sequentia Scripturæ dicta. 1. in quibus dicitur *iustus & æquus*. Exod. 9. 27. Deut. 32. v. 4. Nehem. 9 8. Iob. 36. v. 3. Psal. 7. v. 10. Psal. 11. v. 7. Psal. 51. v. 6. Psal. 116. v. 5. Ps. 119. v. 137. Psal. 129. v. 4. Ps. 145. v. 17. Esai. 45. v. 21. Thren. 1. v. 18. Dan. 9. v. 14. Rom. 3. v. 26. Apoc. 16. v. 5. &c. 2. In quibus celebratur diuina iustitia & iustum Dei iudicium. Gen. 18. v. 25. Psal. 7. v. 18. Ps. 11. v. 7. Ps. 119. v. 137. &c. 3. in quibus dicitur, quòd nihil in Deo iniusti, & quòd omnia eius opera sint iusta. Deut. 32. vers. 4. 2. Par. 19. v. 7. Ps. 92. v. 16. Ps. 145. v. 7. Dan. 9. v. 14. Zeph. 3. v. 5. 4. quæ testantur ipsum esse *sanctum*. Leu. 11. v. 44. 1. Sam. 2. v. 2. Iob. 6. v. 10. in Psalmis & in reliquis Scripturæ libris passim. 5. quæ testantur, quòd Deus nõ sit προσωποληπτης, nec acceptor munerum. Deut. 10. v. 17. 2. Paral. 19. v. 7. Iob. 34. v. 19. Actor. 10. v. 34. Rom. 2. v. 11. Gal. 2. v. 6. Eph. 6. v. 9. Col. 3. v. 25. 1. Pet. 1. v. 17. 6. in quibus dicitur *terribilis*. Exo. 15. v. 11. Deut. 7. v. 21. c. 10. v. 17. c. 28. v. 58. Nehem. 1. v. 5. Ps. 47. v. 3 &c. 7. in quibus dicitur *zelotes*. Exo. 20. v. 5. c. 34. v. 14. Num. 25. v. 11. Deu. 29. v. 20. 2. Reg. 19. v. 41. Ps. 79. v. 5. In Esaia & Ezechiele sæpius. Ioël. 2. v. 18. Zach. 1. v. 14. &c. 8. in quibus mentio fit *iræ diuinæ*, quæ non est in Deo affectus, sed iustitiæ punientis effectus. Exod. 32. v. 10. Deut 9. 19. &c. 9. in quibus mentio fit *furoris diuini*. Exod. 15. v. 8. c. 22. v. 24. c. 32. v. 11. Num. 11. v. 10. c. 25. v. 4. & alibi passim. 10. in quibus comparatur *igni consumenti, leoni irato, militi, &c.* Deut. 4. v. 24. Heb. 12. v. 29 Esa. 38. v. 13 c. 59. v. 17. &c. 11. de iustitia diuina testantur omnes comminationes, quarum in sacris literis sunt longè plurimæ. Deut. 28. veluti synopsis earum proponitur. 12. in quibus Deus dicitur *vindex*. Deut. 23. vers 35. c. 32. v. 43. 1. Sam. 22. v. 48. Roman. 12 v. 18. 1. Thess. 4. v. 6. Heb. 10. v. 29. &c. 13. in quibus mentio fit *faciei eius*, interdum enim facies Domini eius iram denotat. Leu. 20. v. 3. Ps 68. v. 3. Ps. 114. v. 7. Esa. 2. v. 10. 2. Thes. 1. v. 9. &c. 14. in quibus dicitur, quòd *reddat Deus vnicuique secundùm opera sua*. 1. Sam. 26. v. 23. Ruth. 2. v. 12. Iob. 34. v. 11. Psal. 62. v. 12. Prouerb. 24. v. 12. Ier. 17. v. 10. Rom. 2. v. 6. Apoc. 2. v. 23. c. 22. v. 12. &c. 15. in quibus dicitur, quòd *pecca ipsi sunt abominatio*, qua de re agitur in articulo de Prouidentia. 16. in quibus Deus *timendus* esse dicitur, timemus enim eum propter iustitiam. 17. denique omnia *exempla iræ ac pœnarum*, quibus Deus in securos & impœnitentes animaduertit, huc referri debent, siquidem omnia sunt diuinæ iustitiæ indicia: præsertim verò pœnæ damnatorum euidenter de infinita Dei iustitia testantur.

2. Ethnicorũ testimoniis.

151. Etsi verò de iustitia diuina sæpiùs nutabat malè fundata Ethnicorum opinio, tamen saniores ex ipsis Natura duce iustitiam Dei agnouerunt & prædicarunt. Stobæus sermon. 9. recitat Orphei hymnos:

Ὄμμα δίκης μέλπω παλιδέρκεϑ᾽ ἀγλαομόρφε
ἣ κατὰ ζηνὸς ἄσκητος ὄπι θρόνον ἵζει, &c.
Oculum iustitiæ canto retrouidentis, formosæ,
Quę etiam super Iouis principis sacro sedet solio,
Cœlitus respiciens vitam mortalium in varias gentes diuisorum,
Iniustorum vltrix: suppliciis grauans iustis,
Veritatis æqualitate reconcilians dissimilia,
Omnia enim quæ mala mente committunt homines
Temerè, nimium concupiscentes malis consiliis,
Tu sola puniens pœnam sumis ab iniustis,
Hostis improborum, beneuola autem versaris cum iustis, &c.

Hesiodus in 1. lib. ἔργ. καὶ ἡμερ. ad Persen fratrem ita canit de iustitia p. 18.

ἡ δέ τε παρθένος ἐστὶ δίκη Διὸς ἐκγεγαυῖα
Κεδνὴ τ᾽ αἰδοίη τε θεοῖς, οἳ Ὄλυμπον ἔχουσιν.
Καί ῥ᾽ ὁπότ᾽ ἄν τις μιν βλάπτῃ σκολιῶς ὀνοτάζων,
Αὐτίκα πὰρ δὶ πατρὶ καθέζομένη Κρονίωνι
Τηρύετ᾽ ἀνθρώπων ἄδικον νόον, ὄφρ᾽ ὀτίσῃ
Δῆμος ἀτασθαλίας βασιλῆων, &c.

Valla sic reddidit:

Illa quidem virgo est supero Ioue nata parente,
Nomine clara suo, cœtuque verenda Deorum,
Quam si quis violet, lacrymans sua fata parentis
It Iouis ante pedes & lamentabile fundens,
Humanos queritur mores & debita poscit
Supplicia in populos.

Aristot in lib. de mundo sub finem. *Deus principium & finem & media rerum omnium tenens, rectaque linea incedens, operatur ille quidem secundum Naturam, è vestigio comitem habens iustitiæ præsidem, quam Δίκην nominauerunt, diuinæ legis vindicem, simul vt quicquam sanctionum eius prætermissum est.* Plato in Theæt. Θεὸς δὲ ἁμῶς ἁδικος, *Deus nullo vspiam modo iniustus est: sed planè iustissimus, nec ei similius inueniri potest quicquam, quàm qui inter nos iustissimus fuerit.*

152. Iustitia in Deo est ipsa Dei essentia, ideoque à seipso & per seipsum iustus est. Et quia in Deo essentia, voluntas & iustitia vnum sunt, ideò quicquid Deus vult, iustum est, quicquid agit, iustum est: & vicissim, quia iustitia & bonitas in Deo vnum sunt, ideò quicquid agit secundum suam iustitiam, idem etiam bonum est. Liberrimum agens Deus est, ergo voluntas eius optima est omnis iustitiæ regula. Speculum huius iustitiæ suæ proposuit Deus in lege, quæ est æterna & immota regula iustitiæ in Deo: summa legis dilectio est; iam v. Deus est ipsa charitas: ἡ ἁμαρτία ἐστὶν ἀνομία, iam verò apud Deum nulla est iniquitas, ergo sibiipsi lex est; Summum bonum est; contra hanc suam Naturam non agit.

In Dei iudicio conueniunt iustitia & misericordia.

153. Ceterùm apprimè notanda sunt, quæ scribit Sauanarola super Psal. 31. *Non putemus iustitiam Dei ita respicere impios, vt à misericordia penitùs separetur: nec misericordiam ita ad iustos spectare, vt à iustitia seiungatur;* vniuersæ enim viæ Domini, Misericordia & Veritas. *Nam & peccatoribus misericordiam facit, dum eis propter bona, quæ temporaliter agunt, temporalia dona retribuit, & post hanc vitam eos non quantum merentur, punit: electos quoque sua iustitia prosequitur, dum pro culpis eos temporaliter affligit, ne pœnis deputentur æternis.* Nimirum hoc vult Sauanar. quod in omnibus Dei operibus misericordia & iustitia concurrant. Qua de re ita disputat Thomas p. 1. q. 21. art. 4. *Necesse est in quolibet Dei opere inuenire misericordiam & iustitiam. Cùm enim debitum, quod ex diuina iustitia redditur, sit vel debitum Deo vel creaturæ, neutrum potest in aliquo opere prætermitti. Non potest aliquid facere Deus, quod non sit conueniens sapientiæ & bonitati eius secundum quem modum aliquid Deo debitum: Similiter quicquid facit in rebus creatis secundum conuenientem ordinem facit, in quo consistit ratio iustitiæ: Sic ergo in omni opere iustitia. Iustitiæ autem opus præsupponit opus diuinæ misericordiæ, & in hoc fundatur: creaturæ nihil debetur propter aliquid præexistens; sed ex sola bonitate diuinæ voluntatis, quæ est vltimus finis.*

154. Sic dum impios Deus punit ab eorum iniuria pij liberantur: quin etiam neminem vnquam Deus tàm seueriter punit, atque ille est promeritus; *vindictæ gladium misericordiæ oleo semper exacuit*, vt est apud

apud Niceph. lib. 17. c. 3. & Euagr. lib. 4. *semper inuenies Deum benigniorem quàm te culpabiliorem.* Bernh. ser. 11. super Cantic. col. 518. ὁ ἀν μιμήσεται μᾶς κὰθ' ἃ πράσσομεν, οὐκ ἔτι ἔσται, ait Ignat. Epist. 3. ad Magnesianos. Concludimus proinde cum Augustin. super Psal. 100. *Homines quando iudicant, aliquando victi misericordia faciunt contra iustitiam, & videtur in eis esse misericordia & non esse iudicium: aliquando verò rigidum volentes tenere iudicium, perdunt misericordiam. Deus autem nec in bonitate misericordiæ perdit iudicij seueritatem; nec in iudicando cum seueritate amittit misericordiæ bonitatem.*

Quæ pertineant ad Dei iustitiã.

155. *Ad iustitiam Dei pertinent ipsius* Ira, Furor, Odium, &c. quæ non sunt tales turbulenti affectus in Deo, sicut in nobis hominibus; sed sunt *iustum eius iudicium, quo irrogantur pœnæ peccatis.* Augustin. 15. de ciu. Dei cap. 25. *Ira Dei non est aliud quàm voluntas puniendi.* Ansh. 1. Cur Deus homo c. 6. *Furor & ira in Deo omnipotente non passionem aut mentis commotionem, sed æquitatis rigorem & vltionis acerbitatem notant.* Dionys. Carth. sup. 19. Apoc. f. 305. Scripsit hac de re integrum librum Lactant. Firmian. Notat Zanch lib. 4. de Nat. Dei c. 6. Iram Dei in Scripturis significare, 1. Certam eamque iustissimam Dei voluntatem ac decretum vlciscendi iniurias sibi & Ecclesiæ suæ factas. 2. ipsas pœnarum comminationes. 3. effecta ipsa seu pœnas & vltiones iniuriarum. Sed quæ cap. 7. de odio Dei subiungit, probari non possunt: dicit enim odium Dei 1. significare *negationem beneuolentiæ illius, quæ est ad vitam æternam.* At nullibi in Scriptura eo sensu vsurpatur. Quod enim attinet Dictum Ro. 9. v. 13. Esau odio habui, in eo non agi de reprobatione ex absoluto quodam odio profecta, suo exponetur loco. 2. significat odium Dei *decretum puniendi, ipsamque adeò punitionem iustam.* 3. *displicentiam & detestationem.* Posteriores duæ significationes exempla habent in Scripturis; addimus autem quemadmodum Deus nullum hominem punit, qui non suis peccatis id fuerit promeritus; ita etiam neminem absoluto quodam odio prosequitur Aug. to. 4. ad simpl. lib. 1. quæst. 2.

Ira Dei.

Obiectiones contra Dei iustitiam. 1.

156. Contra hanc Dei iustitiam illud potissimum videtur pugnare, quòd *bonis in hac vita malè, & malis contra sit bene* Iob. 21. vers. 7. 8. 9. Psalm. 72. vers. 3. 4. 5. Ierem. 12. vers. 1. 2. Habac. 1. vers. 13. R. Huius argumenti explicatio pertinet ad locum de prouidentia diuina; *breuiter notamus hæc capita. Ad prius dicimus,* 1. non omnibus bonis malè est, quibusdam etiam temporalis felicitatis pars non minima obtingit. 2. bonis non perpetuò malè est; Deus enim ex cruce tandem eos liberat, vel certè eam mitigat. 3. bonis interdum malè esse, bono ipsis est; id quod ostendunt vtilitates crucis, quas Scriptura passim enumerat. 4. bonis licet malè sit ratione bonorum externorum, tamen benè ipsis est ratione verorum & interiorum bonorum; retinent enim bonam conscientiam, *& pax Christi, quæ exuperat omnem intellectum*, quietum reddit cor ipsorum. 5. bonis malè est, ne externa bona à vero & summo bono eius abstrahant. 6. nec omnes boni sunt, qui se bonos esse simulant. 7. quinimò nec qui verè & non simulatè boni, perfectè etiam boni sunt, habitat in carne ipsorum peccatum: propter quod Deus in hac vita eos castigat, vt in futuro parcat. 8. tandem igitur bonis benè, imò optimè erit. Potissima enim pietatis præmia differuntur in vitam æternam. *Ad posterius dicimus,* 1. non omnibus malis bene esse; quidam enim vindicis Dei iram etiam in hac vita sentiunt. 2. nec malis perpetuò bene est; *Tolluntur in altum, vt lapsu grauiore ruant.* Bonitas Dei inuitat eos ad pœnitentiam, Rom. 2. vers. 4. quam si negligunt, tandem illis erit non bene. 3. malis bene interdum esse malo ipsis est: quia thesaurizant sibi iram Ro. 2. vers. 4. Pulcrè Philo de Decalogo in 2. Præcepto p. 482. *Tametsi diuina iustitia non statim repræsentat sontibus debitas pœnas, reddit tamen aliquando cum fœnore, quando maximè è Repub. id esse videtur.* Val. Max. lib. 1. memorab. c. 2. de Dionysio Syracusano: *tametsi hic debita supplicia non exoluit, dedecore tamen filij mortuus pœnas rependit, quas viuus effugerat: lento enim gradu ad vindictam sui diuina procedit ira, tarditatemque supplicij grauitate compensat.* ὁ δὲ Θεὸν ἐλέησι μὲν ἀλεᾶται, ἐλέησι δὲ λεπτὰ,

Sera Deum mola, sed tenues molit vndique partes.

Ad pœnam tardus Deus est, ad præmia velox.

Sed pensare solet vi grauiore moram.

4. malis licet exterius bene esse videatur, tamen stimulis conscientiæ torquentur interius, *quæ styx, quæ phlegeton grauior, quæ mater Erynnis? Multos fortuna liberat pœna, neminem metu.* Sen. 16. Epist. 5. Per bona illa exteriora à summo bono mali abstrahuntur; non ergo ipsis vere bene est. 6. nec omnes mali sunt, qui tales esse videntur. 7. nemo etiam tàm malus est, qui non aliquando quippiam boni faciat; illud ergo temporali felicitate diuina iustitia remuneratur. 8. tandem malis male, imò pessime erit, potissime enim malefactorum pœnæ differuntur in extremum iudicium.

157. Videtur etiam non mediocriter labefactare diuinam iustitiam, quòd Exod. 20. v. 5. dicit Deus, *se visitare iniquitates patrum in filios, in tertiam & quartam generationem*, quod repetitur Exod. 3. vers. 7. Requirit autem iustitia, *vt quisque pro suo delicto moriatur*, vnde Ezech. 18. vers. 20. dicitur, *Filius non portabit iniquitatem patris, &c.* Resp. Vt hæc omnia sano sensu concilientur, distinguendum *primò* est inter filios, qui non sequuntur iniquitatem parentum, sed ab ea desistunt, & ad Dominum conuertuntur, ac inter eos, qui parentum sceleratorum vestigiis insistunt, eorumque impietatem cumulant. De filiis prioris generis loquitur Deus Ezech. 18. v. 20. *quod non portabunt iniquitatem patris*, id est, non luent pœnas iniquitatum paternarum; nimirum, quia ad Dominum conuersi iuste agunt, & iudicia Dei obseruant. Sicut exponitur v. 19. Vtebantur Israëlitæ passim tùm temporis hoc diuerbio: *Patres comederunt vuam acerbam, & dentes filiorum obstupuerunt* Ezech. 18. vers. 2. Ierem. 31. v. 30. id est, maiores nostri peccatis suis Deum offenderunt, nos verò scelerum ipsorum pœnas luere cogimur: illis respondet Dominus per Prophetam, *Non erit vltra vobis parabola hæc in Prouerbium, sed anima, quæ peccauerit, ipsa morietur.* vers. 20. *Filius qui iudicium & iustitiam operatus est, & omnia præcepta mea custodiuit, vita viuet.* vers. 17. *imò si impius pœnitentiam egerit à peccatis suis, quæ operatus est & custodierit omnia præcepta mea, vita viuet & non morietur.* vers. 12. De filiis posterioris generis loquitur Deus Exod. 20. vers. 34. qui propter impœnitentiam suam merito etiam luunt pœnas paternorum delictorum, ideò additur Exod. 9. vers. 5. *Visitare DEVM iniquitatem Patrum in filios, eos, scilicet, qui oderunt ipsum.* Hanc distinctionem ex Rabinis profert etiam *Aben Ezra*, & loca illa hoc modo conciliat. *Deinde* distinguendum inter peccatum originale & actualia: Peccatum originale propagatur à parentibus in liberos per naturalem regenerationem; ideò non amplius est alienum, sed proprium, & in

Natura filiorum intimè hęrens peccatum, cuius pœnam meritò patiuntur: actualia autem parentum delicta non eo modo propagantur in liberos. *Denique* distinguendum inter pœnas temporales & æternas. Ab aliis liberis, qui, licet ex iniquis parentibus nati sint, ad Dominum tamen verè & serio conuertuntur, pœna æterna propter Christum transfertur: interim Deus suo cõsilio propter patrum delicta temporalibus calamitatibus eos quandoque castigat, vti iram suam contra peccata manifestet. Potest declarationis gratia hûc accõmodari, quod *l. 5. C. de cri. læs. maiest.* statuitur, *ob crimẽ læsæ maiestatis etia liberos puniri debere*: illud Scip. Gentil. tract. de iurid. li. 3. c. 4. Alciat. 1. præsumt. 24. & plerique ICti iustè fieri statuunt. 1. quia *hoc est antiquum & omnium ciuitatum commune*, ait Cic. Epist. ad Brut. *vt charitas liberorum amiciores Reip. parentes redderet* Wesenb. in parat. ad hunc locum. 2. quia Augustus hanc legem tulit, noui sui imperij muniendi causa. 3. cùm hoc iudicium sit munimentum publicæ securitatis ac tranquillitatis & ad id facinus vindicandum pertineat, quod multo exitialius est Reip. quàm reliqua, ideò non est mirum, si pleraque hîc aliena à iure communi reperiãtur. Duar. ad l. Iul. c. 4. 4. autores dictæ constitutionis hac ratione vtuntur, quòd paterni sceleris exemplum in iis metuendum sit. Est enim portio parentum liberis ingenita, per quam viuunt, aluntur & sentiunt; *nec iniquum est, cum sint illorum, etiam habere quæ sunt illorum*, ait Plutarch. in lib. de sera Num. vindicta. 5. hac ratione ipsi parentes puniuntur. Videndum tamen, quomodo hæc sanctio conciliari possit cum dictis & exemplis Scripturę. Deu. 24. v. 6. 2. Par. 25. v. 4. 2. Reg. 14. v. 6. num distinctione inter bona & vitam res expediri potest? viderint illi, ad quos hæc tractare pertinet.

CAPVT XIX.

De sapientia & scientia Dei.

Deo quomodo tribuatur sapiẽtia.

158. Transimus ad quartum secundæ classis attributum, quod est *sapientia & scientia Dei*. Quando scientia & sapientia Deo attribuitur, intelligitur 1. quòd sit sapientissimus, imò ipsa sapientia. 2. quòd omnia sapienter creet, ordinet & agat. 3. quòd seipsum intelligat perfectissimè. 4. omnia in cœlo, terra, mari, &c. coram intueatur, quòd nihil ipsum lateat, ne quidem occultissimi voluntatum & cogitationum humanarum motus. 5. quòd omnia præterita, omniaque futura non minus quàm omnia præsentia exactissimè norit & præsentissimè intueatur.

Dei omniscientia & sapientia probatur 1. Scripturæ dictis.

159. Hanc omniscientiam & sapientiam Dei probant hæc Scripturę dicta. 1. in quibus Deus dicitur *sapiens*. Iob. 9. v. 4. Es. 31. v. 2. Ro. 16. v. 27. 1. Tim. 1. v. 17. vbi dicitur *solus sapiens*, &c. 2. quæ mentionem faciunt diuinæ sapientiæ. Iob. 11. v. 5. c. 12. 13. Esa. 40. v. 28. Intellectus eius incomprehensibilis Dan. 2. v. 20. 1. Cor. 1. v. 21. & 25. &c. 3. quæ testantur Deum omnia scire, ac nihil ipsum latere. Iob. 11. v. 7. c. 42. v. 2. *nulla cogitatio apud Deum abscondita*. Ps. 94. vers. 11. Ps. 139. v. 1. & seqqu. Heb. 4. vers. 13. *nulla res quæ non sit manifesta in conspectu eius, imò omnia nuda & aperta sunt oculis eius*. In Græco est τετραχηλισμένα, q. d. deceruicata. Erasm. in annot. Græci putant, quòd sit metaphora sumta ab ouibus, quibus pellis à ceruice detrahitur, cùm excoriãtur, siue ab iis, qui ceruicem inflectunt, cùm se submittunt & agnoscunt se inferiores. 4. In quibus mentio fit *consilij diuini*: demittit enim sese Scriptura ad nostrum captum, & quia prudentes homines omnia cõsilio agere dicuntur, ideò ad describendam Dei sapientiam nomine consilij vtitur, cùm alias rectè scriptum à Scal. exerc. 365. sect. 8. *Consilio non eget Deus tanquam medio aut instrumento, aut idea ad gubernandũ. Ac tàm est impia vox in diuinis consilium, quàm pluralitas Deitatis: non disceptat, non ratiocinatur, nõ proponit, non colligit, nõ cum alio confert, non ab vllo accipit*. Iob. 15. v. 8. Psal. 35. v. 11. Esai. 40. v. 14. c. 46. v. 10. Ier. 32. v. 19. *magnus consilio*, Ro. 11. v. 34. &c. 5. In quibus dicitur *corda & renes probare; latent renes in occulto*, significatur igitur Deum abscondita cogitationum nostrarum & occultos cordium recessus scire. 1. Reg. 8. vers. 39. *Tu solus nosti corda omnium filiorum hominum*. Psal. 7. v. 10. Psal. 26. v. 2. Iere. 11. v. 20. c. 12. v. 3. cap. 17. v. 11. cap. 20. v. 12. &c. 6. In quibus dicitur, quòd modus diuinæ gubernationis sit imperscrutabilis. Psal. 147. v. 5. *Sapientiæ eius non est numerus*. Esa. 28. vers. 29. Roman. 11. v. 13. 34. 35. &c. 7. In quibus mentio fit *oculorum Dei*, sæpè enim per oculos Dei ipsius omniscientia describitur. 2. Paral. 16. v. 9. Psal. 11. v. 4. Psal. 139. v. 15. Eccl. 23. vers. 28. &c. 8. In quibus nullius consilio indigere dicitur. Esa. 40. v. 13. *Quis direxit Spiritum Iehouæ & quis vir consilij eius?* v. 14. *à quo petit consilium, & instruxit eum, docuitque eum semitam iudicij, atque erudiuit eum scientia, & viam intelligentiarum ostendit ei*: Rom. 11. v. 35. *Quis consiliarius eius fuit?* 9. De sapientia Dei testantur ipsius opera, videlicet Creatio, sustentatio & gubernatio rerum omnium. Psal. 104. v. 24. *Quàm multiplicata sunt opera tua Domine? omnia in sapientia fecisti*. Ps. 136. v. 5. *Fecit cœlos in intelligentia*. Ps. 139. v. 13. & seqq. *Quàm preciosæ sunt cogitationes tuæ ô Deus*: Prou. 3. v. 19. Ier. 10. v. 12. c. 51. v. 15. *Fundauit terram in sapientia, &c.* Item opus redẽtionis & salutis nostræ *per Christum parandæ*. 1. Cor. 1. v. 21. *Mundus non cognouit Deum in sapientia*, id est, mirabile illud Dei consilium de salute nostra 1. Cor. 2. v. 7. Eph. 1. v. 8. & seq. &c.

2. Ratio

160. Hanc Dei sapientiam etiam ratio nostra ex Naturæ libro quodammodo cognoscere potest. 1. De sapientia Dei testatur mirabilis & optimus ordo creaturarum, qui conspicitur in figura mundi, in dispositione partium, in gradibus Entitatum, in conspiratione rerum in mundo alioquin inter se aduersantium, & in collineatione rerum ad vnum. Vide D. Schrod de princ. Theol. c. 2. pag. 204. & seqq. Pertinet hûc egregius locus Galen. 3. de vsu part. cap. 10. tom. 1. p. 265. *Compono hîc verum hymnum conditori nostri, existimoque in eo esse veram pietatem, non taurorum hecatombas et plurimas sacrificari, & casias, aliaque sexcenta odoramenta ac vnguenta suffumigari, sed si nouerim ipse primus, deinde & alios exposuerim, quænam sit ipsius sapientia, quæ virtus, quæ bonitas. Quod enim cultu conueniente exornare omnia, nihilque suis beneficiis priuatum esse voluerit, id perfectissimæ bonitatis specimen esse puto, & hac quidem ratione eius bonitas hymnis nobis est celebranda: hoc autem omne inuenisse, quo pacto omnia potissimùm adornarentur, summæ sapientiæ est, effecisse autem omninò quæ voluit, virtutis est inuictæ ac insuperabilis*, &c. 2. Quę in creaturis sunt perfectiones, lõgè perfectiori modo sunt in Deo: iam verò scientia & cognitio in creaturis rationalib. sũt perfectiones. Ergo perfectiore mõdo sunt in Deo. 3. Deus fecit Angelos & homines intelligentes. Ergo multò magis ipsi competit scientia & sapientia, nihil enim in effectu est, quod non fuerit in causa vel formaliter vel virtualiter & eminenter. 4. Omnia, quę carẽt cognitione & ratione ad certos nihilominus dirigũtur fines: Ab aliquo igitur, qui hos fines intelligit & prescripserit, moueãtur necesse est.

5. Esse

5. Esse in Deo & intelligere idem est omninò. Quò igitur diuinum esse protenditur, eò etiam expanditur diuinum intelligere: sed diuinum esse ad res deducitur minimas, cùm vel minima Entia à primo Ente esse recipiant. Ergo res omnes vel etiam minimas diuina eius comprehendit intelligentia. Mut. Pansa de conc. Phil. & Theol. c. 70.

3. Ethnicorũ testimoniis.

161. Hinc apud Pythagoram & Platonem *Deus dicitur Sophos*; *solus sapiens*. Anaxagoras, referente Simplicio 1. Phys. comm. 30. Deum appellat *Mentem infinitam, quæ per se imperium obtinet & cum nulla mixta est, sed ipsa sola est in seipsa*. Laërtius in vita Thaletis refert, *ipsum auream phialam à Bathicle Arcade relictam, vt daretur, cui prima esset sapientia, sibi traditam recusasse, ac Deo in Delphis dicasse*, quo ipso Deum primam esse Sapientiam iudicauit. Aristoteles in proœ. Metaph. & Simonide, *solum Deum esse sapientem* dicit. Orpheus in hymn. *Dei perfectum esse oculum* dicit, *cùm per vniuersum inspiciat omnia*, id imitatus Hesiodus li. ἔργ. καὶ ἡμερ.

Πάντα ἰδὼν Διὸς ὀφθαλμὸς καὶ πάντα νοήσας.

Platonici Deum vocant ἐφόπτην, quòd sit *omnium inspector*.

162. De scientia illa Dei pluribus agetur in doctrina de Prouidentia; hac vice obseruãdum, Deum esse suam sapientiam; & Dei intelligere, esse ipsam eius essentiam. Non enim Deus per species intelligibiles, sed per suam essentiam omnia intelligit. Aug. lib. 83. quæstionum q. 16. *Nunquam Deus sine sapientia sua: igitur sempiternæ suæ sapientiæ causa est sempiterna, nec tempore prior est quàm sua sapientia*. Thom. p. 1. q. 14. art. 5. *Deus seipsum videt in seipso, quia seipsum videt per essentiam suam: alia à se videt non in ipsis, sed in seipso, in quantum essentia sua continet similitudinem aliorum ab ipso*. Biel. 1. sent. dist. 35. q. 2. *Aliquis effectus est sufficiens repræsentatiuum suæ causæ, vt species coloris. Ergo multo magis causa sufficiens & totalis est repræsentatiua sui effectus, quem continet virtualiter, & maximè ei, qui perfectè cognoscit causam*. Breuiter, quicquid est in Deo, est ipsa Dei essentia: scientia igitur Dei est ipsa diuina essentia, & Deus est sua scientia atque sapientia.

CAPVT XX.

De libertate agendi in Deo.

Deus libere agit.

163. Sequitur quintum secundæ classis attributum, videlicet quòd Deus sit agens liberrimum. Liberè agere proprium est eorum, quæ ἑκουσίως & voluntariè agunt. Eo ipso ergo, quo DEVM esse agens liberrimum dicimus, voluntatem ipsimet attribuimus. Non autem vult Deus facultate seu vi quadam ab ipsius essentia realiter distincta, sed seipso & per suam essentiam. Quia etiam Deus est summum θελητικὸν, ideò etiam in nullo tam verum & sanum est liberum arbitrium, quàm in Deo. *Voluntas* significat 1. τὸ θελητικὸν ipsam facultatem seu vim animæ, qua volumus. 2. πῶς θέλομεν actum volendi, quem Barbari vocant volitionem; *Philosophi* νοερὰν ὄρεξιν. 3. τὸ θελητὸν obiectum siue rem, quam volumus: *Scal.* exerc. 306. sect. 3. & teqq. Facultas volendi in Deo nihil aliud est, quàm Dei essentia, vt enim est seipso, ita etiam vult seipso: actus volendi in DEO itidem nihil aliud quàm ipsius essentia; non enim Deus variis & successiuis actibus vult, sed vna æterna eaque simplicissima actione, quæ realiter vnum est cum ipsius essentia. Primum voluntatis diuinæ obiectum est itidem Deus ipse, vult enim Deus primò seipsum, suam bonitatem & gloriam, quæ est ipsa Dei essentia: ea quę extra se vult, reducuntur certo ordine in Deum, vult Deus electorum salutem propter suam gloriam.

Libertas illa probatur 1. *Scripturæ dictis.*

164. Deum esse agens liberrimum, probant omnia Scripturæ dicta, quæ voluntatis diuinæ mentionem faciunt, proprium enim voluntariè agentium est, liberè agere. Peculiariter hûc referenda sunt dicta sequentia. Psalm. 115. v. 3. *Dominus noster in cœlo est, quæcunque voluit, fecit*. Psal. 135. v. 7. *Quæcunque voluit fecit, in cœlo, terra, mari & omnibus abyssis*. Roman. 9. v. 18. *Miseretur, cuius vult misereri, & indurat, quem vult*. v. 19. *Voluntati eius quis resistet?* 1. Cor. 12. v. 11. *Distribuit bona sua prout vult*. Phil. 2. v. 13. *Deus est qui operatur in vobis velle & perficere, pro bona sua voluntate*.

2. Rationib.

165. Liberam illam agendi facultatem Deo competere, & quidem in gradu summo, his demonstrari potest argumentis. 1. In creaturis liberè agentibus animaduertimus hasce voluntatis proprietates, primò quod sit facultas animæ ratione præditæ. Th. p. 1. q. 19. art. 1. *In quolibet habente intellectum est voluntas. Vt enim res naturalis habet hanc habitudinem ad formam, vt quando non habet ipsam, tendat ad eam, & quando habet ipsam, quiescat in ea: ita Natura intellectualis ad bonum apprehensum similem habitudinem per voluntatem habet*. Scal. exerc. 307. sect. 3. *Voluntas est intellectus extensus ad habendum aut faciendum quod cognoscit*: deinde quòd sit facultas libera, quæ cogi nequeat, sed quæ omnia vltrò & sponte velit, Thom. p. 1. qu. 82. art. 1. *necessitas coactionis repugnat voluntati*: denique quòd sit facultas in eo acquiescens, quod vt bonum agnitum probatur & placet. At hæ proprietates modo perfectissimo inueniuntur in Deo, quippe in quo perfectissima rerum omnium cognitio, libertas perfectissima, & maxima ac perfectissima in bonum propensio & complacentia. 2. Quæ in creaturis sunt perfectiones, Deo non sunt denegandæ, sed potius modo perfectiori attribuendæ: iam verò Angeli & homines facultate volendi sunt instructi quæ in ipsis est perfectio quædam. E. Deo hæc non est deneganda. 3. in omnibus Entibus animaduertitur appetitus quidam quo se suamque perfectionem appetunt, & ad finem tendunt. In creaturis irrationabilibus est instinctus naturalis: in animantibus ratione carentibus appetitus sensibilis: in rationalibus est appetitus rationalis seu libera voluntas. Deo igitur summo Enti libera illa voluntas non deneganda. 4. Præstantius est libere agere quàm ex necessitate, omnis enim necessitas à præstantioris dominio, iam verò Deus est αὐτοκράτωρ, Ens præstantissimum, non ergo agit ex necessitate sed liberrimè. Si à necessitate cogeretur Deus, Necessitas esset Deus. 5. Dei virtus est infinita, non ergo limitatur à necessitate. Agens necessario ad extremum suæ potentiæ agit, in infinitate verò quodnam extremum?

3. Ethnicor il testimoniis.

166. Hinc Trismegistus in 4. Dial. Pim. dicit, *Deum voluntate sua cuncta constituere*. Poeta: Quicquid superi voluere, peractum est. Orpheus Deum vocat *Necessitatem*, ratione scilicet inferiorum, quod omnia ipsi parere cogantur, non autem quod ipse necessitatis vinculis irretitus teneatur. Aug. lib. 5. de ciu. Dei c. 8. ex Senecæ libro Epistolarum 18. aduertit versus Cleanthis Stoici:

Duc me summe Pater alti dominator Olympi,
Quocunque placuerit, nulla parendi mora est, &c.

Ducunt volentem Fata, nolentem trahunt, & ex illis probat, *priscos Fati nomine appellare præcipuè Dei summi voluntatem, cuius potestas insuperabiliter per cuncta porrigitur, à quo sunt omnes potestates, quamuis ab illo non omnes voluntates*.

Voluntatis Dei distinctio.

167. Vna quidem Dei voluntas propter summam essentiæ diuinæ simplicitatem, interim tamen respectu τῶν θελητῶν & modi volendi variis modis distinguitur, ita vt alia dicatur *voluntas signi*, alia *beneplaciti*. Lomb. 1. sent. dist. 46. *voluntas antecedens & consequens*. Chrys. ser. 1. sup. Epist. ad Eph. Damasc. 2. de orth. fide c. 29. *voluntas prima & secũda*. Bonau. in comp. Theol. verit. l. 1. c. 30. *voluntas arcana & reuelata*: quam distinctionem ad consilium Dei de salute nostra perperam accommodant, qui Caluinum sequuntur. De his & similibus distinctionibus agitur in loco de Prædestinatione. An velit Deus mala, explicatur in loco de Prouidentia.

Obiectio cõtra libertatem volendi in Deo.

168. *At cùm Deus non possit nisi bonum velle & agere, quomodo erit agens liberrimum?* Resp. rectè Aug. 22. de ciu. Dei c. vlt. *Certè Deus ipse nunquid quia peccare non potest, ideò liberum arbitrium habere negandus est? Electi in futura vita num ideò liberum arbitrium non habebũt, quia peccata eos delectare non poterunt? magis erit liberum à delectatione peccati vsque ad delectationem nõ peccandi inde clinabilem libertatem.* (Viues rectiùs legit liberatum) *Nam primum liberum arbitrium quod homini datum est, quando primum creatus est rectus, potuit non peccare, hoc autem potius mirabilius eò potẽtius erit, quo peccare non poterit. Verum hoc quoque Dei munere non suæ possibilitate Naturæ, &c.* Sic ergo statuendum. Libero propriè opponitur coactio, non autem immutabilitas: etsi proinde Deus immutabiliter vult bonum, tamen liberrimè illud vult, non coactè. Malum velle posse propriè non est libertatis: longè liberius erit hominis arbitrium, cum aliquãdo in bono confirmatus non poterit velle malum. Optimè Bernh. tr. de grat. & liber. arbitr. col. 1063. *Nemo putet ideo dictum liberum arbitriũ, quod aqua inter bonum & malum potestate aut facultate versetur, cũ cadere per se quidem potuerit, non autem resurgere nisi per Domini spiritum: alioquin nec Deus, nec Angeli sancti, cùm ita sint boni, vt non possint esse mali: nec prævaricatores item Angeli, cùm ita sint mali, vt iam non valeant esse boni, liberi arbitrij esse dicuntur: sed & nos illud post resurrectionem amissuri sumus, quando vtique inseparabiliter alij bonis, alij malis admixti fuerimus, &c.* col. 1064. *ex eo igitur potius liberum arbitrium dicitur, quod siue in bono siue in malo æquè liberam facit voluntatem, cùm nec bonus quispiam, nec item malus dici debeat, aut esse valeat, nisi volens. Tali iam ratione non incongruè dicetur ad bonum se & ad malum habere æqualiter, quod vtrobique videlicet par sit ei, non quidem in electione facilitas, sed in voluntate libertas.*

169. Videtur etiam cum libertate voluntatis diuinæ pugnare, quòd Exod. 32. v. 10. ad Mosen dicit Dominus: *Dimitte me, vt irascatur furor meus, & consumat populum istum.* Sic ad Lothum dicit Gen. 19. v. 22. *Festina & saluare in vrbe Zoar, quia non potero facere quicquam, donec ingrediaris illuc.* Quomodo ergo Deus agens liberrimum? Respon. Deus est & manet agens liberrimum: interim tamen contra suam veritatem & promissionem nihil agit, nec quicquam vult contra eam agere: promisit se pœnitentes in gratiam recepturum, preces ex pœnitenti corde & fide profectas sese exauditurum, inde contra preces piorum non potest, id est, non vult aliquid agere. Tertull. in Apologet. cap. 9. p. 729. *Coimus in cœtum & aggregationem, vt Deum quasi manu facta precationibus ambiamus orantes: hæc vis DEO grata est. Idem. Inuincibilem ligant & omnipotentem vincunt piorum preces.* D. Luther. *Oratio credentis est res omnipotentissima.* Sic Ierem. 31. vers. 20. *Conturbata sunt viscera mea super Israël, miserando miserebor eius*, vel vt Lutherus reddidit, oportet me ipsius misereri: quare hoc? *ex quo locutus sum de eo, adhuc recordabor eius*, id est, requirit hoc veritas mea & promissio ipsi facta.

CAPVT XXI.

De veritate Dei.

Veritas modo Dei tribuitur.

170. Sequitur tandem vltimum secundæ classis attributum, videlicet Dei veritas. Quando Deo tribuimus veritatem ac veracitatem, significamus 1. quòd sit ipsa veritas in seipso, verissimè, id est, quòd se nouit ac videt esse: per se est & sua essentia. Ergo est ipsa veritas. 2. quòd sit prima veritas, ideoque mensura omnium rerum verarum, ideò enim & inde res creatæ veræ sunt, quia ad veram illam in mente diuina ideã conformatæ sunt. 3. quòd omnia ipsius opera vera, & nihil in eis fucati: cœlum, terra, mare, &c. in creatione producta sunt verum cœlum, vera terra, verum mare: redemtio per Christum facta est vera redemtio: vinum ex aqua miraculosè factum est verum vinum. 4. quòd verbum eius sit verbum veritatis, sicut è contrario Diabolus est mendax & pater mendacij. 5. quòd constans & fidelis sit in suis promissionibus & comminationibus, nec eas leuiter vel temerè mutet.

Veritas probatur I. Scripturæ dictis.

171. Testantur ergo de diuina veritate sequentia dicta. 1. In quibus dicitur *veritas & veræ*: Deuter. 32. vers. 4. *DEVS veritas est, & non iniquitas in eo, iustus & rectus est.* Iohan. 3. vers. 33. cap 14. vers. 6. Rom. 3. v. 4. Apocal. 6. vers. 10. &c. 2. In quibus mentio fit veritatis diuinæ Psal. 25. v. 5. *dirige me in veritate tua* Psal. 26. v. 3. Psal. 40. v. 11. Psal. 57. v. 11. Psal. 108. v. 5. Ioh. 17. vers. 17. &c. 3. In quibus negatur *Deum mentiri*. Num. 23. v. 19. *Non est Deus quasi homo, vt mentiatur, nec quasi filius hominis, vt mutetur: dixit ergo & non faciet? locutus est & non implebit?* 1. Sam. 15. v. 29. *Triumphator in Israël, non fallet, & non pœnitebit eum, neque enim homo est*; Mal. 3. v. 6. *Ego Dominus, non mentior.* Hebr. 6. vers. 18. *Impossibile est Deum mentiri, &c.* 4. Quæ ostendunt ipsum nullius pœnitere. Num. 23. v. 19. 1. Sam. 15. v. 29. Iob. 33. v. 14. Ps. 33. v. 11. Rom. 11. v. 29. &c. 5. Quæ testantur, Deum fideliter stare suis promissis 2. Sam. 7. v. 28. *Verba tua erunt veritas.* Psal. 33. v. 4. Ps. 89. v. 3. Ps. 146. v. 6. &c. 6. Quæ ipsum appellant *fidelem*, Exod. 34. v. 6. Psal. 30. v. 10. Ps. 31. v. 5. Ps. 40. v. 11. Ps. 54. v. 7. 1. Cor. 10. v. 13. &c. 7. Quæ mentionem faciunt *iuramenti diuini*, iurat enim Deus propter nos, quò minus de ipsius veritate dubitemus. Hebr. 6. v. 18. pertinet hûc formula illa *Viuo ego, &c.* 8. Quæ verbo Dei laudem veritatis tribuunt. Nehem. 9. v. 13. Ps. 19. v. 12. Ps. 43. v. 3. Ps. 119. v. 30. Ioh. 17. vers. 17. Apoc. 19. v. 2. cap. 21. v. 5. cap. 22. v. 6. &c. 9. Comprobant denique veritatem Dei omnia dicta, quæ iubent ipsi *confidere*, fulcrum enim istius fiduciæ est Dei veritas. Item complementa promissionum & comminationum. Aug. 22. de ciu. Dei cap. 1. *Promisit hoc Deus* (æternam felicitatem) *nec mentiri potest, & quibus fidem hinc quoque faceret, multa sua & non promissa & promissa iam fecit.*

2. Ratiõib.

172. *Hanc Dei veritatem comprobant etiam argumenta.* 1. Ens & verum conuertuntur. Deus autem est summum Ens, Ergo etiam summa veritas. 2. Esse Dei non solum conforme intellectui diuino, sed est & ipsum suum intelligere, propter summam essentiæ simplicitatẽ. 3. Primum in vnoquoq; genere & mensura reliquorum omnium, quæ sunt sub illo genere, Deus ergo est prima veritas, quia eatenus aliquid in intellectu nostro est verum, quatenus conforme rei,

de

de qua aliquid affirmamus, vel negamus: eatenus autem res sunt veræ, quatenus veritati, quæ est in mente diuina, sunt conformes. 4. Veritas est perfectio humani intellectus. Ergo bonum quid, Ergo Deo non deneganda, sed modo perfectissimo ipsi tribuenda; atque hæc agunt de veritate in sensu Metaphysico: *porrò* veritatem in sensu Ethico etiam Deo competere liquidum est, quia omnis virtus est quædam perfectio: omnes verò perfectiones in DEO sunt & quidem modo perfectiori: Deus est summum bonum, mendacium verò malum est & omnibus inuisum, Ergo id procul à Deo remouendum.

3. Ethnicorũ testimonijs.

173. Hinc Trismeg. part. 2. Pim. serm. 3. quod etiam refert Stobæus serm. 10. in terris veritatem non dari testatur ob rerum humanarum instabilitatem: *Veritas*, ait, *nequaquam est in terra vel esse potest, quippe veritas absolutissima virtus est, ipsumque summum bonum, quod nec à materia turbatur, neque corpore circumdatur, nudum. conspicuum, augustũ, mutationis & alterationis expers bonum: contra verò, quæ hic sunt, haud est videre tanto bono prædita, vt pote, corruptibilia, passibilia, dissolubilia, cõuerti & alterari & alia ex aliis fieri solita.* Quærit in eodem sermone Tatius: *Quam tu primam ais esse veritatẽ?* cui respondet Trism. *Vnum & solum illum, qui non est ex materia, qui corpore non cõtinetur, sine colore, sine figura, mutationi & alterationi nulli obnoxiũ, semper existentem.* Hom. Iliad. 1. introducit Deum sic loquentem: ὃ γὰρ ἐμὸν παλινάγρετον, οὐδ' ἀπατηλὸν, οὐδ' ἀτελεύτητον; ὅπερ ἂν κεφαλῇ κατανεύσω. *Irreuocabile est & minimè mendax. Neq; ad finẽ non peruenies quodcunq; innuero capite.* Pier. Valer. li. 44. Hierogl. refert, quod apud Ægyptios veritatis typus *sit Sol.* Sol *autem fœcunditas est diei, pulcritudo cœli, mensura temporum, distinctor horarum, vigor nascentium, nec temporum modò, verùm etiam siderum rector atque terrarum. Tempestes seculorum omnium est Deus, qui veritas est, suauitas ineffabilis, decor indicibilis, rerum artifex insuperabilis, principium omnium, omnium medium & finis, iubens tempora ab æternitate defluere, temporaque ipsa in æternitate reducens, supra tempus, supra æuum, supraque cœli verticem consistens vbique est, omniaque circumspicit.*

Obiectio cõtra Dei veritatem.

174. Cum hac immutabili Dei veritate minimè pugnat, quod Gen. 6. v. 6. dicitur, pœnituisse Deum, quòd fecerit homines: quia *cogitatio & recogitatio Dei mutandarum rerum est immutabilis ratio: neque enim sicut hominem, ita Deum cuiusquam facti sui pœnitet, cuius est de omnibus omnino rebus tàm fixa sententia, quàm certa præscientia.* Aug. 5. de ciu. Dei c. 25. libr. 83. quæstionum q. 52. Ambros. de Noah & arca c. 4. *pœnitudo illa non fuit animi dolore perturbati affectus, sed Dei vindicis & puniẽtis consilium*: non παθητικῶς hæc sunt intelligenda, sed ἐνεργητικῶς, non θεοπαθῶς, sed θεωπρεπῶς.

175. Neque labefactat Dei ac verbi diuini veritatem, quòd Deus per Ionam Niniuitis euersionẽ prędicit, quæ tamen non est secuta Ionæ 1. & seqq. capp. quia omnes cõmunicationes Dei intelligendæ sunt cum exceptione pœnitentię & conuersionis. Ier. 18. v. 7. *repente loquar aduersus populum & regnum, vt destruam illud, &c.* v. 8. *Si verò populus ille pœnitentiam egerit à malo, pœnitebit me mali, quod cogitaueram ei facere:* constans & perpetua Dei voluntas est, quod omnes verè pœnitentes & in Christum credentes in gratiã velit recipere, & contra impœnitentes à se repellere ac pœnis omnis generis in eos animaduertere: quòd ergo Deus Niniuitis ad se conuersis parcit, de immutabilitate potius voluntatis quàm de consilij mutatione & verbi diuini falsitate testatur; omnes enim comminationes intelliguntur cum conditione pertinacis impœnitentiæ: abolita ista conditione, cessãbunt etiam comminationes.

CAPVT XXII.

De perfectione Dei.

176. Atque hactenus de primæ & secundæ classis attributis egimus, descendimus tandem ad classem tertiam, quæ continet attributa illa, quæ ex reliquis promanant, in quibus pertractandis etimus breuiores, tandemenim ad finem aspiramus. Reuocamus autem denuò lectori in memoriam, quod superius dictum fuit, propriè & accuratè loquendo, omnia quæ in Deo sunt, ita inesse, vt sint ipse Deus, ac proinde ita inesse, vt nihil antecedat, nihil subsequatur; agimus verò hoc loco παχυλῶς ex captu atque intellectione nostra, quæ perquam vmbratilis est.

177. Tertia hæc classis tria continet attributa Dei, quæ sunt: 1. Perfectio. 2. Maiestas. & 3. Beatitudo. Quia Deus essentia spiritualissima, simplicissima, æterna, immutabilis omnipotens, summæ sapientiæ &c. ideò summa perfectio, summa maiestas & summa beatitudo Deo tribuitur.

Quomodo Deo tribuatur perfectio.

Quando *Deum esse perfectum* dicimus, intelligimus, 1. quod essentia eius sit perfectissima, cui nihil desit, nihil decedat, nihil accedat, imò etiam nihil accedere vel decedere possit. 2. quod nullo externo adminiculo ad essentiam suam vel operationem indigeat, sed ex se & per se omnia habeat, omniaq; agat. 3. ϕ opera eius sint perfecta. 4. quòd causa sit omnium aliarum perfectionum in creaturis 5. quòd omnium rerum perfectiones modo perfectiori & eminentiori sint in Deo, videlicet non diuisim nec accidentaliter, sed vnitissimè & per ipsam essentiam.

Deum esse perfectum probatur 1. Scripturæ dictis.

178. Pertinent ergo hûc sequentia Scripturæ dicta. 1. In quibus Deus *perfectus* esse δοκιμὴν δν dicitur. Matth. 5. v. 48. *Situ perfecti, sicut & Pater vester cœlestis perfectus est.* 2. Quæ testantur, quòd opera eius perfecta. Deu. 32. v. 4. *perfectũ est Dei opus.* Ro. 12. v. 2. *perfecta Dei voluntas.* Iacob. 1. v. 17. *Omne donum perfectum descendit desuper à Patre luminum.* 3. Quæ testãtur, Deum nullius indigere, Iob. 22. v. 1. *Num Deo prodest vir, num illi prodest intelligens?* Ps. 16. v. 2. *Bonorũ meorum non eges.* Eccl. 15. v. 12. *non sunt necessarij Deo homines impij* (Tyrannui ad conseruationem regni sui indigent proditoribus & ministris sceleratis, sed Deus ad regni sui administrationem non indiget impiis. Aug. 11. de Gene. ad lit. c. 7. *Non indiget Deus iustitia recti, nec iniquitate peruersi*) 4. quæ testãtur, nihil deesse illis, qui Deum habent propitium, id enim à perfectione Dei promanat. Gen. 13. v. 2. dicit Deus ad Abrahamum: *Ero merces tua magna valde.* Ps. 23. v. 1. *Dominus Pastor meus, nihil mihi deerit.* Ps. 34. v. 10. *timentibus Dominum non deerit vllum bonum. Delitiæ Domini sis, pete, cuncta aderunt.* Ps. 37. v. 25. *Quid mihi cœlum sine te, & à te quid volui super terram, &c.*

Si te habeam solum, sanè ruat arduus æther,
Tellus rupta suo dissiliat que loco, &c.

2. Cor. 6. v. 10. *Tanquam nihil habentes & tamen omnia habentes.* 5. quæ testantur, omnium rerum perfectiones esse in Deo, qui est ipsa lux, vita, charitas, &c. Ps. 94. v. 9. *Qui plantauit aurem, nonne audiat? qui docet hominem omnem scientiã.* Esai. 66. v. 9. *qui alios parere facio, an ipse non pariam?* 6. Denique de perfectione Dei reliqua attributa omnia testantur. Quia infinitus est Deus, nihil ei accedere potest: quia æternus est, nihil ei accidere potest: quia æternus est, nihil ei decedere potest: quia omnipotens, nihil illi deesse potest, &c.

2. Rationib.

179. Perfectionem illam Dei probant hæc argumenta. 1. Deus est Ens summum & actus potissimus. Ergo & perfectissimus. Deus est ὁ Ὢν, αὐτάρκης καὶ πλέως, non solum ipse nihil desiderat, sed etiam nihil in eo desiderari potest. 2. Tantò aliquid perfectius quantò simplicius; Deus est Ens simplicissimum. Ergo & perfectissimum. 3. Deus fecit creaturas perfectas in suo quasque genere. Scal. exerc.106. sect. 2. Ergo ipse perfectissimus & in se & per se; Nulla creatura est absolutè & summè perfecta, solus Deus absolutè & summè perfectus est. Omnium rerum perfectiones sunt in Deo, sed modis infinitis perfectiores & modis infinitis perfectioribus quam in ipsis creatis rebus. Hinc Trismegisti refertur definitio, quam tamen Helinandus Empedocli tribuit: *Sphæra intellectualis est Deus, cuius centrum est vbique, circumferentia verò nusquam.* Circuli nomen Deo tribuere voluit, quippe qui est figura perfectissima nec finem habens. Pierius libr.39. Hier. refert Ægyptios Circuli Hieroglyphico Deum exprimere, quod dedesumtum ex Iamblicho in lib. de Ægyptiorum mysteriis, &c. Scal. tamen hanc Trismegisti definitionem vocat *ridiculum* exerc.363.

3. Ethnicorum testimoniis.

Obiectio cõtra Dei perfectionem.

180. Atqui, si perfectus est Deus, *cur passim in Scriptura sui glorificationem requirit: imò condidit omnia propter seipsum, suamque gloriam.* Prouerb.16. vers.4. *Fecit Deus omnia propter seipsum etiam impium ad diem malum. Respon.* Deus nostris laudibus non redditur maior nec perfectior: ab æterno in æternum est, & manet in seipso perfectissimus, sui autem glorificationem requirit à nobis non propter se, sed propter nos, siquidem in agnitione & celebratione Dei nostra consistit beatitudo. 1. Sam.2. vers. 30. *Honorantes me honorabo, contemnentes autem contemnentur.* Iac. 4.v. 8. *Si appropinquamus Deo, ipse appropinquabit nobis.* Ambros. super 8. Ro. *Obsequium nostrum Christo nihil vtique proficit, sed nobis vitam acquirit æternã: sic enim diligit nos, vt sibi imputet, quod nobis promisit. Prosp.* in Epig. sup. sen. Aug. *Nihil Deus habet, quod sibi prosit, sed illi cui habet: ideò verus est Dominus, qui seruo non indiget, sed quo seruus indiget.* Gersõ in coll. hominis cum anima. *Sicut Deus fecit omnia, cum bonorum nostrorum non egeret, nec inde ditior & melior factus est, sed creatura suæ bonitatis particeps effecta: ita vult Deus, vt eum (se) diligamus & per sancta desideria deuotè alloquamur propter bonum nostrum. Proinde nostro honore, vel nostra apostasia Deus nec ditior, nec indigentior redditur, sed totum hoc in nos redundat.* Theolog. German. edita per D. Iohannem Arnds, Virum doctiss. amicum nostrum singularem, subtilissimè respondet c. 30. *Deus non amat se tanquam seipsum, sed tanquam summum bonum, ideò etiam vult se à nobis glorificari & agnosci, quia est summum bonum, ad quod nisi aspiremus, eiusque participes reddamur, nunquam erimus boni.*

CAPVT XXIII.

De maiestate Dei.

Deum esse altissimum.

181. Alterum tertiæ classis attributum est Dei maiestas, atque sublimitas, per quam intelligimus, quòd sit summus, altissimus, excelsus super omnia, proinde etiam super omnia laudandus & prædicandus. Hûc ergo pertinent dicta Scripturæ sequentia. 1. In omnibus Deus vocatur *magnus*, non enim mole corporea, sed sapientia, potentia & maiestate, &c. magnus est, Deut.7. v.21.c.10.v.17.1. Paral.17. v.25. *Magnus Dominus & laudabilis nimis.* Esdr.5.v.8. Nehe. 1. v.5.c.4.v.14.c.9.v.32. Iob.36. v.26. Ps.47.v.3. *Rex magnus est Deus super omnem terram.* Ps.48.v.2.3. Ps.86. v.11. in reliquis Psalmis passim. Esa.12.v.6. Ier.10.v. 6. *Magnus es & magnum tuum nomen.* c.32.v.18. Dan.2. v.45. Malach.1.v.14.1. Ioh.4.v.4. &c. referenda hûc dicta omnia, in quibus potentia eius dicitur magna, bonitas magna, misericordia magna, sapientia magna, &c. omnia enim in ipso magna, quia ipse magnus, imò magnitudo eius nihil aliud est quàm essentia, & in ipso nihil aliud est, quàm magna essentia. 2. In quibus dicitur *gloriosus & admirabilis.* Deu.5. v.24. *Ostendit nobis Deus gloriam suam & magnitudinem suam.* c.11.v.2. Psal.8.v.2. & 10. Eccles.43.v.1. &c. 3. In quibus dicitur *Altissimus* Genes.14.v.18. Num. 24.v.16. Deut.32.v.8. Iob.31.v.28. Psal.7 v.18. & in reliquis Psalmis passim. Esa.14.v.14. Thren.3.v.35.37. 38. Dan.4.v.21.31.c.5.v.18. &c. 4. In quib. mentio fit magnorum & terribilium factorum Dei, ea enim de maiestate ipsius testatur. Deu.10.v.21.1. Sam.7.v.25. 2. Sa.7.v.21.23. Ps.71.v.19. Ps.106.v.21. Act.2.v.11. &c. 5. In quibus magnificentia Dei celebratur. 1. Par.17. v.27. Ps.145.v.5. &c.6. In quib. dicitur *laudabilis & laudandus valde* Exod.15.v.11. Ps.48.v.2. Ps.96. v.4. Psal. 113.v.3. Ps.145.v.3. &c. 7. In quibus *honor Dei* celebratur & honore à nobis affici iubetur. Esai.6.v.3. *Clamant Seraphin, plena est omnis terra honore eius*: referenda hûc dicta omnia, quæ Deum celebrare, laudare, glorificare, honorare, prædicare, &c. iubent. Non enim ita magnificatur à nobis Dominus, ac si nostris laudibus maior redderetur, sed tunc à nobis exaltatur, quando altissimus esse cognoscitur; tunc magnificatur, quando ipsius magnitudo agnoscitur & prædicatur.

CAPVT XXIV.

De beatitudine Dei.

DEVM beatum esse ostenditur.

182. Tertium & vltimum huius classis attributum est Beatitudo. Quando Deum Beatum dicimus, intelligimus, 1. quòd omnibus liber sit malis. 2. quòd omnibus affluat bonis. 3. quòd sit in seipso perfectus, nullius boni indigens, nullum externum bonum appetens, cùm ipse sit αὐτάγαθὸν ipsum summum bonum. 4. quòd à seipso omnis boni affluentiam habeat, non autem ab alio participatam. Nos beatitudinem nostram in Deo quærere & à Deo expectare oportet, sed Deus à seipso, in seipso & per seipsum beatus est, ac proinde solus verè & propriè beatus. Pertinent ergo hûc dicta Scripturæ. 1. In quibus Deus dicitur *beatus* 1. Tim.6.v.15. 2. Quæ testantur, ipsum esse summum bonũ, ex quo sequitur, quòd nullo bono indigeat: ipsum esse perfectum, ex quo sequitur, quòd ipsi nihil addi possit: ipsum esse immutabilem & inuariabilem, ex quo sequitur, quòd felicitate sua nõ possit excidere: ipsum esse æternum, ex quo sequitur, quòd beatitudinẽ suam non habeat aliundè. 3. Deniq; de beatitudine Dei testãtur omnia dicta, quæ Angelorum & Electorum beatitudinẽ in visione Dei constituunt, ipse ergo fons & scaturigo erit omnis beatitudinis. Ps.16. v.11. *Adimplebis me lætitia cum vultu tuo, delectationes in dextra tua vsque in finem.* Ps.25.v.12. *Credo me videre bona Domini in terra viuentium.* Ps.36.v.8. *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos.* v.9. *Quoniam apud te est fons vitæ & in lumine tuo videbimus lumen, &c.*

1. Scripturæ dictis.

183. Hanc beatitudinem comprobant etiam argumenta. 1. Deus est summum bonum. Ergo beatus in seipso. 2. Deus solus est à seipso, reliqua omnia suum esse & suam beatitudinem habent aliunde.

Ergo

Ergo solus Deus in seipso beatus. Beatitudo hominis consistit in Dei agnitione, testibus etiam Philosophis. Ergo Deus est fons beatitudinis. 4. Est anticipata notio omnium mentibus impressa, Deum esse beatissimum, Scal. exer. 307. sect. 26. *Beatitudo* (hominis) *est fruitio summi boni: sed quid fruitio? participatio. Quomodo participatur ei, qui fruitur? non abscedit ab illo pars vt huic communicetur: sed hoc cum illo vnum, quo potest, modo fit. Hoc de illa beatitudine, quæ in subiecto est, & qua subiectum sit beatum. Fit ergo, quia vna sit beatitudo cum illa beatitudine, quæ neque in subiecto illo est, neque ipsa subiectum vllum. Quæ alio modo quàm sub hac definitione declaranda est, non enim hæc sui partem capit, sed totum ipsum est, quod est. Quare si hominis est aut mentis abstractæ beatitudo, est idcirco, quia illa est in se infinita sibi. Solus igitur Deus beatus est.*

Obiectio cõtra Dei beatitudinem.

184. At quomodo Deus beatus, cùm non semper id, quod vult, fiat? non vult peccata, quæ tamen fiunt? vult ab omnibus coli iustitiam, quod tamen non fit ab omnibus: Resp. ex Augu. in Enchir. c. 100. & seqq. *Voluntas Dei semper impletur aut de nobis, aut à nobis.* De nobis impletur, sed tamen non implemus eam, quando peccamus. A nobis impletur, quando bonum facimus. Sed de homine semper Deus implet suam voluntatem, quia nihil facit homo, de quo Deus non operetur, quod vult. Non enim vult Deus, vt homo peccet: si autem peccauerit, pœnitenti vult parcere, vt viuat: in peccatis verò perseuerantem punire, vt iustitiæ potentiam contumax non euadat. *Breuiter*, currunt homines peccatores à voluntate Dei iubente, ad voluntatem punientem: non faciente seruo, quod præcipitur, facit Dominus, quod minatur.

CAPVT XXV.

Vsus doctrinæ de diuinis attributis.

Vsus huius doctrinæ.

185. Hæc ita dicta sint de essentiæ diuinæ vnitate, eiusdemque attributis: quorum omnium verum vsum nos assecutos esse tum demùm statuamus, quando theoriæ praxin coniunxerimus, id est, si Deum eo modo agnoscamus & celebremus, quo se in Scripturis patefecit, Si ex vero & viuo attributorum diuinorum sensu, amor Dei, timor & fiducia in cordibus nostris oriatur, si Dei bonitatem & iustitiam καθ' ὁμοίωσιν in vita imitari studeamus, *Denique* si ad plenam & perfectam Dei agnitionem in futura vita expectandam seriis gemitibus & intimo cordis desiderio aspiremus. Nimirùm hæc vera est & viua Dei cognitio, per quam interiùs animæ nostræ clariùs manifestatur, quàm verbis exteriùs exprimitur.

186. *Si Pater ego sum, vbi est honor mei? & si Dominus sum, vbi est timor mei?* dicit Dominus Malach. 1. v. 6. euidenter ostendens, Deum non solùm vt benignissimum Patrem nuda theoria agnoscendum, sed etiam ex toto corde amandum: nec solùm vt omnipotentem & iustissimum Dominum, prædicandum, sed etiam ex serio corde timendum esse. *Gustate & videte, quàm bonus Iehoua, beatus vir, qui sperat in eo*, dicit Psaltes Ps. 34. v. 9. qui ergo nondum gustat, is etiam nondum plenè & salutariter cognoscit, quàm bonus sit Iehoua. *In hoc scimus*, dicit mellitus Apostolus 1. Epist. 2. v. 3. *quoniam cognouimus eum, si mandata eius obseruemus.* v. 4. *Qui dicit, se nosse eum, & mandata eius non seruat, mendax est, & in eo veritas non est.*

187. Quàm ergo multi mentiuntur Dei cognitionem? summum illud bonum nondum cognoscit, qui non amat; quomodo enim non amaret, si cognosceret, cùm hæc sit natura boni excitare sui amorem? nondum autem amat, qui aliud præ illo amat. *Si quis diligit mundum, non est charitas Patris in eo.* 1. Ioh. 2. v. 15. Qui summo huic bono aliquod præfert, nondum amat vt summum bonum: qui in alio cordis sui quietem & amoris terminum constituit, nondum appetit illud vt summum & beatissimum.

188. Si verè Deum omnipotentem statuimus, cur non plena cordis fiducia in ipsius promissiones recumbimus, & in aduersis quibuscunque eius auxilium imploramus? Si verè Deum esse summum bonum statuimus, cur non in toto corde eum amamus? Si verè Deum esse iustum iudicem statuimus, cur sceleribus securè indulgemus? Si verè Deum esse sapientissimum credimus, cur in aduersis trepidamus, soliciti de euentu, cùm tamen Deus per suam sapientiam omnia ita moderetur, vt diligentibus se in bonum cedant? si Deum esse veracem credimus, cur de ipsius promissis dubitamus? Denique si Deum perfectissimum & beatissimum esse credimus, cur non in ipso solo finem desideriorum nostrorum statuimus? Si pulcritudinem quæris, ipse pulcerrimus; Si diuitias quæris, ipse ditissimus; Si sapientiam quæris, ipse sapientissimus. *Breuiter*, ipse est omnia. *Ama vnum illud bonum, in quo omne bonum, & sufficit tibi.* Anshelm. in Prosol. c. 25.

189. Inde Philo lib. de decal. τέλος τῆς εὐδαιμονίας constituit τὴν πρὸς τὸν Θεὸν ὁμοίωσιν, quod ita exprimit Basil. homil. 10. hexaem. τί δέ ἐστι χριστιανισμός; Θεοῦ ὁμοίωσις κατὰ τὸ ἐνδεχόμενον ἀνθρώπῳ φύσει. Qui salutariter & interiùs Deum vult cognoscere, ingrediatur viam dilectionis, *Deus enim est charitas.* 1. Ioh. 4. vers. 8. *Christum diligere, superat omnem scientiam.* Ephes. 3. v. 16. *Vanitas vanitatum & omnia vanitas, præter amare Deum & illi soli seruire.* Kempis. 1. de imit. Christi c. 1. Ergo ô Ignis, Charitas, illumina & accende nos, tibi gloria & honor in seculum, Amen.

DE TRIBVS ELOHIM VNIVS INDIVISÆ DEITATIS siue de sacrosancto Trinitatis mysterio.

I.

Connexio cum loco præcedenti.

DE Diuinæ essentiæ vnitate, eiusdémque attributis essentialibus egimus hactenus: sequitur, vt de personarum Trinitate, hoc est, de tribus Elohim in vna illa indiuisa essentia verè & realiter distinctis in posterum agamus; *hæc enim est Catholica fides, vt vnum Deum in Trinitate, & Trinitatem in vnitate veneremur.* Athanas. in symb. *Dicimus vnum, sed non ad confusionem Trinitatis: dicimus tres personas, sed non ad præiudicium vnitatis.* Bernh. ad Eugen. lib. 5. col. 1047. *Non abducimur ab vnitatis professione, assertione trium, cùm in hac Trinitate non recipiamus multiplicitatem, sicut nec solitudinem in vnitate. Quamobrem cum dico vnum, non me Trinitatis turbat numerus, qui essentiam non multiplicat, non variat, nec partitur: Rursum, cùm dico tria, non me arguit intuitus vnitatis, quæ illa quæcunque tria, seu illos tres, nec in confusionem cogit, nec in singularitatem redigit.* ibid. col. 1048.

CAPVT I.

De vocabulo Trinitatis.

Trinitas. 2. Ordiemur à nomine. Trinitas significat determinatum numerum personarum, *vt ergo ponitur personarum pluralitas, ita etiam vtendum fuit nomine Trinitatis.* Thom.p.1.q.31.art.1. Sed triplicitas à Deo remouenda est: arguit enim inæqualitatis comparationem, & essentiæ multiplicationem. Nomen autem Trinitatis personarum numerum ita exprimit, vt essentiæ indiuisam vnitatem non tollat, est enim Trinitas quasi trium vnitas. Ergo si rem rectè velimus æstimare, nomen illud, quo Germani ad exprimendam personarum Trinitatem vtuntur, minùs conueniens est, cùm triplicitatem potiùs sonet, quàm Trinitatem.

An Luthero nomen Trinitatis displicuerit. 3. *Bellarm. præfat. controu. de Christo refert*, D. Luthero *nomen Trinitatis displicuisse, ac proinde ex Germanorum precibus illam precandi formulam, Sancta Trinitas, vnus Deus, miserere nobis, ab ipso submotam esse.* Atqui nouimus D. Lutherum vocabulo hoc in Scriptis suis sæpissimè vsum; arbitror autem inde calumniæ occasionem ortam, quòd ipse itidem monuerit, vocem Germanicam non esse satis commodam, ideoque vim & sensum eius populo rectè explicandam: qua de re vide D. Chemn. in explic. Euang. Dom. Trinit. p.2.pag.274.

An Trinitatis nomine vtendum sit. 4. Tumultuati olim vehementer sunt hæretici contra Orthodoxos, (quos nominabant Homousianos, teste Sixto Senensi lib.4. Biblioth.) quod nomine Trinitatis & similibus vterentur, cùm ea in Scripturis nusquam extet: sed rectè illis responsum fuit, primò etiamsi totidem syllabis hæ voces in Scripturis non legantur, tamen rem ipsam istis vocibus denotatam in eis abundè & perspicuè haberi: deinde Ecclesiam non aliqua petulanti nouitatis affectione discessisse à simplici proprietate verborum Scripturæ, sed loquendi necessitate à Græcis & Latinis parta esse ea vocabula propter errores & insidias hæreticorum. Thom.p.1.q.29.art 3. *Ad inueniendum noua nomina antiquam fidem de Deo significantia coëgit necessitas disputandi cum hæreticis.* Qua de re extat pulcerrimus locus in Disputatione Athanasij cum Ario coram Probo iudice gentili, vbi Athanasius ita disserit. *Ecclesiastica semper moris est disciplinæ, si quando hæreticorum noua doctrina exurgit, contra insolentes quæstionum mutationes rebus immutabiliter manentibus, nominum vocabula immutare, & significantiùs rerum naturas exprimere, quæ tamen existentium causarum virtutibus congruunt, & quæ magis easdem antiquitùs fuisse demonstrent, non ortus nouitatem mensurent:* id declarat quibusdam exemplis, & postea subiicit. *Scito itaque Ari, contra insolentes & furtiuas hæreticæ intelligentiæ prauitates quædam confessionis nomina non temerè præsumta, sed ex consequenti ratione collecta fidei autoritatibus fuisse inserta; ita tot nouorum verborum religioso intellectu extiterunt absolutiones quot fuerunt quæsita vel subministratæ perfidiæ occasiones, licet totidem syllabis & literis vocabula seu nomina non legantur in diuinu literis.* Hactenus Athan.

Trinitatis nomen extat in scriptis veterum ante Concilium Nicenum. 5. Nomen τριάδος & Trinitatis extat in scriptis veterum Ecclesiæ Doctorum, etiam eorum, qui ante mota ab hæreticis certamina floruerunt. Iust. Martyr. & Philosophus librum scripsit, cuius titulus: ἔκθεσις πίστεως, περὶ ὀρθῆς ὁμολογίας, ὅτι περὶ τῆς ἁγίας καὶ ὁμοουσίου τριάδος. Tertull. scripsit librum peculiarem *de Trinitate*, & in lib. contra Praxeam sæpissimè hac voce vtitur. Clemens Alexandr. lib 5. Stromat. vtitur itidem nomine ἁγίας τριάδος. Origenes tomo primo in Esaiæ c.6. dicit verbis istis: *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus* mysterium Trinitatis insinuari.

CAPVT II.

De pluraliuate personarum in diuinis ex Vet. Test.

Pluralitas personarum in Essentiæ vnitate. 6. De vocabulis οὐσίας, ὑποστάσεως, ὁμοουσίου, &c. dictum superiùs, transeamus igitur à nominis expositione ad rem ipsam. Vnum esse Deum essentia, comprobatum dedimus suo loco, in illa diuinæ essentiæ vnitate *esse plures personas.* Scriptura docet 1. illis locis, in quibus plurale Elohim vsurpat de Deo, huius enim rei nullam aliam constantem rationem dari posse, quàm personarum pluralitatem, ostendimus in præcedentibus. Vbi obserua, vocem hanc pluralem non solùm cum verbo singulari in plurimis Scripturæ locis constructam haberi, (ad essentiæ vnitatem denotandam) sed etiam cum verbo & adiectiuis pluralibus, quandoque coniungi (ad personarum pluralitatem euidentiùs insinuandam) Gen.20.v.13. *Quando errare me fecerunt Elohim de domo Patris mei.* cap.35.v.7. *quoniam ibi reuelati sunt ipsi Elohim, cùm fugeret metu fratris sui.* Deuter.5.v.26. *Quid est omnis caro, vt audiat vocem Elohim viuentium, qui de medio ignis loquitur?* Ios.24. vers.19. *Non poteritis seruire Domino, Elohim sancti ipse.* 2.Sam.7.v.23. *Quis est sicut populus tuus, sicut Israel gens vna in terris? propter quam iuerunt Elohim, vt redimeret eam sibi* (1.Par.17.v.21. id effertur cum singulari, *propter quam iuit Elohim*) Iob.35.v.10. *Nec dixit, vbi Eloah factores tui?* Psal.58.v.12. *Vtique Elohim iudices in terra.* Psal.149.v.2. *Lætetur Israel in factoribus suis.* Esa.44.v.2. *Sic dixit Iehouah factores tui.* c.54.v.5. *Mariti tui factores tui, Iehouah exercituum nomen eius,* Ierem.10.v.10. *Iehouah Deus veritas est, ipse Elohim viuentes.* c.23.v.36. *peruertitis verba Elohim viuentium.* Lyranus adducit adhuc aliud locum ex Eccles.2.v.12. *Quis est homo, qui intret post Regem, qui iam fecerunt eum:* sed is minùs conueniens ad propositum videtur. Epiphanius contra Anomæos pro personarum pluralitate adducit ex Esa. 26. vers.4. *Confidite* בִּיהוָה עֲדֵי *Domino forti in seculum.* Epiph. sic vertit: ὅτι ἐν τῷ Κυρίῳ ὁ Κύριος ὁ στερεώσας τοὺς αἰῶνας.

Secunda classis dictorum. 7. *Altera classis* testimoniorum, quibus personarum pluralitas insinuatur, complectitur ea loca, in quibus Deus ipse in plurali numero de se loquitur. Habentur autem in vniuersum quatuor talia loca in Scripturis. 1.Gen.1.v.26. *Faciamus hominem ad imaginem nostram.* (Aug. de fide ad Petrum. *Si in illa Natura Patris, & Filij, & Spiritus S. esset vna tantùm persona, non diceretur*, Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. *Cùm ergo dicit*, ad imaginem, *ostendit vnam naturam esse, ad cuius imaginem homo fieret: cùm dicit* nostram, *ostendit eundem Deum non vnam, sed plures personas esse.* Theodor.q.19. in Gen. *In vniuersa Scriptura diuina audire licet Deum singulari numero loquentem, rarò autem pluraliter sermonem formantem, cùm videlicet innuit numerum personarum sanctæ Trinitatis. Itaque per hoc,* Dixit Deus, *communionem diuinæ naturæ explanauit; cùm autem subiungit illud,* Faciamus, *expressit numerum personarum)* 2.Gen.3.v.22. *Ecce Adam quasi vnus ex nobis.* 3.Gen.11.v.7. *Dixit Deus: Descendamus & confundamus linguam eorum.* 4. Esa.6.v.8. *Audiui vocem Domini dicentis, quem mittam? & quis ibit nobis?* Pererius comm. super Genes. tom.1. lib.4. p.155. addit quintum locum Gen.2.v.8. *Faciamus Adæ adiutorium,* sed ibi in Hebræo non est numerus pluralis. Sequitur autem

autem Pererius versionem LXX. Interp. & translationem vulgatam. Reuchl. in notis ad quæstionem primam Athanasij non incommodè hûc refert locum Mal. 1. v. 6. vbi itidem in plurali dicit de se Deus: Si אֲדֹנִים *Domini ego.*

Tertia classis dictorū.

8. Tertia classis dictorum personarum pluralitatem insinuantium colligenda est ex illis locis, in quibus Deus de Deo, & Dominus de Domino loquitur, ibi enim itidem pluralitas personarum significatur; docente D. Luthero in lib. 2. de vlt. verbis Dauidis. Gen. 19. v. 24. *Pluit Dominus à Domino ignem & sulphur*, quem locum Concilium Syrmiense referente Socrate lib. 2. c. 30. & Hilar. lib. 4. quin & hisce omnibus prior Ignat. in Epist. ad Antioch. eò referunt, vt distinctas Deitatis personas in eo insinuari statuant. Exod. 16. v. 17. *Manè videbitis gloriam Iehouæ, audiuit enim murmurationes vestras contra Iehouam.* c. 34. vers. 5. *Descendit Iehouah in nube, & stetit cum Mose illic, & prædicauit de nomine Iehouæ.* v. 6. *Et transiens Iehouah ante eum, clamauit: Iehoua, Iehoua fortis, misericors, &c.* Num. 14. v. 21. *Viuo ego, dicit Dominus, replebit gloria Domini vniuersam terram.* (hanc gloriam vidit Esaias c. 6. v. 4. de quo dicitur Ioh. 12. v. 41. quòd *viderit gloriam Christi Filij Dei*) 2. Sam. 5. v. 23. *Dixit Dominus ad Dauidem, ventas ad hostes ex aduerso mororum.* v. 24. *cumque audieris sonitum incessus in cacuminibus mororum, tunc mouebis te, tunc enim egredietur Iehouah ante te.* 2. Sam. 7. vers. 11. *Annunciat tibi Iehouah, quòd domum tibi faciet Iehouah.* Psalm. 45. vers. 8. *Vnxit te Deus tuus ô Deus*, (id refertur ad Filium Hebr. 1. vers. 9.) Psalm. 110. vers. 1. *Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis*, (hoc refertur ad Filium Matth. 22. v. 44. Marc. 12. v. 36. & alibi passim) Esa. 60. v. 19. *Dominus erit tibi in lucem sempiternam & Deus tuus in gloriam tuam.* Iere. 23. v. 5. c. 33. v. 15. *Ecce dies veniunt, dicit Iehouah, & suscitabo Dauidi germen iustum, & hoc est nomen eius, quod vocabunt eum Iehouah, iustitia nostra.* (id ad Filium Dei refertur 1. Corinth. 1. vers. vltim.) Dan. 9. v. 17. *Exaudi Deus noster orationem serui tui propter Dominum.* Ose. 1. v. 7. *Sic dicit Dominus: Miserebor domui Iuda, & saluabo eos in Domino Deo suo.* Zachar. 2. v. 8. *Sis dicit Dominus Zebaoth, ipse misit me ad gentes.* v. 9. *vt cognoscatis, quòd Dominus Zebaoth miserit me*: Obiiciunt Neo-Samosateniani Poloni in catech p. 75. *verba hæc referenda esse ad Angelum, quicum Propheta locutus est*: Respon. Angelus ille fuit Dei Filius, quia Zachar. 1. v. 20. vocatur Iehouah; ipse est Princeps cœlestis militiæ Dan. 12. vers. 1. Ex sequenti cap. 3. Prophetæ id elucet adhuc clariùs.

Quarta classis dictorum.

9. Quarta classis testimoniorum, ex quibus personarum diuinitatis pluralitas colligi potest, complectitur ea loca, in quibus mentio fit *Filij Dei*, illum enim verum Deum oportet esse. Epiph. hæres. 69. p. 337. *Omne genorans simile quid generat, homo hominem gignit, & Deus Deum.* Psal. 2. v. 7. *Narrabo decretum, quod Iehouah dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te.* (Refertur hic locus ad Christum, Act. 4. v. 25. c. 13. v. 33. Heb. 1. v. 5. c. 5. v. 5. ostendunt etiam circumstantiæ non posse de alio quoquam, quàm de Christo Filio Dei hunc locum accipi, dicitur enim: Rex constitutus super Sion, cui termini terræ in possessionem dati, qui osculandus sit, id est, cui in vero timore obedire, & sincero eum corde amplecti omnes debent: Hieron. de sancta fide in Hebræomast. lib. 1. c. 5. pag. 50. refert ex Medrastilim super hunc locum. *Dixit Rab. quid sonat illud*; Apprehendite disciplinam, &c. *Simile est cuidam Regi, qui se contra eiusdem ciuitatis populum indignauit, eunte populo ad Filium Regis, vt pro eis Patri suo Regi interueniret, suppliciter deprecati sunt. Quo facto rex placatus est, populum autem cùm vellet gratiarum actiones facere Regi, dixit eis Rex: mihi facitis gratias, non sic, sed potiùs filio meo reddite. Nam nisi foret pro illo, iam tota ciuitas destructa esset. Et hoc modo dicit Deus: apprehendite disciplinam.* Sanctes in Lexico allegat verba R. Aben Ezra: Seruite Domino *respectu Domini*, Osculamini Filium *respectu Messiæ*; & addit, *in India morem esse, vt subditi Regem deosculentur*) Psal. 72. v. 17. *Erit nomen eius in secula, ante Solem permanet nomen eius.* (Burgensis in Scrutinio notat in Hebræo hîc haberi verbum, cuius simile in tali forma nusquam extat, vt sit sensus: ante Solem, huius Regis nomen est filiatum, id est, per filiationem deriuatum. Est enim יִנּוֹן passiuum à נוּן, quod filium significat) Prou. 30. v. 4. *Quis ascendit in cœlum & descendit? Quis stabiliuit omnes terminos terræ, quod nomen eius & quod nomen filij eius?* (Explicationem huius loci eruditam quære apud D. Chemn. p. 1. loc comm. pag. 174.) Denique referenda hûc sunt omnia V. T. testimonia, in quibus Iehouah dicitur talem *Angelum* mittere, cui nomen Iehouah vel opera diuina tribuuntur, tunc enim Angeli nomine intelligitur Dei Filius, verus cum Patre & Spiritu Sancto Deus. Sic Exod 23. vers. 20. & 21. *Iehouah mittit Augelum, cui nomen Iehouah*, qua de re plura suo loco.

CAP. III.

De Trinitate personarum in diuinis ex Vet. Test.

Tres in essentia vnitate personæ.

10. Hactenus iuxta distinctas testimoniorum classes pluralitatem personarum in diuinis ex V. T. ostendimus, docendum porrò fuerit, nominatim *tres personas esse in vna illa diuina essentia, non plures nec pauciores.* Quamuis v. mysterij huius aperta & dilucida reuelatio N. T. fuerit reseruata, vnde id *diei*, vetus verò *nocti*, comparatur Rom. 13. v. 13. tamen certum est, non fuisse præcipuum hunc fidei articulum Ecclesiæ V. T. penitùs ignotum, sed extare de Trinitate etiam in V. T. grauissima testimonia, licet obscuriora sint respectu claræ lucis in Nou. Testamento.

Prima classis dictorū.

11. Reuocabimus autem testimonia illa ad sequentes classes. Prima complectitur dicta ea, in quibus distinctè tres personæ Diuinitatis enumerantur. Gen. 1. v. 1. *In principio creauit Deus cœlum & terram & quidem* dicendo, (id est, per Filium, qui ob id in Bibliis Chaldaicis frequentissimè appellatur *Memerah.*) v. 2. *& Spiritus Domini* (Elohim, Patris, & Filij & Spiritus) *incubabat aquis* (denotari hoc loco tres Deitatis personas in loco de Creatione docebitur euidenter; hac vice illud saltem notamus, quòd Burgensis in suo Scrutinio probat, *antiquiores Rabinos disertè id exposuisse de Spiritu Dei. Thargum Hierosolymitanum* exponit *per Spiritum gratiæ & misericordiarum*: vt silentio prætereamus, *Patres* primitiuæ Ecclesiæ vnanimi consensu ita exponere, qua de re videatur Basil. homil. 2. hexaëm. tom. 1. p. 35. Orig. 1. de princ. cap. 3. Cyrill. lib. 1. contra Iulian. c. 13. l. 2. c. 35. Aug. 13. Confess. 4 lib. 8. de ciu. Dei c. 11. lib. 11. c. 32. Ambros. lib. 1. hexaëm. c. 8.) Exod. 31. vers. 1. loquitur Iehouah cum Mose, & v. 2. dicit, quòd *Bezaleëlem Spiritu Dei* (Filij sui) *impleuerit.* 2. Sam. 23. v. 2. *Spiritus Domini locutus est per me, & sermo eius factus per linguam meam* (Verbum hypostaticum dedit mihi sapientiam, & ex Spiritus Sancti inspiratione locutus sum; 2. Pet. 1. v. vlt.) Psal. 33. v. 6. *Verbo Domini cœli firmati sunt, & Spiritu oris eius omnis exercitus eorum*, (explicatio huius vers-

culi desumenda ex Genes. 1. & Ioh. 1. capp.) Esa. 42. v. 1. *Ecce seruus meus* (dicit Deus de Filio suo, qui in plenitudine temporis venturus erat ad ministrandum, Matth. 20. v. 28.) *& electus meus, in quo complacuit anima mea* (Matth. 3. & 17. capp. proponitur explicatio) *dedi Spiritum meum super eum.* Esa. 48. v. 16. *Nunc Dominus Deus misit me, & Spiritus eius.* Esa. 61. v. 1. *Spiritus Domini Iehouæ super me,* (dicit Messias Dei Filius) *eò quòd vnxerit me Iehouah* (Luc. 4. v. 8. Christus de se hoc dictum esse testatur. & Ioh. 3. v. 34. ita exponitur; *Quem misit Deus, hic loquitur Dei verbum, quia Deus non dat Spiritum ad mensuram*) Esa. 63. v. 7. *Miserationum Iehouæ memorabor.* v. 8. *Dixit autẽ verè populus meus sunt.* v. 9. *in omni angustia eorum, fuit ei angustia, & Angelus faciei eius saluos fecit eos.* v. 10. *ipsi autem exacerbauerunt Spiritum Sanctum eius.* Hagg. 2. vers. 5. *Ego vobiscum sum, dixit Iehouah exercituum.* vers. 6. *Verbum quod pepigi vobiscum, cùm egrederemini de terra Ægypti, & Spiritus meus erit in medio vestrum.* Vide Tremell. & Iunium h. l.

Secunda classis dictorum.

12. *Altera classis* complectitur testimonia ea, in quibus nomen Iehouæ & Dei tribus distinctis vicibus in vna sententia repetitur, ibi enim pro modo reuelationis V. Test. conueniente tres personæ Deitatis insinuantur. Num. 6. vers. 23. *Sic benedicetis filiis Israel.* v. 24. *Benedicat tibi Iehouah & custodiat te.* vers. 25. *Attollat Iehouah faciem suam super te, & misereatur tui.* v. 26. *Lucere faciat Iehouah faciem suam super te, & donet tibi pacem.*) Notat Capnio lib. 3. Cab. fol. 879. è Salomone Tecensi, quòd Sacerdotes hanc εὐλογίαν tribus digitis vtraque in palma erectis & reliquis duobus depressis antiquitùs pronunciauerint) Deut. 6. v. 4. *Audi Israel, Dominus Deus noster Iehouah vnus* (In Zohar, cuius summa apud Iudæos autoritas, R. Simeon Ben Iohai profert locum ex R. Ibba super hunc textum. Per primum Iehouah, quod Dei nomen incommunicabile est, intelligit R. Ibba *Patrem omnium Principem*: Per Elohenu, id est, Dominus noster, *filium omnium scientiarum fontem.* Per secundùm Iehouah *Spiritum Sanctum ex ambobus procedentem,* qui quidem vocis mensura est: Vocat verò vnum, quia indiuiduus est nec reuelabitur hoc arcanum ante aduentum Messiæ) Psal. 42. v. 2. *Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus.* vers. 3. *Sitiuit anima mea ad Deum, ad Deum viuum, quando veniam & videbo faciem Dei?* Psal. 67. v. 7. *Benedicat nos Deus, Deus noster:* vers. 8. *Benedicat nos Deus, & metuant eum omnes fines terræ.* Esa. 33. v. 22. *Iehouah iudex noster est, Iehouah Legifer noster, Iehouah Rex noster, ipse saluabit nos.* Ier. 33. v. 2. *Sic dixit Iehouah qui facit, Iehouah qui format, Iehouah est nomen eius.* Dan. 9. v. 19. *Domine exaudi, Domine parce, Domine attende.*

Tertia classis dictorũ.

13. Tertiam argumẽtorum classem suppeditat τρισάγιον illud Angelorum: Esa. 6. v. 3. *Seraphim clamabant alter ad alterum: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Zebaoth* (R. Simeon Ben Iohai super hunc locum ita cõmentatur: קָדוֹשׁ קָדוֹשׁ קָדוֹשׁ זֶה בֵּן קָדוֹשׁ זֶה רוּחַ. *Sanctus hic est Pater, Sanctus hic est Filius, & Sanctus hic est Spiritus Sanctus.* Cùm ex regno Neapolitano eiicerentur Iudæi in Thargum à Ionatha Vzielis filio sic hymnus iste versus fuit: בָּרָא קָדִישׁ רוּחָא קַדִּישׁ שְׁמֵיהּ קָדִישׁ אַבָּא קָדִישׁ. *Sanctus Pater, Sanctus Filius, Sanctus Spiritus Sanctus.* Vide de hoc τρισαγίῳ diuinitùs hominibus impertito Niceph. lib. 4. c. 46. vbi commemorat, *quomodo Theodosij Imperatoris & Procli Archiepiscopi Constantinopolitani tempore, cùm ingens esset terræ motus & vniuersa multitudo in campum secesserat, puer quidam è populo raptus in aëra, audierit ab Angelis τρισάγιον cantari, idque vt in Litaniis publicis adhiberetur, descendens monuerit: animam mox Deo reddiderit, terræ motus autem confestim quieuerit.* Vide etiam de eo Damasc. lib. 3. ort. fid. c. 10. & in comment. de Trisagio. Obserua etiam Ioh. 12. & Act. 28. directè ad Filium & Spiritum Sanctum hanc Angelorum δοξολογίαν applicari.)

Quarta classis dictorum.

14. Quartam denique argumentorum classem constituunt ea loca, in quibus Deus de Deo, Dominus de Domino loquitur: duabus enim personis simul nominatis, includitur persona Spiritus S. loquentis in Scriptura, iuxta illud 2. Pet. 1. v. 21. *à Spiritu Sancto impulsi locuti sunt sancti Dei homines* 2. Sam. 23. v. 2. dicit Dauid: *Spiritus Domini locutus est per me,* &c. Enumerata autem talia dicta sunt paulò superiùs. Atque hæc sunt V. T. de sacrosancto Trinitatis mysterio testimonia, vbi semper cogitandum est, Trinitatem in illis insinuari modo eo, qui dispensationi illorum temporum conueniebat.

Historia Gen. 18.

15. Videtur non incommodè hûc referri memorabilis illa apparitio trium virorum, quos Abraham Patriarcha hospitio excepit Gen. 18. v. 1. eosque oratione singulari & verè mystica allocutus est; *Domini mei,* (inquit v. 3.) *ne transiueris à seruo tuo.* Fuerunt quidem hi tres viri Angeli, nimirum Angelus ille increatus, Dei Filius, quem duo creati Angeli comitati sunt: interim tamen per eos tres diuinitatis personas modo quodam mystico significatas esse non incongruè statuitur. August. serm. 70. de temp. p. 152. *Tribus occurrit Abraham & vnum adorat. In eo, quod tres vidit, Trinitatis mysterium intellexit: quod autem quasi vnum adorauit, in tribus personis vnum Deum esse cognouit.* Vide eundem lib. 16. de ciu. Dei c. 29. lib. 2. de Trin. cap. 11. Gregor. Nyssen. de Trinit. Cyrillum lib. 1. contra Iulian. Lutherus super 18. Gen. pag. 216. sic scribit: *Defendamus Doctores nostros contra virulentas linguas, qui occulto sensu vidisse Abrahamum Trinitatem dicunt, siquidem Deus ei apparuit, non in paucioribus nec pluribus personis quàm tribus.* Rectè igitur Patres hoc loco vsi sunt, aliud tamen est probare, aliud ornare, &c.

CAPVT IV.

De Trinitate personarum in diuinis ex N. Test.

Prima classis dictorũ.

16. In nouo Testamento de sacrosancto Trinitatis mysterio habentur testimonia numero plura, luce clariora, & pondere grauiora. Distinguemus autem ea itidem in certas classes. *Prima* complectitur θεοφανείας in Baptismo & transfiguratione Christi, Matth. 3. v. 16. & 17. Marc. 1. v. 10. & 11. Luc. 3. vers. 22. describitur Baptismus Christi, vbi vox cœlestis Patris auditur: *Hic est Filius meus dilectus,* &c. Filius in Iordane baptizatur: Spiritus Sanctus in corporali specie columbæ super ipsum descendit. Matth. 17. v. 5. Marc. 6. v. 7. Luc. 9. v. 34. & 35. describitur *transfiguratio* Christi, vbi itidem auditur vox Patris (primæ personæ) Filius (secunda persona) transfiguratur, ita vt species eius splendeat sicut Sol, &c. Spiritus S. [persona tertia] manifestat se in nube lucida. Vide pulcerrimam & neruosissimam historiæ & θεοφανείας huius circa Baptismum Christi explicationem apud Dn. Chemnit. lib. 2. Harmon Euang. c. 17. Et quia illustrior Trinitatis patefactio non extat in Scripturis, ideò Athanasius, Epiphan. & alij ex piis veteribus quasi Prouerbij loco vsurparunt illud: *Comitare Iohannem ad Iordanem & videbis.* Aug. tract. 6. in Iohan. *Apparuit manifestissima Trinitas; Pater in voce, Filius in homine, Spiritus S. in columba.*

17. *Altera*

Secunda classis dictorum.

17. *Altera classis ea complectitur testimonia*, in quibus Patris, Filij & Spiritus S. distincta fit mentio. Matth. 28. v. 19. iubet Christus baptizare *in nomine Patris, Filij & Spiritus Sancti*, [ex quo loco rectè colligit Basilius Epist. 78. *Baptizari nos oportet, sicut accepimus, credere autem sicut baptizamur, glorificare autem sicut credimus Patrem, Filium & Spiritum S.*] Luc. 1. v. 36. *Spiritus S. superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Ioh. 14. v. 16. *Rogabo Patrem*, dicit Filius Dei, *& alium Paracletum dabit vobis.* v. 17. *Spiritum veritatis*, &c. Ioh. 15. v. 26. *Quando veniet Paracletus, quem ego* [inquit Christus] *mittam vobis à Patre, Spiritus veritatis, qui à Patre procedit*, &c. Actor. 10. vers. 38. *vnxit Deus Iesum Spiritu Sancto.* Rom. 1. vers. 2. *Deus antè promisit Euangelium in Scripturis.* vers. 3. *de Filio suo, qui natus ex semine Dauidis iuxta carnem.* v. 4. *declaratus Dei Filius secundum Spiritum sanctificationis* [vbi tamen nomine Spiritus videtur commodiùs intelligi diuina Natura Filij, quo sensu etiam Petr. 1. Epist. 3. v. 18. dicit *Christus mortificatus carne, viuificatus autem Spiritu*] Rom. 8. v. 11. *Si Spiritus eius, qui suscitauit Iesum à mortuis, habitat in vobis, viuificabit & ipse mortalia corpora vestra propter inhabitantem Spiritum eius in vobis.* 2. Cor. 13. vers. 13. *Gratia Domini nostri Iesu Christi, charitas Dei & communicatio Spiritus sancti sit cum omnibus vobis.* Gal. 4. vers. 6. *misit Deus Spiritum Filij sui in corda vestra.* Eph. 2. v. 18. *Per Christum habemus accessum ad Patrem in vno Spiritu.* Tit. 3. v. 4. *Cùm benignitas & φιλανθρωπία apparuit DEI Saluatoris nostri.* vers. 5. *secundùm suam misericordiam saluos nos fecit per lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus S.* v. 6. *quem effudit in nos abundè per Iesum Christum.* 1. Ioh. 5. v. 7. *Tres sunt, qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum & Spiritus S.* Apoc. 1. v. 4. *Gratia vobis ab eo qui est, & qui erat, & qui venturus est, & à septem Spiritibus, qui in conspectu throni eius sunt.* vers. 5. *& à Iesu Christo*, &c.

Dictum 1. Ioha. 5. Tres sunt &c.

18. Antequam ab hac classe abeamus, posteriora duo dicta plenius videntur excutienda. Versic. ille 1. Ioh. 5. v. 7. à Cyrill. lib. 14. thesauri Augustino & Beda omittitur: testatur a. *Erasmus in Bibliotheca Minoritarum Antuerpiensium inuentum fuisse Græcum codicem, qui expressè eum habuit*; *Rob. Stephanus* vir doctissimus antiquissima exemplaria protulit, in quibus versiculus ille legitur. *Editio Complutensis* eum habet, nec immeritò: cùm habeatur etiam apud Athan. l. 1. Dial. ad Theoph. Cyprian. tract. 3. de simpl. Præl. p. 114. Idac. Clarum lib. adu. Varim. Victor. l. 2. de persec. Vanda. & Hieron. in prologo super Epist. Can. vbi dicit, *ab hæreticis eum erasum esse*, quod non videtur vero omninò absimile, cùm contextus ipse complementum huius versiculi requirere videatur. *Posterior locus* Apo. 1. v. 4. & 5. videtur non cum mediocri obscuritate coniunctus, interim sequemur explicationem istam simplicissimã, quòd verba illa, *qui est, qui erat, & qui venturus est*, sint periphrasis Dei Patris primæ Personæ, perinde vt Exod. 3. v. 14. dicit Dominus ad Mosen: *Ego sum qui sum*, id est, immutabilis ille Deus in præsenti, præterito & futuro idem semper permanens: Per septem Spiritus intelligitur μετωνυμικῶς tertia persona sacrosanctæ Trinitatis, videlicet S. S. qui sanè ratione personæ vnus est, interim propter effecta χαρίσματα in Ecclesiæ Cantico dicitur *septiformis munere*. Additur denique mentio Filij secundæ personæ, is enim est Mediator, qui peperit nobis gratiam & pacem, ex cuius plenitudine nos omnes accipere oportet gratiam pro gratia.

Locus Apocal. 1.

Tertiæ classis dictorũ.

19. Tertia classis testimoniorum continet ea dicta, in quibus per τὰ μόρια ἀκριτικῶς mysterium Trinitatis insinuatur. Rom. 11. v. 35. *Quis prior dedit Domino, vt retribuatur ei?* vers. 36. *Quoniam ex ipso, per ipsum & in ipso sunt omnia*, ἐξ αὐτοῦ καὶ δι' αὐτοῦ καὶ εἰς αὐτὸν τὰ πάντα, *ipsi gloria in secula.* Nazianz. & reliqui Patres sæpè hoc Apostolicum allegant & personarum discrimen in eo per particulas illas insinuari asserunt. Rectè autem monet Damasc. lib. 1. orth. fid. cap. 9. *Patrem operari per Filium non tanquam per organum seruile, sed vt per naturalem & personaliter subsistentem potentiam.* Neque vllam essentiæ vel dignitatis inæqualitatem particulis istis denotari ostendunt loca, in quibus particulæ istæ permutantur. 1. Cor. 1. v. 9. *Fidelis est Deus, per quem vocati estis ad communionem filij.* Ioh. 1. v. 16. *ex ipsius* [Filij] *plenitudine nos accipere oportet.* Col. 1. v. 16. *in ipso* [Filio] *condita sunt vniuersa, omnia per ipsum & in ipso creata sunt.*

CAPVT V.

Quod trium personarum diuinitatis sit vna indiuisa essentia.

20. Hactenus veluti fundamentum posuimus futuri ædificij, cui inposterum superstruemus. Demonstrata enim personarum in diuina essentia pluralitate & nominatim Trinitate, agemus deinceps de tribus his personis primùm in genere: deinde de singulis in specie: [cogimur ita loqui καθ' ἡμᾶς, ὅσα τὴν ἀδυναμίαν τῆς διανοίας ἡμῶν, cùm in Deo nec genus sit, nec species.] *Generalis θεωρία* absoluetur his capitib⁹ 1. quòd harum trium personarum sit vna indiuisa essentia. 2. quòd hæ tres personæ sint verè & realiter à se inuicem distinctæ. 3. quòd personalibus suis proprietatibus distinguantur. *Specialis tractatio* cuiusque personæ 1. veram Deitatem. 2. personalem proprietatem, & 3. personale discrimen exponet.

Vna indiuisa essentia trium personarum diuinitatis.

21. *Demonstrandum est primo loco, quòd trium personarum diuinitatis sit vna indiuisa essentia.* Id probant 1. dicta illa omnia, quæ verum Deum esse vnum demonstrant, quorum classes in superiori disputatione sunt enumeratæ. Si enim tres sunt personæ Diuinitatis, & tamen verus Deus non est nisi vnus, vtique inde consequitur, quòd trium personarum Diuinitatis sit vna essentia. Si alia foret essentia Patris, alia Filij, alia Spiritus S. vtique alterutrum sequeretur, scil. vel non esse vnum verum Deum, vel Filium & Spiritum S. à vera Deitate excludi. Diximus superius, quòd Deus vt summum Ens est, ita etiam summo gradu vnus sit, ea verò est vnitas essentiæ. Pulcrè Bernhard. lib. 5. de consid. ad Eugen. col. 1048. *Percurrat consideratio multa vna; quò eminentia huius singularis vnius fiat euidentior. Est vnitas, quæ collectiua dici potest cùm verbi causa multi lapides faciunt vnum aceruum. Est & vnitas constitutiua, cùm multa membra vnum corpus, vel multæ partes vnum quodcunque totum constituunt. Est & coniugatiua, quà fit, vt duo iam non duo sint, sed vna caro. Et est natiua, quà anima & caro vnus nascitur homo. Est vnitas potestatiua, quà homo virtutis non instabilis, non dissimilis, sed vnus sibimet semper nititur inueniri. Est consentanea, cùm per caritatem multorum hominum est cor vnum & anima vna. Est & votiua, cùm anima votis omnibus adhærens Deo vnus Spiritus est. Est & dignatiua vnitas, quà limus noster à Dei verbo in vnam assumtus est personam. Verum quid hæc omnia ad illud summum, atque (vt ita dicam) vnicè vnum, vbi vnitatem consubstantialitas facit? Huic vni quoduis illorum si assimiles, erit quoquo modo vnum: si compares, nullo. Igitur inter omnia, quæ rectè vnum dicuntur, arcem tenet vnitas Trinitatis, qua tres personæ vna substantia sunt. H. Bernh.*

Prima classis argumẽtorum.

Altera classis dictorū.

22. Probant secundo loco hanc trium personarum in essentia vnitatem dicta illa, quæ testantur Patrem, Filium & Spiritum S. esse vnum: ibi enim non potest intelligi vnitas solùm consensus, concordiæ, vel alia qualiscunque vnitas; sed intima & perfectissima vnitas videl. essentiæ: Iohan. 10. vers. 30. *Ego & Pater vnum sumus* [dicit Filius:] non dicit, vnum sentimus, vnum volumus, sed vnum sumus. Ostendit ibi Christus, quod *nemo oues suas sibi ex manibus ereptu-rus sit.* vers. 28. ex eo, *quia nemo ex manibus Patris eas eripere possit.* vers. 29. loco confirmationis addit. *Ego & Pater vnum sumus.* vers. 30. Nascitur inde tale argumentum. Si nemo potest rapere oues ex manu Filij, ideò & propterea, quia nemo potest eas rapere ex manu Patris, sequitur, quòd Patris & Filij sit vna manus, hoc est, vna potentia, & proinde etiam vna essentia. At verum prius. E & posterius. Vnde etiam lapides postea tollunt Iudæi, blasphemiam istam [vti existimabant] vindicaturi, quòd Christus se per hoc Deo Patri æqualem esset professus. August. tract. 48. in Ioh. *Ecce Iudæi intellexerunt, quod non intelligunt Ariani: ideò enim irati sunt, quoniam senserunt non posse dici, Ego & Pater vnum sumus, nisi vbi æqualitas est Patris & Filij.*

23. Progrediamur ad alia dicta. Ioh. 14. v. 9. dicit Christus: *Qui videt me, videt Patrem*, nimirùm quia Pater in ipso, & ipse in Patre. v. 10. Ex eo itidem vnitas essentiæ consequitur, ideò enim qui Filium videt, etiam Patrem videt, quia Patris & Filij est vna essentia. Loquitur quidem Christus ibidem primariò de manifestatione diuinæ voluntatis, atque ostendit, se idipsum & nihil aliud reuelare, quàm quod in æterno Dei decreto fuit absconditum, interim essentiæ illa inter Patrem & Filium vnitas præsupponitur, perinde ut Ioh. 1. vers. 18. *Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarrauit nobis.* Quomodo Filius est in sinu Patris? non solùm quia Patri est in summo gradu dilectus, vnde dicitur ὁ ἀγαπητός, sed etiam quia summo gradu cum Patre vnum est, ita vt ab eo separati non possit. Relinquo piis mentibus cogitandum, an hìc locum habere possit sequens comparatio: Quemadmodum *vxor* dicitur esse in sinu mariti, Deut. 13. vers. 6. ideò & ex eo, quia *est cum ipso* vna caro Gen. 2. v. 24. Matth. 19. v. 6. ita Iohannes dicit: Filium esse in sinu Patris, nimirum, quia cum ipso est vnum essentia. Quòd enim hoc loco Iohannes dicit, *Filium esse in sinu Patris*, id sic exponit Christus ipse Ioh. 14. vers. 10. quòd sit in Patre, & Iohan. 10. vers. 38. quòd sit vnum cum Patre. Ergo hæc omnia sunt ἰσοδυναμοῦντα. Filius est in sinu Patris, Filius est in Patre, Pater & Filius vnum sunt.

24. Non omittendum est classicum illud testimonium 1. Ioh. 5. v. 7. *Tres sunt, qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum & Spiritus S. & hi tres vnum sunt.* vers. 9. *Si hominum testimonium recipimus, Dei testimonium maius est.* Hi tres ita testantur, vt tamen vnum sint, & vt non sit nisi vnius Dei testimonium. Obserua autem, quàm accuratè Apostolus loquatur, cùm enim dixisset, *tres esse, qui testificentur in cœlo*, subiungit, & hi tres vnum sunt: sed cùm dixisset, *tres esse qui in terra testificentur, videlicet Spiritus, aqua & sanguis*, subiungit, & hi tres in vnum sunt (ita enim in Græco legitur, quod in vulgata versione perperam redditur, & hi tres vnum sunt.) Prius enim essentiæ vnitatem exprimit, posterius vnitatem testimonij, quod obserua contra *Neo-Samosatenianos Polonos*, qui in Catech. Racouiæ excus. pag. 47. dicunt, nihil aliud quàm vnitatem testimonij ex hoc loco colligi posse.

Tertia classis dictorū.

25. Accedimus ad tertiam argumentorum classem, quæ complectitur omnia illa dicta in quibus Filius dicitur Deus, & in quibus Spiritus S. dicitur Deus, quæ postea suo loco enumerabuntur. Quia enim præter & extra vnum verum Deum non est alius Deut. 4. v. 35. Es. 44. v. 6. &c. & nihilo tamen minùs Filius est Deus, & Spiritus S. est Deus, vtique sequitur, quòd Filius non sit extra Patrem, sed in Patre, ac proinde vnius essentiæ cum Patre, quia nihil est in Deo, quod non sit ipse Deus & diuina essentia. Item, quòd Spiritus S. non sit extra Patrem & Filium, sed in Patre & Filio, ac proinde vnius cum Patre & Filio essentiæ. Nomen *Iehouah* deducitur ab essendo, quia ergo tribuitur Filio & Spiritui Sancto, vtique Filius & Spiritus S. cum Patre sunt vnus verus Deus, vnus Iehouah, & proinde sunt vnum essentia.

Quarta classis argumentorum.

26. Quarta classis argumentorum, ex quibus ὁμοουσία personarum Diuinitatis comprobatur, peti potest ex illis locis, quæ vnas easdemque essentiales proprietates, vna eademque opera diuina, vnum eundemque diuinum cultum Patri, Filio & Spiritui S. tribuunt: ea verò in speciali ἰδιοκτησίᾳ singularum personarum postea enumerabuntur. Cùm enim proprietates essentiales, siue attributa Dei essentialia non differant realiter ab essentia Dei, sed cum ea sint ταυτὸ τῇ: [quod probatum dedimus in superiori disp. th. 47. & seqq.] deinde cùm Deus agat seipso & per seipsum, non superaddita quadam essentiæ suæ facultate, [quod sequitur ex primo:] denique cùm diuinus cultus non nisi vni vero Deo tribuendus sit: vtique inde sequitur, Patris, Filij & Spiritus S. vnam essentiam agnoscendam, quia vnæ eædemque proprietates essentiales, vna eademque opera diuina, vnus idémque diuinus cultus ipsis tribuitur.

Obiectio contra vnitatem diuinæ essentiæ.

27. *Dicit hæreticus:* Pater, Filius & Spiritus S. sunt vnum, *non tamen essentia, sed consensu & affectu, perinde vt de fidelibus in primitiua Ecclesia dicitur*, fuisse ipsorum cor vnum, & anima vnam. Act. 4. v. 32. Confirmationis loco profert locum Ioh. 17. v. 21. vbi Filius Dei rogat, *vt credentes omnes vnum sint, sicut Pater in ipso, & ipse in Patre, vt & ipsi in illis vnum sint.* Iam vero vnitas credentium est vnitas cordis, consensus & affectus Rom. 12. v. 16. Actor. 4. v. 32. Ergo talis est etiam Patris, Filij & Spiritus S. vnitas, non autem essentialis. Neo-Samosateniani in Catech. p. 121. Resp. *Argumentum* hoc diligentem requirit explicationem. *Primum* autem vrgemus emphasin dictorum Scripturæ, quæ de vnitate Patris & Filij & Spiritus Sancti testantur, eamque ita comparatam esse docent, vt includat vnitatem potentiæ; iam verò potẽtia & essentia in Deo non differunt realiter. *Præterea* Filius & Spiritus S. ideò & ex eo vnum sunt cum Patre, quia Filius est Deus & Spiritus S. est Deus. Ergo sunt vnum essentia cum Patre, & non est, nisi vna Dei essentia. Dicimus proinde, ex dicto Christi Ioh. 17. v. 21. rectè concludi vnitatem voluntatis in Patre & Filio, sed essentiæ vnitas per illud non est excludenda, non enim latiùs extendenda est comparatio, quàm permittit res ipsa & fidei analogia. Credentes debent esse vnum consensu, affectu, voluntate, &c. sicut Pater & Filius vnum sunt. Ergo Pater & Filius sunt vnum consensu & voluntate. Hactenus rectè. Sed minus largè cadauer illud consequentiæ additur, ergo Pater & Filius non sunt vnum essentia, quia vnitas voluntatis in Patre & Filio sequitur ex essentiæ vnitate, tantùm abest, vt eam excludat, cùm voluntas & essentia in Deo vnum sint.

28. Declaremus rem exemplo simili. Mãdat Deus, *vt simus sancti, sicut & ipse sanctus est*: Leu. 11. v. 44. *vt simus perfecti, sicut ipse perfectus est*: Matth. 5. v. 48. *vt simus misericor-*

misericordes, sicut ipse misericors est: Luc.6.vers.36. num verò inde licet colligere; Sanctitas, perfectio & misericordia sunt in nobis accidentia quædam: Ergo etiam in Deo? minimè verò, quia comparatio extenditur latiùs, quàm res ipsa permittit: ideo misericordia Dei imitanda nobis proponitur, vt moneamur, caritatem nostram debere esse sinceram, nec verbis solùm, sed ipso opere declarandam, nec in operibus caritatis & misericordiæ debere nos defatigari, &c. Pari modo non licebit colligere: Christus rogat, vt vnum simus, sicut ipse cum Patre vnum est, ergo in Patre & Filio est tantùm affectus & voluntatis vnitas.

CAPVT VI.

De consectariis ex ὁμοουσία trium personarum deductis.

1. Personarũ ὁμοουσίων περιχώρησις.

29. *Propter hanc personarum ὁμοουσίαν statuitur* 1. earundem περιχώρησις, quam Scholastici vocant *circumincessionem & immanentiam*. Augustin.6.de Trinit.dicit, *personas esse in inuicem*, Ansh.in moral.c.57. *esse in se inuicem*. Rectè autem monet Damasc.lib.1. orth.fid.c. 19. intelligendam esse hanc περιχώρησιν *sine contractione, commixtione & confusione*. Augustin. lib.6.de Trin.c. vlt.eam sic describit: *Singula sunt in singulis, & omnia in singulis, & singula in omnibus, & omnia in omnibus, vnum omnia.*

30. Monet Biel in sent.dist.19.q.2.t.triplicem esse inexistentiam.1.*per continentiam*, sic locatum est in loco. 2. *per intimam præsentiam cum carentia vniuscunque distantiæ*, sic forma est in materia. 3. *per intimam præsentiam cum consubstantialitate*: hoc modo inexistit, quod intimè præsens & consubstantiale, & hic modus (ait) vocatur *per circumincessionem*. Atque ad eum requiruntur tria: 1. quòd distinguantur realiter. 2. quòd sint sibi intimè præsentia. 3. quòd sint vna simplex essentia. Proinde illa personarum περιχώρησις non solùm essentiæ vnitatem, sed etiam personale discrimen complectitur. Thom.p.1.q.42.art.5. ita procedit: *In Patre & Filio considerare possumus essentiam, relationem & originem, secundùm quodlibet istorum Filius est in Patre & è conuerso. Pater est sua essentia & communicat suam essentiam Filio, quia ergo essentia Patris est in Filio, ideò etiam Pater. Filius est sua essentia: Ergo etiam est in Patre. 2. respectu relationis itidem Pater est in Filio, & Filius est in Patre, quia vnum relatiuè oppositorum est in altero secundùm intellectum. 3. Ratione etiam originis Filius est in Patre, quia processio verbi intelligibilis non est ad extra, sed manet in dicente.*

2. Trium personarum æqualitas.

31. Ex ὁμοουσία ista secundo loco sequitur omnimoda personarum æqualitas, quam Athan.in Symb. ita exprimit. *In hac Trinitate nihil prius aut posterius, nihil maius aut minus: sed totæ tres personæ coæternæ sibi sunt & coæquales. Thom.p.1.qu.42.art.1.* æqualitas dicitur quasi per negationem maioris & minoris. Alia *est quantitas molis, alia virtutis*: quantitas molis locum habet solum in corporeis, quantitas in diuinis non est aliud quàm Dei essentia, nulla ergo ibi inæqualitas. Æqualitas virtutis includit similitudinem & aliquid plus, quia excludit excessum. Non solùm vna natura est Patris & Filij, sed etiam æquè perfectè in vtroque, ideò non solùm dicimus Filium similem Patri contra Eunomium, sed etiam æqualem contra Arium. Aug. in lib.de fide ad Petrum breuiter exprimit, quomodo intelligatur ista æqualitas. *Nullius horum* (ait) *alium aut præcedit æternitate, aut excedit magnitudine, aut superat potestate*: ideò concludit lib.6.de Trin.c.vlt. *Pater non est maior Filio, nec Pater vel Filius maior Spiritu S. nec maius aliquid duæ personæ simul sunt, quàm vna: nec tres simul maius aliquid, quàm duæ, nec maior est essentia in tribus, quàm in duabus, nec in duabus quàm in vna, quia tota est in singulis.* l.8.de Trin.c.1. id probat hoc modo. *Quod ibi magnum dicitur, aliunde magnum nõ est, quàm eo quo verè est, quia ibi magnitudo ipsa veritas est, & veritas essentia, non ergo ibi maius est, quod verius non est, &c. Non est autem verius vna persona, quàm alia, vel duæ quàm vna, vel tres simul quàm singula. Non ergo plus veritatis habet vna quàm alia, vel duæ quàm vna, vel tres simul quàm singula. Sic ergo & ipsa Trinitas non est maius aliquid, quæ vnaquæque ibi persona, sed tàm magnum quàm singula.* Proinde minimè probare possumus, quòd Grynæus in Disp. de dicto Christi, *Pater maior me est*, habita Heidelb. Ann.85. th.6.14.& 21. Item Sohnius tom.2.exeg.p.223. disputant, *Christum tanquam personam missam, & respectu officij esse Patre inferiorem.*

32. Æqualitas potentiæ manifestè colligitur ex essentiæ vnitate, quia essentia & potentia in Deo non differunt. Aug.3. de Maxim. c.12. *Nihil Patre minus habet ille, qui dicit, omnia quæ habet Pater mea sunt. Nam si minus habet in potestate aliquid quàm Pater, non sunt eius omnia, quæ habet Pater: sed eius sunt omnia, quæ habet Pater: tantam ergo habet potestatem Filius, quantam Pater, æqualis ergo est Patri. At, inquis,* eo ipso Pater maior est Filio, quia de nullo genitus, Filium genuit. Resp. Aug. li.dict.c.18. *imò ideò non est Pater maior Filio, quia æqualem sibi genuit: Originis enim quæstio ista est, quis de quo sit, æqualitatis autem, qualis aut quantus sit.* Thom.p.1.q.42. art.6. *Sicut eadem essentia, quæ est in Patre æternitas, in Filio est filiatio; ita est eadem potentia, qua Pater generat, & qua Filius generatur.* Quicquid ergo potest Pater, potest Filius, non tamen sequitur, quod potest generare, quia mutatur quid in aliquid: generatio significat relationem. Habet ergo eandem potentiam Filius, quàm Pater, sed alia relatione.

3. Quod tres personæ non sint partes nec species Trinitatis.

33. *Ex ὁμοουσία ista personarum colligimus tertio loco*; minus rectè statui, *quòd tres personæ sint partes Trinitatis: siue quòd essentia sit genus, personæ autem species: siue quòd essentia sit species & personæ sint individua.* Quælibet persona est verus & perfectus Deus, ac tota & perfecta diuina essentia est in qualibet persona. Ergo nulla istarum pars est Trinitatis. Vide Aug.l.4.contra Maximinum c.10. Pater, Filius & Spiritus S. propter individuam Deitatem vnus Deus est, & propter vnius cuiusq; proprietatem tres personæ sunt, & propter singulorum perfectionem, partes vnius Dei non sunt. Ratio dependet ex infinitate diuinæ essentiæ, eiusdemque impartibili simplicitate, quia enim diuina essentia est infinita & impartibilis, ideò tota est in Patre, tota in Filio, tota in Spiritu Sancto.

34. Ex eodem fundamento deducenda est probatio, quòd diuina essentia non prædicetur de personis, tanquam genus de speciebus, vel tanquam species de individuis. Aug.7.de Trin.c.6. *Si essentia genus est, species autem persona (vt nonnulli sentiunt) oportet appellari tres substantias, vt appellantur tres personæ. Et posteà. Si essentia species est, vt homo: sicut non dicitur vnus homo esse Abraham, Isaac & Iacob: ita non dicetur vna essentia esse tres personas. Non ita que secundum genus & species ista dicimus.* Vide Lomb.1.sent.dist.19.lit.H. *Non tantum est vnus homo, quantum tres homines simul, & plus aliquid sunt homines duo quam vnus homo; at in Deo nõ est ita, non enim maior essentia est Pater & Filius simul, quàm solus Pater vel solus Filius, sed tres simul illæ personæ æquales sunt singulis.* Tho.p.1.q.39.art.3. Socratem, Platonem, Ciceronẽ dicimus tres homines: sed Patrem, Filium &

Spiritum S. non dicimus tres Deos, quia in tribus suppositis humanæ naturæ sunt tres humanitates, sed in tribus personis est vna essentia. Concludimus igitur, quòd essentia diuina habeat se ad personas, vt singulari modo communicatum habet se ad ea, quibus est commune. Neque enim simile communicationis exemplum est in vllis rebus creatis.

4. Quod vna persona respectu alterius non sit dicenda καθ' ἐξοχήν Deus.

35. *Quartum consectarium*, quod ex ὁμοουσίᾳ personarum colligimus, hoc esto, quòd vna persona respectu alterius non sit dicenda vel statuenda καθ' ἐξοχήν Deus. Solenne hoc est Scriptoribus quibusdam, qui tamen de hoc mysterio integros ediderunt tractatus, quibus breuiter hoc immotum opponimus. Vbicunque est summa & vnitissima essentiæ identitas, ibi nulla statui debet vel potest ἐξοχή, quippe quæ inæqualitatis consequens est. Iam verò Pater & Filius vnum sunt essentia, vnus verus Deus. Ergò Pater non est dicendus καθ' ἐξοχήν Deus. Originis principium nullam introducit ἐξοχήν Deitatis, quia Pater per æternam generationem eandem diuinam essentiam Filio communicat: Improbamus igitur, quod Calu. lib. 1. Instit. c. 13. sect. 23. Zanch. in præf. de tribus Elohim. li. 1. de trib. Eloh. c. 3. Sohn. tom. 2. Exeg. p. 123. scribunt, *Patri* κατ' ἐξοχήν *nomen* DEI *tribui, Patrem esse principaliter Deum, nomen Dei priùs de Patre prædicari, quàm de Filio, &c.* Chaff. lib. 1. locor. comm. c. 15. sect. 3. progreditur vlteriùs, ac dicit: *Filium esse secundùm à Patre non ordine solùm, sed & dignitate, quoniam origo essendi Pater ipsi est.* Atqui quemadmodum origo essendi nullam essentiæ vel naturæ disparitatem, ita etiam nullam dignitatis inæqualitatem introducit.

5. Quod opera Trinitatis ad extra indiuisa sint.

36. Quintum consectarium ex ὁμοουσίᾳ deductum, hoc esto, quòd opera Trinitatis ad extra sint indiuisa. Regulam hanc proponunt & explicant passim pij veteres, Athan. orat. contra Greg. Sabell. p. 95. Cyrill. lib. 4. in Ioh. c. 18. l. 3. Thesauri c. 1. tom. 2. col. 51. Augu. Ep. 99. lib. 1. de Trin. c. 5. l. 2. c. 10. l. 4. c. 21. Dicuntur autem *opera ad extra*, quando Deus extra suam essentiam in creaturis aliquid operatur: & hæc opera sunt indiuisa, quia tunc tres personæ sunt simul, & simul operantur. Sic vnus est creator, vnus conseruator, &c. Ioh. 5. v. 16. *quæ Pater facit, similiter & Filius facit.* v. 17. *Pater meus vsque modo operatur, & ego operor.* Ioh. 14. v. 10. *Pater in me manens ipse facit opera.* In creaturis ea, quæ numero differunt, etiamsi essentia conueniant, facultates tamen & operationes partiuntur: in Deo verò tanta est vnitas, tanta vis vnius & eiusdem essentiæ, vt singulis personis singula & peculiara opera, quæ seorsim in creaturis operentur, assignari neutiquam debeant. Pulcrè Nazianz. orat. de Theol. *Illud quod operatur, est vna tribus personis communis Deitas.* Ex vnitate essentiæ pendet vnitas potentiæ, ex vnitate potentiæ vnitas operum.

Vna persona in operibus ad extra nominata: intelligitur tota Trinitas.

37. Colligemus ex hoc consectario vlterius præeunte D. Chemn. p. 1. Locorum pag. 98. 1. In operibus ad extra & respectu creaturarum, quando nominatur tantùm vna persona vel duę, totam Trinitatem intelligi. Sic Patri tribuitur opus creationis in Symbolo, à quo tamen non excluditur Filius, nec Sp. S. 2. Nominata vna persona in operibus ad extra, non excludi reliquas ab ὁμουσίᾳ diuinitatis, nec duabus personis nominatis excludi tertiam si vel maximè addatur exclusiua *Solus*, quia ea non opponitur reliquis diuinitatis personis, sed idolis & creaturis. 3. In inuocatione etiamsi aliquando duarum, aliquando vnius tantùm personæ fiat mentio, semper tamen eam dirigi ad vnam diuinam essentiam & simul ad tres personas, quia respectu nostri tres personæ simul, & vnaquæque seorsim, est vnus verus & indiuisus Deus.

38. Non ergo possumus probare, quòd Keckerm. syst. Theol. p. 48. vocat *tres Iustificantes & tres autores Iustificationis nostræ, Patrem, Filium & Spiritum S.* quòd Pisc. Herb. in anal. Eph. 1. v. 7. tres personas vocat *tres principales causas socias salutis*, ibidem etiam respectu Patris mittentis Filium dicit esse *causam instrumentalẽ*, quod Bucanus in Instit. loc. 29. p. 273. *causam fidei vocat Deum &* σωταίτια *Filium ac Spiritum S.* & loc. 30. p. 291. Κύριον αἴτιον *pœnitentiæ est Deus,* σωταίτιον *est Spiritus S. qui afficit & mouet corda*; quod alius Patrem, Filium & Spiritum Sanctum vocat *causas socias creationis*, qua de re vide disp. D. Mentz. Theol. clariss. Præceptoris nostri honorandi, tom. 1. disp. Giess. 6. thes. 6. & ἀντίθεσιν disp. 8.

39. Addenda est huic quinto consectario Augustini contra Felician. obseruatio, nimirum *opera ad extra ita esse tribus personis communia, vt tamen ordo & cuiusque personæ proprietas seruetur.* Considerantur enim opera illa annotante D. Luthe. de vlt. verb. Dauid. tom. 8. Ien. dupliciter: Primò absolutè, & ita sine discrimine sunt & dicuntur opera trium personarum communiter: secundò relatiuè, quando consideratur, quo ordine agant personæ & quæ sit cuiusque personæ proprietas: atque hûc refert pia vetustas illud Apostolicum Rom. 11. vers. 36. *Ex ipso, per ipsum, in ipso sunt omnia.* Pater per Filium in Spiritu S. omnia creauit. August. tract. 106. in Iohan. tom. 10. *Quod dixit, tui erant, non inde se separauit Deus Filius, sine quo nihil vnquam Pater habuit, sed solet illis tribuere omne quod potest, à quo est ipse qui potest, à quo enim habet vt sit, ab illo habet vt possit, & simul vtrumque semper habuit.*

CAPVT III.

Quòd tres personæ Trinitatis verè & realiter sint distinctæ.

Personarum discrimen

40. Atque hactenus personarum ὁμουσίαν comprobatam dedimus, sequitur generalis θεωρίας caput secundum, in quo verum & reale personarum discrimen demonstrandum erit. Credimus essentiæ vnitatem, non autem introducimus Personarum confusionem. Vnus est Deus non in vnius singularitate personæ, sed in vnius Trinitate substantiæ. Constituemus autem iterum docendi gratia certas argumentorum classes, ex quibus comprobari possit, quòd alia sit persona Patris, alia Filij, alia Spiritus Sancti etiamsi Patris & Filij & Spiritus Sancti *vna sit diuinitas, æqualis gloria, coæterna maiestas.* Athan. in symb.

41. Verum & reale personarum discrimen comprobant 1. omnia illa argumenta, quæ pro asserenda personarum Trinitate superiùs sunt producta. Quia enim Patris, Filij & Spirit. S distincta fit mentio, ergo persona Patris distincta est à persona Filij & à persona Spiritus S. *Non enim nomina vacua sunt, neque absque significantia cassæ voces* ait Bernh. 5. de consid. ad Euge. col. 1047. 2. *peculiariter* hûc referendæ sunt θεοφάνειαι in Baptismo & transfiguratione Christi, ibi enim vox *Patris* sonat de cœlis: *Filius* in Iordane baptizatur, in monte Thabor transfiguratur: *Spiritus S.* in specie columbæ descendit, & in nube lucida sese manifestat: vtique ergo alius est Pater, alius Filius, alius Spiritus S. 3. *Idipsum* comprobat incarnatio Filij & visibilis effusio Spiritus S. Non enim Pater, nec Spiritus S. sed Filius, secunda persona, assumsit humanam naturam. Incarnatio ergo Verbi propriè non Patri, nec

Spiritui S.

S.S. nisi κατ' εὐδοκίαν καὶ θαυματουργίαν (vt loquitur Dam.1. de orth.fid.c. 13.) competit, sola autem persona Filij est incarnata. *Impleuit quidem carnem Christi Pater & Spiritus S. sed maiestate, non susceptione.* August. tom.10.serm.3.de temp. Ita etiam Spiritus S. visibiliter & miraculosè effusus est super Apostolos, non autem Pater nec Filius. 4. *Pertinent* huc testimonia de missione Filij & S.S. quorum in Scripturis sacris sunt longè plurima. Alia enim est persona Patris, qui mittit; alia persona Filij, qui mittitur. 5. *Denique* referenda huc illa dicta, quæ sigillatim Patrem à Filio & Spiritu S. Filium à Patre & Spiritu S. Spiritum S. à Patre & Filio verè & realiter distinctam esse personam, quæ suo loco postea enumerabuntur.

Quale sit illud discrimen?

42. De discrimine personarum anxiè disquirunt Scholastici, neque tamen inter eos hac de re omninò conuenit. Biel.1.sent.dist.26.q.1.recitat diuersas aliorum opiniones. *Præpositiui* (inquit) *opinio fuit, quod personæ seipsis præcisè & per nihil quomodocunque distinctum à personis distinguantur primò*: Richardi, Bonauenturę, & Ioh.de Rip. *opinio est, quòd personæ constituantur & distinguantur per proprietates absolutas primo & per relationes originis q.ex consequenti.* Thom.p.1. q.40.art. 2. statuit melius dici, quod *personæ distinguantur per relationes quàm per originem.* Dam.1. fid. de orth.c.11. disputat, *personas non differre τῷ πράγματι reipsa seu essentia, distingui autem verè τῇ ἐπινοίᾳ* (*vbi nomine ἐπινοίας* non intelligit nudum conceptum, sed *ὑπάρξεως τρόπον*, addit enim) *propter alium atque alium subsistendi modum.*

43. Ne quis tamen ἐννοηματικὸν tantùm & intellectuale quoddam discrimen introducere videatur (quod olim fecerunt hæretici quidam Noëtiani ob id dicti, de quib. Epiph. hæres. 57. tom.1.libr.2.) ideò dicimus, Personas Diuinitatis distingui *non essentialiter* (quia vna est trium personarum essentia) *non accidentaliter* (quia Deus est purissimus actus, in cuius essentiam nulla cadunt accidentia) sed *personaliter*, siue *τρόπῳ ὑπάρξεως* (alia enim persona est Pater, alia Filius, alia Spiritus S.) Omnia in diuinis sunt vnum, vbi non obuiat relationis oppositio, dixerunt pij veteres.

Personarum discrimen.

An in personarũ Trinitate statuẽdus numerus.

44. Quæris, an propter personarum Trinitatem statuendus sit in illis numerus? *Resp.* ex Biel.1.sen.dist. 24.q.2. *Numerus accipitur primò strictè, & sic tres requirit conditiones, scilicet quod sit multitudo quædam vno mensurata; quod talis numerus sit qualibet sua parte maior; quod vnitates inter se sint essentialiter distinctæ: deinde communiter pro qualibet pluralitate rerum siue essentialiter distinctæ ea sint, siue non. In diuinis licet non sit numerus acceptus strictè, non enim ibi est multitudo aliquorum essentialiter distinctorum, tamen est ibi numerus communiter acceptus. Non ita intelligas tres esse Diuinitatis personas, sicut cùm dico, tres esse homines.* Thom.p.1.q.30.art.4. ita procedit. *Termini numerales* (in diuinis) *non sumuntur à numero, qui est species quantitatis, sed à multitudine, secundùm quod est Transcendens: multitudo sic accepta habet se ad multa, sicut vnum, quod conuertitur cum Ente, huiusmodi autem vnum non addit aliquid Enti, nisi negationem diuisionis. Cùm ergo dicimus, persona est vna, significat personam indiuisam: cùm dicimus, personæ sunt plures, significantur illæ personæ & indiuisio circa vnamquamque earum.* Lombardus 1. sent. dist. 24. §. 5. minus rectè statuit, *nomina & vocabula numeralia nihil ponere, cùm de Deo diuinisque personis vsurpantur, sed duntaxat contrariam significationem remouere.*

Quomodo reale personarum discrimen cum essentiæ vnitate consistat.

45. Quæris, quomodo reale illud personarum discrimen cum essentiæ diuinæ vnitate, simplicitate, & indiuisibilitate consistat? *Resp.* diximus hac de re in sup. disp. th.85. cuius summa est, quòd proprietates personales ipsam essentiam diuinam non cõponant, nec multiplicent. Vna & eadem essentia diuina est in Patre, & Filio & Spiritu S. Relationes siue modi subsistendi non componunt essentiam, sed distinguunt personas. Modus subsistendi alius atque alius non efficit, vt alia sit essentia Filij ab essentia Patris; aut vt essentia ex simplici fiat composita (quia nihil reale superaddit essentiæ) sed tantum efficit, vt ratione personæ Filius sit à Patre distinctus. Tres personæ realiter nihil aliud sunt, quàm essentia diuina, & vna illa diuina essentia planè idem est, quòd tres illę personæ.

CAPVT VIII.

De proprietatibus personalibus internis.

Proprietates personales internæ.

46. Descendimus ad tertium caput generalis huius Tractatus de mysterio Trinitatis, in quo demonstrandum erit, quòd personæ Diuinitatis personalib. suis proprietatibus distinguantur. Patris, Filij & Spiritus S. vna est essentia, nec tamen Pater est Filius vel Spiritus S. sed alius est Pater, alius Filius, alius Spiritus S. Ratio distinctionis huius personalis dependetà distinctis proprietatibus, notionibus siue relationibus originis, per quas vna persona ab alia verè & realiter distinguitur. Proprietas personalis Patris est ἀγεννησία; Pater enim à nullo est factus, nec creatus, nec genitus. Proprietas personalis Filij est ἡ γέννησις. Filius enim à Patre solus est, non factus nec creatus, sed genitus. Proprietas personalis Spiritus S. est ἐκπόρευσις, quia Spiritus S. à Patre & Filio non est factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens.

47. Communis est locutio Doctorum, ait Biel.1. sent. dist. 28.q.vnica, *quod in diuinis est vna essentia, scilicet ipsa Natura diuina: duæ emanationes seu productiones passiuæ* (intellige passionem non Physicam, sed in sensu Grammatico acceptam) *per modum intellectus & voluntatis, generatio & spiratio: tres hypostases, Pater, Filius & Spiritus S. totidem proprietates:* (*ἀγεννησία, γέννησις, ἐκπόρευσις*) *quatuor relationes, paternitas, filiatio, spiratio actiua, spiratio passiua: notiones quinque, videlicet dictæ quatuor relationes & innascibilitas; attributa sunt infinita, vt Sapientia, Potentia, Bonitas, &c.*

Personæ distinguuntur proprietatib.

48. Accuratè ergo loquendo, proprietatibus siue *ὑπάρξεως τρόποις* distinguuntur personæ, [quarum tres sunt] non autem relationibus [quarum sunt quatuor.] Thom.p.1.q.32.ar.2. *Essentia significatur in diuinis, vt quid, persona vt quis, proprietas vt quo*: ar.3. *Notio est propria ratio cognoscendi diuinam personam. Diuinæ personæ multiplicantur secundùm originem: ad originem pertinet à quo alius, & qui ab alio. Persona Patris non potest innotescere per hoc, quod sit ab alio, quia à nullo est, & sic ex hac parte notio est innascibilitas: in quantum aliquis ab eo, innotescit dupliciter; in quantum filius ab eo, innotescit notione paternitatis: in quantum Spiritus sanctus ab eo, innotescit notione communis spirationis. Filius potest innotescere per hoc, quod est ab alio nascendo, & sic notio est filiatio, & per hoc quod alius ab eo, scilicet Spiritus S. & per hoc itidem innotescit communi spiratione. Spiritus S. innotescit per hoc quod est ab alio, & sic notio est processio, non autem quod alius ab eo.*

Argumentũ difficillimũ contra Trinitatem.

49. Hinc patere potest, quid respondendum sit ad argumentum difficillimum. *Quot sunt relationes in diuinis, tot sunt personæ. At quatuor sunt relationes. 1. Generare. 2. Generari. 3. Spirare. 4. Spirari. Ergo etiam quatuor personæ. Resp.* Relatio & proprietas personalis re quidem *τὸ αὐτὸ* sunt in diuinis, interim tamè accuratissimè loquendo proprietatibus personalib. tanquam

characteribus hypostaticis personæ distinguuntur, non relationibus. (*Thom.p.1.q.40.art.2.ita loquitur: Personæ distinguũtur relationibus, non vt relationibus, sed vt proprietatibus:*) Patris character hypostaticus est, quòd sit ἀγέννητος: Filij, quòd γεννητός: Spiritus sancti, quòd procedat. Generatio ergo Filij character est, quia in persona Filij terminatur, & per eam Filius est Filius: Spiratio est character Spiritus S. quia terminatur in persona Spiritus S. & per eam Spiritus S. est Spiritus S. alioquin Pater haberet characterem geminum. 1. quod generet. 2. quòd spiret. Filius itidem geminum. 1. quòd generetur. 2. quòd spiret. Proinde Ecclesia Græca accuratissimè loquitur. Deitas in Patre est ἀγεννησίας: in Filio γεννητῶς: in Spiritu sancto ἐκπορευτῶς. D. Mentzer. in Epist. hac de re ad me præscripta.

Obiectio contra proprietatem Patris.

50. At, *inquis*, ἀγεννησία terminus est negatiuus, satius ergo est statuere, quod generatio & spiratio dicãtur character hypostaticus Patris. Resp. Vocis sono ἀγεννησία negatiuus terminus est, sed reipsa affirmat, denotat enim hanc proprietatem soli Patri conuenientem, quòd sit à nullo factus, nec creatus, nec genitus: hoc est, quòd sit à seipso; sicut γέννησις denotat hanc proprietatem soli Filio conuenientem, quòd sit à Patre solo non factus, nec creatus, sed genitus: ἐκπόρευσις denotat hanc proprietatem soli Spiritui sancto conuenientem, quòd sit à Patre & Filio non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens.

51. Quod ergo Boët. de Trin. dicit: *Sola relatio multiplicat Trinitatem personarum*, id accipiendum est eo sensu, quòd proprietas Patris videlicet ἀγεννησία & relatio videlicet paternitas & spiratio sint in Patre realiter ταυτὸ τῇ, ac proinde hoc sensu per relationem distinguitur Pater à reliquis personis, hoc est, per proprietatem, quæ cum relatione est realiter vnum, Thom.p.1. qu.30. art.2. *Personæ sunt plures relationes subsistentes & ad inuicem realiter distinctæ, realu autem distinctio non est, nisi ratione oppositionis relatiuæ: ergo oportet duas relationes oppositas ad duas personas pertinere: si quæ autem relationes oppositæ non sunt, ad eandem personam necesse est pertinere.* Sic ergo habendum. Paternitas & filiatio sunt oppositę relationes, Item spiratio & processio sunt oppositæ relationes; Ergo pertinent ad duas personas. Sed paternitas & spiratio; Itẽ filiatio & spiratio non sunt oppositæ relationes: Ergo non pertinent ad duas personas, sed paternitas & spiratio est in persona Patris, filiatio & spiratio est in persona Filij. Hinc subiungit Thomas: *Spiratio est relatio, sed tamen non est proprietas, quia non conuenit vni tantùm personæ, neque est relatio personalis, id est, constituens personam.* Propterea dictum Boetij, quod relatio multiplicet personarum Trinitatem, quidam ex veteribus accuratiùs ita efferunt: *In diuinis omnia sunt vnum, nisi vbi obuiat relationis oppositio.*

CAPVT IX.

De proprietatibus externis cuiusque personæ.

Proprietates personales externæ.

52. De personali proprietate siue charactere hypostatico cuiusque personæ dicemus suo loco plura. Hac vice subiungimus; Personas Diuinitatis distingui non solùm internè istis personalibus proprietatibus, sed etiam externè ab operibus & beneficiis erga creaturas, præsertim verò Ecclesiam. Sic Patri tribuitur *Creatio*, Filio tribuitur *Redemtio*, Spiritui S. tribuitur *Sanctificatio*. Etsi namque Filius ab opere creationis nõ est excluſus, vti nec Spiritus sanctus, cùm opera Trinitatis ad extra sint indiuisa: tamen seruata cuiusque personæ proprietate & ordine agendi, id est intelligendum, vt superiùs monuimus. Ita ergo creauit Pater, vt per Filium in Spiritu sancto omnia creauerit & adhuc conseruet. Ab opere redemtionis nec Pater, nec Spiritus S. est excluſus, interim tamen solus *Filius est incarnatus.* Ioh.1.v.14. *Pater mittit Filium suum, factum ex muliere.* Gal.4.v.4. Et *ex Spiritu S.* obũbratione concipitur in vtero Mariæ Dei Filius Luc.1. v.31.35. Ab opere sanctificationis nec Pater excluſus est nec Filius, ita tamen sanctificat Pater, vt in nomine Filij Spiritum S. mittat in corda credentium, per quem sanctificentur.

53. Hinc essentialia quædam attributa cuilibet personæ appropriantur à Scriptoribus Ecclesiasticis, cùm tamen essentialia attributa propter identitatem essentiæ tribus personis sint communia, qua de re ita differit Thom.p.1.q.39. art.8. *Intellectus noster ex creaturis in Dei cognitionem manuducitur. In consideratione verò alicuius creaturæ quatuor occurrũt. 1. Consideratur res ipsa absolutè, in quantum Ens. 2. in quantum vna. 3. secundùm quod ineſt ei virtus ad operandum. 4. secundùm habitudinem, quam habet ad causata.* Ratione *primæ considerationis* ab Hilario, Patri tribuitur *æternitas* (æternitas enim in quantum signat esse non principiatum, similitudinem habet cum proprio Patris, qui est principium non de principio.) *Species* Filio (species habet similitudinem cum proprio Filij: Ad pulchritudinem enim tria requiruntur, Integritas seu Perfectio, Debita proportio & Claritas: Filius habet in se perfectã Naturam Patris, quoad primum: est imago expressa Patris, quoad secundum: est verbum, quod lux est & splendor intellectus quoad tertium.) *vsus* Spiritui S. (vsus quo Pater & Filius se inuicem fruuntur, conuenit cum proprio Spiritus sancti in quantum est amor; vsus quo nos fruimur, cum Spiritus S. proprio similitudinem habet, in quãtum est donum) Quoad *secundam considerationem* Augustinus tribuit Patri *vnitatem*, Filio *æqualitatem*, Spiritui sancto *concordiam seu connexionem* (hæc tria notant vnitatem, sed differenter: vnitas non præsupponit personam aliam; ræqualitas importat vnitatem in respectu ad alterum, connexio importat vnitatem aliquorum duorum, vnde tribuitur Spiritui sancto.) Quoad *tertiam considerationem* Patri tribuitur *Potentia*, Filio *Sapientia*, Spiritui sancto *Bonitas.* (Potentia habet rationem principij, conuenit ergo cum Patre, qui est principium Diuinitatis: Sapientia habet similitudinem cum Filio, in quantum est verbum, quòd nihil aliud quàm conceptus Sapientiæ: Bonitas est ratio & obiectum amoris, conuenit ergo Spiritui sancto.) Quoad *quartam considerationem* Pater est *ex quo*, Filius *per quem*, Spiritus sanctus *in quo*. (EX notat habitudinem causæ efficientis, quæ competit Patri ratione potentiæ. PER notat habitudinem formæ, per quam agens operatur, vt artifex per artem: Ergo appropriatur Filio. IN notat habitudinem continentis, continentur autem res in Deo, in quantum eas sua bonitate cõseruat, bonitas autẽ tribuitur Spiritui S.)

54. Sed enim quod attinet particulas illas ἐξ, διὰ, ἐν, ἐξ, διὰ, ἐν, rectè monet Basilius lib. de Spiritu sancto, *sacram Scripturam liberius illis vsam esse*, nimirum vt omnis inæqualitatis suspicio aboleretur. Pater enim operatur per Filium, *non tanquam per organum seruile, sed vt per naturalem & personaliter subsistentem potentiam.* Damas. lib.1. fidei cap. 9. Particulæ ergo istæ non separant Naturam, sed vnius atque inconfusæ Naturæ proprietates & officia designant, vt loquitur Nazianzenus.

CAPVT

CAPVT X.

De consectariis ex reali personarum discrimine deductis.

Opera Trinitatis ad intra sunt diuisa.

55. Propter verum & reale personarum discrimen dicitur in Regula Theologica: Opera Trinitatis ad intra sunt diuisa, hoc est, suæ quæque personæ propria, non autem omnibus communia. Videtur autem vox diuisionis aliquando incommodior. Vt enim personarum Trinitas nullam introducit diuisionem (Bernh. 5. de consid. col. 1048. *Numerus essentiam non partitur.* Damascen. 3. de orth. fid. c. 5. *Numerus non est causa diuisionis, sed determinat multitudinem*) ita etiam in operibus ad intra propriè loquendo nulla est cogitanda diuisio: Filius ita est à Patre genitus, vt tamen non sit extra Patrem, sed *in Patre*, & *in sinu Patris*. Ioh. 1. v. 8. c. 14. v. 10. Genitus est Filius ἀϊδίως. Damasc. lib. 1. orth. fid. c. 8.

56. Sensus autem regulæ est satis perspicuus; nimirum quòd opera, quæ Deus facit extra omnem creaturam, intra seſe non sint communia tribus personis, sed vnius tantùm personæ propria, sic Patris proprium est generare; Filij genitum esse, Spiritus S. ab vtroque procedere. Proinde, quando diuinitas intra se describitur, assignanda est sua cuique proprietas, suus ordo, ne personarum confusio introducatur. Vide D. Luth. de vlt. verb. Dauid. tom. 8. Ien. p. 165.

Quale discrimen inter essentiam & proprietatē personalem in quolibet persona.

57. Diximus, verum & reale discrimen intercedere personis ad inuicem, quærat ergo aliquis, quale sit discrimen inter essentiam & proprietatem personalem in qualibet persona? Hac de re ita disputant *Scholastici*: Contradictio est mediū arguendi distinctionem, vt quandocunque de aliquibus dicuntur prædicata contradictoria, ipsa sint distincta & aliqua ratione non eadem: Iam verò essentia & ἀγεννησία in persona Patris ita se habent, vt contradictoria de eis prædicentur, siquidem essentia est communicabilis, sed ἀγεννησία incommunicabilis. Ergo sunt aliqua ratione distincta. Gerson proinde statuit, *essentiam & relationem distingui realiter*. Thomas *statuit intercedere distinctionem rationis*. Biel 1. sent. dist. 2. q. 11. ex Scoto & Occam. statuit, *distinctionem formalem inter relationem & essentiam*. Quid realis, quid rationis distinctio, notum est, quid autem sit formalis distinctio videtur indigere explicatione.

Distinctio formalis.

58. Disputat ergo Biel distinctionem formalem esse minimam, qu. 1. eam sic describit, *quod oriatur ex distinctione reali, eamque præsupponat, ac ibi tantùm locum habeat, vbi vna res singularis indiuisa est plures res, quarum plurium vna non est realiter alia, & quia hoc solùm conceditur in diuinis, ideò ibi tantùm inueniri distinctionem formalem, non in creaturis.* qu. 11. addit. *Ex distinctione formali essentiæ & relationis non haberi distinctionem realem personarum à priori, sed magis è conuerso: ex distinctione reali personarum & identitate essentiæ cum personis & relationibus inferri distinctionem formalem relationis & essentiæ. Proinde* (inquit) *non est realis personarum distinctio, ideò quia relatio & essentia distinguuntur formaliter* (nam paternitas & spiratio actiua distinguuntur in Patre formaliter, & tamen non constituunt distincta suppositа, quia nec inter se nec à Patre distinguuntur realiter) *sed personæ distinguuntur realiter, quia relationes oppositæ constituentes personas distinguuntur realiter.* Concludit tandem, *Formaliter distingui, nihil aliud est, nisi aliqua idem esse realiter, & tamen de vno illorum aliquid affirmari, quod negetur de alio.* Hæc ille.

Distinctio inter relationem & essentiam.

59. Quid ergo de distinctione inter Relationem & Essentiam est statuendum? Diserte dicimus reale discrimen non intercedere. 1. aliàs persona Patris constitueretur ex duobus realiter distinctis, & sic esset composita. 2. si inter Essentiam & Relationem intercederet discrimen reale, introducerentur Quaternitas. 3. Relationes in diuinis non sunt assistentes seu extrinsecus affixæ, qui fuit error Gilberti Porretani, referente Thom. p. 1. q. 28. art. 2. sed realiter sunt idem cum diuina essentia.

60. Vrges, si relatio est idem realiter cum diuina essentia, quomodo per relationes distinguentur personæ? Respondet Biel 1. sent. dist. 26. q. 1. art. 3. *singulare hoc esse in diuinis, quòd relatio sit idem realiter cum essentia, quod impossibile est inuenire in creatura.* Item, *quòd ipsa relatio sit incommunicabilis, essentia autem, cum qua idem est, verissima identitate reali sit cōmunicabilis*: dist. 2. q. 11. addit, *nos hac in via sufficienter per intellectum non posse capere.* Ne tamen magis præscindere videamur quæstionem, quàm explicare, respondemus: Relationem comparari vel ad id, in quo est, vel ad aliquid extra. Quicquid autem in rebus creatis habet Esse accidentale, secundùm quod transfertur ad Deum, habet Esse substantiale. Sic igitur ex ea parte, qua relatio in rebus creatis habet esse accidentale in subiecto, Relatio in Deo habet Esse essentiæ diuinæ idem omnino ei existens: in hoc verò quod ad aliquid dicitur, non significatur habitudo ad essentiam, sed magis ad suum oppositum. Thom. p. 1. q. 28. art. 2. Ergo relationes etsi sunt realiter idem cum essentia diuina, tamen ratione oppositionis constituunt reale personarum discrimen. Basil. lib. 2. contra Eunom p. 134. *Proprietates ac notæ quasi Charactères quidam & forma in substantia inspectæ, distinguunt quidem, quod commune est appropriatis characteribus, communicationem verò substantiæ non amputant.*

61. Proinde quando immediatè sibi inuicem opponuntur distinctio realis & distinctio rationis, rectè dicitur ex Tho. pa. 1. qu. 39. art. 1. relationem ad essentiam comparatam non differre ab ea re, sed ratione tantùm, siue λόγῳ: Sed si rationis distinctio præcisè sumatur, pro ea quæ à nuda intellectus nostri operatione pendet, rectiùs dicitur formalem inter relationem & essentiam intercedere distinctionem. Formalis enim distinctio est medium inter realem & rationis distinctionem, & vt suprà audiuimus ex Scholasticis, formaliter distingui nihil aliud est, nisi aliqua idem esse realiter, & tamen de vno illorum aliquid affirmari, quod negetur de alio. Essentia & ἀγεννησία in Patre sunt realiter vnum, & tamen præcisâ omni mentis nostræ operatione, conuenit aliquid essentiæ Patris, quod non conuenit proprietati ipsius personali, videl. communicari Filio. Ergo intercedit hîc alia quàm rationis distinctio, nimirum præcisè & strictè hæc vocabula accipiendo. Cum hac responsione coincidit, quod alij dicunt, Essentiam & relationem differre λόγῳ non in sensu philosophico, sed Theologico, cùm sit alius λόγος essentiæ, nempe esse communicabile, alius verò personæ, nempe esse incommunicabile. D. Hütter. Theol. præclarus in prælect. de Deo.

CAPVT XI.

Quibus formulis in mysterio Trinitatis vsi sint veteres.

62. Antequam v. à generali huius mysterij θεωρίᾳ abeamus, ad specialem de singulis personis trā-

ctationem, videtur operæ pretium de his tribus capitibus prius agere. 1. Quibus loquendi formulis prisci Scriptores Ecclesiastici in hoc mysterio vsi sint, & quas declinare & euauere iusserint. 2. An per rationes naturales aliquo modo hoc mysterium cognosci, vel certè per similitudines ex rebus creatis declarari possit. 3. An priscis Philosophis *aliquid de eo* innotuerit.

Loquendi formulæ Patrum de hoc mysterio.

63. Sic ergo neruosè & piè loquuntur Patres. Iustin. in ἐκθ. πίσ. Μονὰς ἐν τρισὶ θεότητι ἡ τριὰς ἐν μονάδι γνωρίζεται. Tertul. aduersus Prax. *Tres in vna Dei essentia personæ diuisionem non admittunt.* Lactantius lib. 4. Inst. cap. 29. *Cùm dicimus Deum Patrem & Deum Filium, non diuersum dicimus, nec vtrumque secernimus, siquidem nec Pater sine Filio nuncupari, nec Filius potest sine Patre generari.* Athanasius in Symb. *Fides Catholica hæc est, vt vnum Deum in Trinitate, & Trinitatem in Vnitate veneremur, neque confundentes personas, neque substantiam separantes.* Lombard. reuerenter allegat verba Præfationis Ecclesiasticæ. *Verè dignum & iustum est, æquum & salutare, nos tibi semper & vbique gratias agere, Domine sancte Pater, omnipotens, æterne Deus, qui cum vnigenito Filio tuo & Spiritu S. vnus es Deus, vnus es Dominus, non in vnius singularitate Personæ, sed in vnius Trinitate substantiæ. Quod enim de tua gloria reuelante te credimus, hoc de Filio tuo, hoc de Spiritu S. sine differentia discretionis sentimus, vt in confessione veræ, sempiternæque Deitatis, & in personis proprietas & in essentia vnitas, & in Maiestate adoretur æqualitas, &c.* Hilar. lib. 8. de Trin. *Pater & Filius vnum sunt, non vnus.* Basil. Ep. 43. ἡ πίστις ἡ τὸ κεχωρισμένον ἐν ὑποστάσει καὶ τὸ συνημμένον ἐν οὐσίᾳ διδάσκουσα (vbi vox κεχωρισμένα per distinctionem, non autem per separationem reddēda est) Nazian. orat. de sacro Bapt. Οὐ φθάνω τὸ ἓν νοῆσαι καὶ τοῖς τρισὶ περιλάμπομαι, οὐ φθάνω τὰ τρία διελεῖν, καὶ εἰς τὸ ἓν ἀναφέρομαι. Ep. 1 ad Cledon. *In Trinitate est alius atque alius, non autem aliud atque aliud:* quod repetit Augustinus 11. de ciuit. Dei cap. 10. 6. de Trinit. c. 7. & alibi passim, vbi maioris perspicuitatis causa addit, *quòd in Trinitate personaliter sit alius atque alius.* Leo ser. 2. Pent. *Beatæ Trinitatis & incommutabilis Deitatis vna est substantia, indiuisa in opere, consors in voluntate, par in omnipotentia, & æqualis in gloria.* Ansh. 1. de fide seu incarna. ad Vrb. Pap. c. 7. *Vnamquamque personam credimus esse hoc, quod est commune tribus, & esse hoc quod proprium est sibi: Persona enim Patris & Deus est, quod commune est illi cum Filio, & Pater est, quod eius proprium est.* Bernh. 5. de consid. col. 1047. *Dicimus vnum, sed non ad confusionem Trinitatis: dicimus tres personas, sed non ad præiudicium vnitatis, &c.*

A quibus formis cauendum esse monuerint.

64. Contrà verò à quibusdam loquendi formulis studiosè cauendum esse monuerunt. Hilarius: *nobis nec solitarius, nec diuersus Deus est confitendus.* Idem. *Patrem & Filium singularem Deum prædicare sacrilegium est.* Athan. *Non sunt tres æterni, nec tres increati, nec tres immēsi, nec tres Domini, &c.* Idem. *In Trinitate nihil prius, nihil posterius, nihil maius aut minus.* Aug. *Non admittatur vel in vnitate separatio, vel in Trinitate permixtio. Trinus dicatur Deus non triplex.* Thom. pag. 1. quæst. 31. artic. 2. *Ad euitandum errorem Arrij, vitare debemus in diuinis nomen diuersitatis & differentiæ, ne tollatur vnitas essentiæ.* (Damascen. vtitur vocabulo differentiæ 1. orth. fid. c. 11. sed Ecclesia non sæpè nec libenter hac voce vtitur, monente D. Chemn. p. 1. loc. p. 105.) *Possumus autem vti nomine distinctionis propter oppositionem relatiuam. Ne tollatur simplicitas diuinæ essentiæ, vitandum est nomen separationis vel diuisionis. Ne tollatur æqualitas, vitandum nomen disparitatis. Ne tollatur similitudo, vitandum nomen alieni & discrepantis. Ad vitandum errorem Sabelli vitare debemus singularitatem, ne tollatur communicabilitas essentiæ diuinæ. Item nomen vnici, ne tollatur numerus personarum. Item nomen confusi, ne tollatur ordo à personis. Nomen solitarij, ne tollatur consortium trium personarum, sed nomen alius non importat, nisi distinctionem suppositi.* Hact. Thom. Rectè dicitur, Pater genuit alium, Pater genuit aliam personam, sed minùs commodè dicitur, Pater genuit alium Deum. Iustinus in Dial. Tertull. adu. Prax. Filium vocant *alium Deum.* Sed id piè exponendum, non autem extendendum; voluerunt dicere aliam personam. Minus commodè Picus Mirand. de Deo canit: *Verè vnum in triplici Numine Numen habes.* Minus cautè Bapt. Mant. *Vnum tria Numina Numen.* Nec satis accommodatè Sedulius: *Vna mens Deitatis forma perennis, Quod simplex triplicat, quodque est triplicabile simplex, &c.* Maior habenda veritatis ratio, quàm versuum.

CAPVT XII.

An Trinitas per rationes naturales inuestigari possit.

65. An verò per rationes naturales assurgere possumus ad hoc mysterium? Videamus animi gratia, quid afferant, qui affirmatè ad quæstionem respondent. Scotus 1. sent. dist. 2. 9. & 10. ita procedit. 1. *In summa Deitatis essentia productior realiter est ponenda.* Probat id hoc modo. *Summè perfecto attribuendum est, quicquid dicit perfectionem, sed fœcunditas dicit perfectionem, quia sterilitas imperfectionem. Esa. vlt.* Ego qui generationem aliis tribuo, sterilis ero? *In diuinis ergo est fœcunditas, & per conseq. etiam productio: & non solum productio alicuius extrà, quia cùm talis non fuerit semper, antequam talis esset, caruisset Deus illa perfectione. Ergo ibi est æterna productio. 2. tantum duæ productiones in diuinis sunt possibiles. 3. Qualitas diuinarum productionum infert Trinitatem suppositorum. 4. Trium diuinorum suppositorū vnum est producens tantùm, alterum producens & productum tantùm, tertium productum tantùm. 5. Personæ producens & producta distinctæ realiter in vna summa Natura identificantur essentialiter. 6. Inter suppositia illa licet nulla sit perfectionis disparitas, aut dignitatis inæqualitas, est tamen inter eas originis ordo & prioritas.*

An mysterium S. Trinitatis sit ratione notum.

66. Has propositiones omnes & singulas ex naturæ lumine probare conatur Scotus, sed cùm ea quæ adducit, sint prolixa & ferè σκοτεινὰ, ideò remittimus lectorem ad Bielem, qui 1. sent. dist. 10. q. 1. latè ea persequitur & impugnat. Raymundus de Sabaude in Theol. naturali à c. 46. vsque ad caput 55. lucem aliquam illis conciliare voluit: Eum ergo audiamus. *Productio mundi de nihilo deducit nos (ait) ad inuestigandam aliam productionem longè nobiliorem & excellentiorem, qua Deus de sua propria Natura producit alium. Sicut homo artifex producit domum de aliena Natura à se & producit etiam hominem de sua propria natura, & hæc productio nobilior est, & magis conueniens homini in quantum homo, quàm illa: sic Deus produxit totum Ens mundi de nihilo, sed hæc productio longè inferior & ignobilior, quàm illa, qua Deus ex sua substantia genuit Filium.* Esse autem in Deo talem productionem de sua natura ita probat. 1. *quia talis productio conuenit Deo in quantum Deus, sed productio illa, quà condidit mundum ex nihilo, conuenit ei in quantum artifex est.* 2. *homini magis placet, quod de sua natura generauit, quàm quod per artem produxit. Si ergo placuit Deo producere mundum de nihilo, multò magis produxit Filiū ex sua substantia.* 3. *Deus est realissimè infinitus, infinitæ virtutis, & summa natura est summè actiuè & summè in actu. Ergo necessariò sequitur, quòd sit in eo productio infiniti, vt sit in eo sūma productio qua non*

possit

possit excogitari maior, &c. Vide, si placet, ibidem plura, nam per aliquot capita hac de re tractat. Adire etiam poteris Ludouic. Viu. libr. 2. de veritat. fid. Christ. cap. 2.

67. Quid ergo de his & similibus probationib. statuendum? *Resp. ex Th.* p.1.q.32.art.1. *Qui nititur naturali ratione probare Trinitatem, dupliciter derogat fidei. 1. quia dignitas fidei est, vt sit de rebus inuisibilibus, quæ rationem humanam excedunt. 2. derogat fidei, quantum ad vtilitatem alios ad eam trahendi, credunt enim infideles, quòd huiusmodi rationibus nitamur, cùm tamen non sint cogentes: quæ ergo sunt fidei, non sunt tentanda probari, nisi per autoritates: apud alios sufficit defendere non esse impossibile, quod fides prædicat.* Eodem sensu scribit Faber in com. super Rich. 1. de Trin. c. 1. *In fide ratiocinationem quærere, est debili oculo vmbraculum subtendere, ne perstringatur ab insigniori lumine. Ergo qui potest absque ratiocinatione illa, quæ sunt fidei, intueri, longè insignius videt & cognoscit, quàm qui rationem efflagitat, & quærit: vt is sincerius Solem agnoscit, quem tantius fulgor non hebetat ex aduerso contuentem, quàm qui vt illum videat, manum visui opponit ac obumbrat.*

68. Distinguendum ergo inter qualescunque declarationes & probationes à posteriori, quibus mysterium hoc in Scripturis prius reuelatum modo qualicunque explicatur & non absurdum esse ostenditur: deinde inter accuratas demonstrationes à priori, quibus istud à nobis vel indagari vel cõprobari posse pernegamus. *Thom.* p.1.q.32.art.1. ita loquitur: *Ad aliquam rem dupliciter inducitur ratio. 1. ad probandum sufficienter aliquam radicem: 2. quæ radici iam positæ ostendit congruere consequentes effectus*: hoc posteriori modo probatur Trinitas, posita enim (id est, ex Scripturis prius comprobata) Trinitate, congruunt hæ rationes.

An mysterium S. S. Trinitatis similitudinibus declarari possit.

69. Disputant Scholastici ex Augustino in omnibus creaturis esse *vestigium* Trinitatis, in anima *imaginem*. Vide Com. super 1. sent. dist. 3. vbi latè hac de re tractant. Aug. 6. de Trin. c. 10. *Vestigium Trinitatis apparet in vnaquaque creatura, secundum quod vnitatem quandam in se ostendit, & speciē & ordinem: Sic in illa Trinitate summa origo est rerum omnium, & perfectissima pulcritudo & beatissima delectatio*: Idem in lib. de vera relig. latius persequitur. Idem 14. de Trin. c. 8. *Ecce mens meminit sui, intelligit se, diligit se: hoc si cernimus, Trinitatem cernimus, nondum quidem Deum, sed imaginem Dei.*

70. *Quæ verò differentia est inter imaginem & vestigium? Resp.* Thom. pag. 1.q.45.art.6. & p.1.q.93.art.6. *Omnis effectus repræsentat suam causam, sed diuersimodè: quidam enim solùm causalitatem causæ, vt fumus ignem, & hæc est repræsentatio vestigij: quidam quantum ad similitudinem formæ eius, vt statua Mercurij Mercurium, & hæc est repræsentatio Imaginis. In creaturis rationalibus est imago, quia processiones diuinarum personarum attenduntur secundum actum Intellectus & Voluntatis: in omnibus autem creaturis est repræsentatio vestigij.* Biel. 1. sent. dist. 3. q. 9. *Imago dicitur quasi imitago, est enim de eius ratione, quod fiat ad imitationem prototypi. Remotiores similitudines creaturæ ad Deum dicuntur vestigium, propinquiores verò Imago.*

71. Referendæ ergo hûc sunt variæ istæ similitudines, quibus veteres in explicatione huius mysterij vtũtur. *Mens* & *notitia* eius & *amor* tria quædam sunt: mẽs enim nouit se & amat se, nec enim posset se amare, nisi se nosceret, ipsa autem mens est quasi parens, notitia eius quasi proles, tertius est amor, qui de ipsa mente & notitia procedit, &c. Aug. 9. de Trin. c. 4. & alibi passim. Tria in Sole considerantur, quod est, quod lucet, quod calet, id est, *Substantia solis, radius & calor.* Vt radius de Sole nascitur, sic Filius de Patre generatur: calor ab vtroque progreditur, sic Spiritus S. ab vtroque spiratur. Ex Tertul. & Aug. Carthod. super Psal. 50. *Patris & Filij vna est substantia, sed ille quasi exuberans fons, hic tanquam defluens ex eo riuus: ille tanquam Sol, hic quasi radius à Sole porrectus, qui à Patre non separatur, sicut nec riuus à fonte, nec radius à Sole.* Lactant. 4. Instit. diu. c. 29. *In igne est species ignis, splendor & calor. Splendor ab igne nascitur, calor ab igne & splendore generatur: Splendor est de igne & tamen sunt coæua, &c.* Augustin. Similitudine ab arcu cœlesti petita vtitur Basil. in Ep. ad Nazianz. vti etiam ex eo Garcæus de Meteor. cap. de Iride: *In Iride sunt tres distincti colores, ita coniuncti, vt quomodo commiscentur vel separantur, discernere nequeas, ita in vna essentia diuina sunt tres distinctæ personæ, inter quas est summa æqualitas, vt vna sine altera esse non possit.* D. Luth. in Coll. mensal. cap. 4. pag. 40. *Herbæ & flores habent formam, quâ significatur Deus Pater: odorem seu saporem, quæ est nota Filij eiusque sapientiæ: vim, vires seu effectus, qui sunt vestigia Spiritus S. eiusque bonitatis: ita licet in omnibus creaturis inuenire Trinitatis vestigium impressum esse.*

72. Non quidem improbamus pium hoc veterum studium, interim tamen monemus, admodum sobriè, circumspectè & reuerenter de hoc summo mysterio philosophandum esse. Vnde illi ipsi, qui talibus similitudinibus vtuntur, dissimilitudines simul notarunt. Vide *August.* 15. de Trin. c. 7. Valdè nobis probatur illud Damasceni 1. de orth. fide c. 9. ἀδύνατον εὑρεθῆναι ἐν τῇ κτίσει εἰκόνα ἀπαραλλάκτως ἐν ἑαυτῇ τὸν τρόπον τῆς ἁγίας τριάδος ἀφράδεν ἐκφαίνουσαν, quod *D. Pelargus* vir doctissimus, ita reddidit: *Fieri non potest, vt in creaturis reperiatur Imago in seipsa immutabiliter diuinæ Trinitatis modum repræsentans.* Et accommodari hûc potest illud *August.* Epist. 3. *Si hîc ratio quæritur, non est mirabile: si exemplum poscitur, non est singulare.* Idem lib. 15. de ciuit. Dei c. 13 *frustra*, ait, *quæris incomprehensibilis rei imagines in rebus creatis.*

CAPVT XIII.

An priscis Philosophis Trinitas fuerit nota.

An mysterium hoc priscis Philosophis notum fuerit.

73. Num verò priscis Philosophis quippiam de hoc mysterio innotuit? Disputant hac de re Mornæ. lib. de verit. relig. Christ. cap. 6. Lud. Viues de veri. fid. Christian. libr. 2. cap. 2. Mut. Pansa. de osc. Christ. & Ethn. Philos. c. 36. & alij complures. Thules Ægypti Rex (referente Suida in Thul.) scisciians de Rege & Deo se potentiore responsum accepit à Serapidis in Ægypto prope Alexandrian Oraculo: πρῶτα θεὸς, μετὰ τοῦτο λόγος, καὶ πνεῦμα σὺν αὐτοῖς: vixque egressus templo à domesticis interfectus est, Deo superbiam vindicante. Vide Neandr. in syn. Chron. p. 50. Platonem mysterium Trinitatis quodammodo perspectum habuisse probare nititur Marsil. Ficinus super 6. Plat. de Repub. ibi enim dicit Plato, *quendam esse Boni ipsius Filium ei simillimum per omnia, bonum verò esse tanquam Solem, Filium autem eius ceu viuendi vim, quam per Solem habemus.* In Epinomide meminit λόγου πάντων θειοτάτου: tertium quoque dicit *ineffabile. Plot.* li. 8. Enneadis 1. cap. 2. dicit, *Bonum ex seipso producere Intellectum, qui non sit qualis humanus, sed habeat in se omnia, sit omnia. &c. Scal.* exerc. 365. sect. 2. de Trinitate ex Aristotele disputat: *Quantò* (ait) *planiùs & plenius diuinus Aristoteles? qui cùm Deum vnum atque simplicissi-*

mum agnoſceret, ita dixit: Deum ſeſe intelligere. Idem igitur erit intelligens, & is, qui intelligitur. Idem inquam & aqualis, &c. Genuit igitur ex ſeipſo, in ſeipſo, ſuipſius intellectionem Deus, eodem modo eandem & æqualem ſibi, quia non intelligit per ſpeciem, ſed per ſuipſius præſentiam, &c. Ergo cùm ſe intellexit bonum, primum, immenſum: & intellectionem eiuſdem quoque modi: ſpirat ergo ipſum amorem vtique æqualem, atque reciprocum, ſine vllo recurſu tamen, ab ipſa intellectione.

Niphus in comm. ſuper 1. Ariſtot. de cœlo tex. 2. dicit, *Ariſtotelem ideò celebrare ternarium, illumque à Natura, hoc eſt, à Deo habitum dicere, & quaſi legem hominibus datum, vt Trinitatis myſterium innuat*, quo ſenſu etiam locum hunc Ariſtotelis adducit Viues in ſcholiis ſuper 10. de ciu. Dei cap. 23. Quid, quod ipſe Aug. dicit lib. 7. Confeſſ. cap. 9. *ſe principium Euangelij Iohannis in libris Platonicorum legiſſe*, Iuſtinus in Apol. audacius: λόγου ἀπὸ μέρος *notum fuiſſe Socrati*. Pertinet huc, quod Barthol. Georgieuiz in lib. de Turc. morib. cap. 4. refert, Muſulmannos in omni operis principio vti tribus hiſce verbis, eaque ſingulis capitulis Alcorani haberi propoſita, eadem præmittere cùm aſſident menſæ, cùm abluunt manus & eunt ad orationem, lotione peracta ter eadem repetere: *Biſem Allahe, el Rahmane, el Ruoahim. In nomine Dei, Miſericordiæ & Spiritus eorum.*

74. *Quid ergo hac de re ſtatuendũ? Reſp.* Quicquid in Philoſophorum ſcriptis de hoc myſterio legitur, vel ſimile tantùm quippiam & neutiquam idem eſt, (vt annotauit *Thom.* p. 1. quæſt. 32. *Si quid de Filio dicebant*, ait Ludou. Vic. lib. 2. de verit. fid. Chriſt. c. 2. *loquebantur magn. quàm quid loquerentur ſciebant vel intelligebãt*) vel ex ſcriptis Prophetarum & præſertim Moſis, qui vniuerſis Philoſophis antiquior fuit, id collegerunt, & quaſi ſuffurati ſunt. Euſeb. lib 9. de præpar. Euang. cap. 3. aſſerit ex Clearchi Peripatetici libro de ſomno, *Ariſtotelem multa à Iudæo quodam edoctum fuiſſe.* Franc. Georg. in Harm. Mundi Cantico 1. tom. 1. c. 1. in fine ſcribit, ſe in Hebræorum monumentis ſcriptum inueniſſe, *Ariſtotelem ad Iudæorum loca nauigaſſe, ſuaſum ex Platonis Epiſtolio in Iſraëlitarum Sapientum commendationem conſcripto.* Quod Priſci Græcorum Philoſophi ad Ægyptios, Chaldæos, Phœnices & Hebræos diſcendi cauſa profecti ſint, vnanimi conſenſu reſtantur Diodorus li. 2. Hiſt. c. vlt. Laërt. in vit. Philoſ. Euſeb. li. 10. de præpar. Euang. cap. 2. lib. 9. c. 3. Cyrill. Alex. 1. contra Iulian. Iuſt. Apolog. 2. pro Chriſt. Origen. 1. cont. Celſum. Aug. 18. de ciu. Dei c. 36. Lactant. 4. Inſt. c. 6. & 7. &c.

CAPVT XIV.

Errores doctrinæ de Trinitate oppoſiti.

ἔλεγχος *falſa de Myſterio Trinitatis doctrina.*

75. Expoſita eſt hactenus orthodoxa de myſterio Trinitatis ſententia; videamus erroneas aliorum ſententias, vel potius horribilem Diaboli furorem contra hanc fidei Chriſtianæ acropolin. Rabanus lib. 4. de ſer. propr. c. 10. voluit, hæreſes contra hunc articulum excitatas breuibus complecti. *Nihil* (inquit) *creatum aut ſeruiens in Trinitate credendum, vt vult Dionyſius, fons Arij: nihil inæquale, vt Eunomius: nihil gratia æquale, vt Aëtius: nihil anterius poſteriuſve, aut minus, vt Arius: nihil extraneum aut officiale alteri, vt Macedonius: nihil ſurreptione, aut perſuaſione inſertum, vt Manichæus: nihil corporeum, vt Melito & Tertullianus: nihil corporaliter effigiatum, aut antropoforme, vt Vadianus: nihil ſibi inuiſibile, vt Origenes: nihil creaturis viſibile, vt Fortunatus: nihil motibus vel voluntate diuerſum, vt Marcion: nihil Trinitatis eſſentia ad creaturarum Naturam deductum, vt Plato & Tertullianus: nihil officio ſingulare, nec alteri communicabile, vt Origenes: nihil confuſum, vt Sabellius: ſed totum perfectum, quia totum ex vno: & vnum, non tamen ſolitarium, ſicut Silianus, & Praxetes: ὁμοούσιος ergo in diuinitate Patri Filius, ὁμοούσιος Patri & Filio Spiritus ſanctus.*

76. Damnati ergo ſunt & meritiſſimè damnantur Iudæi recentes, Praxeas, Sabellius, Samoſatenus, Noëtiani, Patripaſſiani, Photiniani, Mahometiſtæ, Michaël Seruetus, Anti-Trinitarij, qui vt vnam tantùm eſſentiam, ita & perſonam in diuinitate ſtatuũt. Ex horum, vt etiam Arij, cineribus excitati ſunt Neoterici Samoſateniani in Polonia, qui Catecheſin ſuæ doctrinæ non ita pridem Racouiæ anno 608. in publicum ediderunt, quorum argumenta examinabimus ſuo loco. *Samoſat.*

77. Praxeas circa annum Domini 200. dixit, tantùm vnam eſſe perſonam diuinitatis, ſed alio atque alio reſpectu eam nunc Patrem, nunc Filium, nunc Spiritum S. dici, ſicut idem & vnus Deus, nunc bonus, nunc ſapiens, nunc iuſtus dicitur. *Plura ſunt nomina*, dicebat, *nec tamen plures perſonæ.* Contra hunc extat ſcriptum *Tertulliani*, in quo ſtatim in principio ita ſcribit de Praxea. *Iſte primus ex Aſia hoc genus peruerſitatis intulit Romanæ humo, & aliàs inquietus: inſuper de iactatione Martyrij inflatus, ob ſolum & ſimplex & breue carnis tædium, &c.* Ibidem dicit, *quòd Praxeas Romæ Patrem crucifixerit*, id eſt, quod docuerit, ipſum Patrem deſcendiſſe in virginem, ipſum ex ea natum, ipſum paſſum, denique ipſum eſſe Ieſum Chriſtum, vt paulò ſuperiùs exponitur. Subiungit autem Tertull. *Nos ſemper & nunc magis vt inſtructiores per Paracletum, deductorem ſcilicet omnis veritatis, vnicum quidem Deum credimus, ſub hac tamen diſpenſatione, quam* οἰκονομίαν *dicimus, vt vnici Dei ſit & Filius Sermo ipſius, qui ex ipſo proceſſerit, per quem omnia facta ſunt, & ſine quo factum eſt nihil: hunc miſſum à Patre in virginem, & ex ea natum hominem & Deum, Filium hominis & Filium Dei, & cognominatum Ieſum Chriſtum. Hunc paſſum, hunc mortuum & ſepultum ſecundùm Scripturas, & reſuſcitatum à Patre, & in cœlo reſumtum, ſedere ad dextram Patris, venturum iudicare viuos & mortuos. Qui exinde miſerit ſecundùm promiſſionem ſuam à Patre Spiritum ſanctum paracletum, ſanctificatorem fidei eorum, qui credunt in Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum. Hanc regulam ab initio Euangelij decucurriſſe, etiam ante priores quoſq; hæreticos, nedum ante Praxean heſternum, probabit tàm ipſa poſteritas omnium hæreticorum, quam ipſa nouellitas Praxeæ heſterni, &c.* *Praxeas.*

78. Sabellius circiter Ann. Domini 260. ſub Valeriano docuit, in vna ſubſtantia diuinitatis eſſe tria nomina ſeu nomenclaturas, non autem tres diſtinctas perſonas. Sicut in vno homine eſt corpus, anima & Spiritus: ſic in Deo quoque eſſe Patrem, Filium & Spiritum ſanctum, qui tamen non niſi ratione diſtinguantur. Auguſt. & Philaſtr. in Catal. hæret. hiſt. Eccleſ. lib. 10. cap. 19. Epiph. to. 1. lib. 2. hæreſ. 62. Auguſtini verba hæc ſunt: *Sabelliani à Noëtio defluxiſſe dicuntur: nam & diſcipulum eius quidam perhibent fuiſſe Sabellium. Sed qua cauſa Epiph. duas hæreſes computet, neſcio, cùm fieri potuiſſe videamus, vt fuerit Sabellius iſte famoſior, & ideò ex illo celebrius hæc hæreſis nomen acceperit. Noëtiani enim difficillimè ab aliquo ſciuntur, Sabelliani autem ſunt in ore multorum. Nam & Praxeianos à Praxea quidam vocant, & Hermogeniani vocari ab Hermogene potuerũt qui Praxeas & Hermogenes eadem ſentientes in Africa fuiſſe dicuntur. Nec tamen iſtæ plures ſectæ ſunt, ſed vnius ſectæ plura nomina ex his hominibus, qui in ea maximè innotuerunt, ſicut Donatiſtæ, iidem Parmenianiſtæ: ſicut Pelagiani, iidem Cœleſtiniani.* *Sabellius.*

79. Noëtus

79. Noëtius Sabellij Præceptor referente Epiphanio, tom. 7. lib. 2. contra hæreses, hær. 57. p. 208. in Græco docuit, τὸν πατέρα πεπονθέναι. p. 209: τὸν αὐτὸν πατέρα ὄντα, καὶ τὸν αὐτὸν υἱὸν, καὶ τὸν αὐτὸν πεποιθότα, vnde dicit Epiph. ibid. quòd fuerit nomine Νόητος, αὐθεντικῶ δὲ μᾶλλον τῇ δυνάμει, καθάπερ αἱ θεῖαι γραφαὶ πάντας τοὺς πεπλανημένους διελέγχουσι. Tribuit erroris fontem ibidem τύφῳ καὶ ἀβροσύνῃ, ex qua sese dixerit Mosen, fratrem autem suum Aaronem, &c.

Samosat. 80. Paulus Samosatenus sub Aureliano circa An. 207. Episcopus Antiochenus docuit vnum esse Deũ & in Deo semper esse ipsius Verbum & Spiritum ipsius, nec tamen Verbum nec Spiritum esse ὑποστατικὸν. Epiph. lib. 2. contra hæres. tom. 2. hæres. 65. latè persequitur eius historiam & doctrinam. pag. 262. Ἀπὸ Σαμοσάτων ἦν ἦρξε δὲ ὅτι τὰ μέρη τῆς Μεσοποταμίας καὶ Φράατα, ὃς ἐν τούτῳ τῷ χρόνῳ ἐν ἡμέραις Αὐρηλιανοῦ καὶ Πρόβου ἦρξε βασιλέων, ὅτε ἦρξε Ἀντιοχέων καθίσαι τὸν ἐπίσκοπος τῆς ἁγίας Καθολικῆς ἐκκλησίας. Et postea. φάσκει δὲ ὅτος θεὸν Πατέρα καὶ υἱὸν καὶ ἅγιον πνεῦμα ἕνα θεὸν· ἐν θεῷ ὄ ἀεὶ ὄντα τὸν αὐτὸ λόγον καὶ τὸ πνεῦμα αὐτοῦ, ὥσπερ ἐν ἀνθρώπῳ καρδίαν ὁ ἴδιος λόγος, μὴ εἶναι ὄ τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ ὑπόστασιν, &c. Vide ipsum Epiphanium. *Augustin.* de hæres. ad Quodvultdeum. *Paulum à Paulo Samosateno Christum non semper fuisse dicunt, sed eius initium, ex quo de Maria natus est, asseuerant, nec eum aliquid amplius quàm hominem putant. Ista hæresis aliquando cuiusdam Artemonij fuit, sed cum defecisset, instaurata est à Paulo, & postea sic à Photino confirmata, vt Photiniani quàm Pauliani celebrius nuncupentur.*

Praxeu.

Patripassiani. Photinus. 81. Patripassiani sunt ipsi Sabelliani & Noëtiani, sicut ex descriptione Epiphanij & Augustini apparet. Photinus circa an. Christi 345. renouauit damnatam Samosateni hæresin, & asseruit Deum solitarium esse, Christum in Maria cœpisse, &c. Epiphanius lib. 3. contra hæres. tom. 1. hær. 61. pag. 337. in Græco. Ὅμοια καὶ ἐπέκεινα τῷ Παύλῳ τῷ Σαμοσατέως διατεινομένος τῷ ὑῷ τῷ θεῷ, &c. φάσκει ὄ ὅτος, ἀπ' ἀρχῆς τὸν χριστὸν μὴ εἶναι, λόγο ὄ Μαρίας καὶ δεῦρο αὐτὸν ὑπάρχειν, ἐξότε φησὶ τὸ ἅγιον ἐπῆλθεν ἐπ' αὐτὸν, &c. *Augustin.* ex Philastr. de hæres. dicit. *Photinum in omnibus Pauli* (Samosateni) *secutum fuisse doctrinam.*

Seruetus. 82. Michaël Seruetus Hispanus superiori seculo idem docuit, quod veterum illorum hæreticorum sentina, vnam scilicet esse tantùm personam diuinitatis, quæ alio atque alio modo se repræsentet generi humano, & illos repræsentationis modos principales tres esse, Patrem, Filium & Spiritum sanctum. Anno 1555. Geneuę propter blasphemias publico Senatus decreto est exustus. Impudenter affirmauit, *etiam veteres Ecclesiæ Doctores secum sentire.* Institutus autem est Seruetus in Academiis Mahometicis in Numidia, non vt Bellarm. sine fronte scribit præfat. controu. de Christo *in Scholis Lutheranorum.* Notum enim est, quod Philippus publico scripto Venetos ab hoc monstro præmonuerit. Secuti sunt Seruetum Georgius Blandrata, Paulus Alciatus, Lælius Sozinus, Franciscus Dauidis, & reliqui Neo Samosateniani, in Polonia & Transyluania, quorum argumenta vel potius blasphemias, quas in nupero suo scripto euomunt, breuiter examinabimus.

Sabellius.

Neo-samosateni anorum argumentorum refutatio. I.

83. *Quia vnica tantum numero est diuina essentia* (dicunt pag. 37.) *ideò non possunt in ea esse tres distinctæ personæ, siquidem persona nihil aliud est, quam intelligens induuidua substantia. Resp.* 1. Vtrumque asserit Scriptura, vtrumque igitur acceptandum est, etiamsi ratio nostra illud non assequatur. Repetenda ergo hoc loco regula, quam in disputatione de Scripturæ Interpretatione proposuimus & immotis argumentis comprobauimus. Si veritas alicuius dogmatis in propriis & perspicuis scripturarum locis confirmata extat, non sunt audienda contra eam argumenta philosophica, quantumuis speciosa sint & plausibilia. Nec fidei articuli sibi inuicem sunt opponendi, vt propter diuinæ essentiæ vnitatem negetur personarũ Trinitas, vel propter personarum Trinitatem diuinę Essentiæ vnitas negetur. Scriptura vnum tantùm esse Deum pronunciat, eadem Patri, Filio & Spiritui sancto diuina nomina, attributa, & opera, diuinũ etiam cultum tribuit. Ergo nos tres vnum esse Deum pronunciat: in hac simplicitate mens Christiana tutissimè acquiescit. 2. Nec dicimus eodem respectu Deũ esse vnum & trinum, sed Deum in essentia vnum esse, & in personis trinum. Nec essentia est quarta quædam substantia extra tres illas personas subsistens, sed tres illæ personæ nihil aliud sunt, quàm vna numero diuina essentia; tribus illis proprietatibus personalibus non essentia multiplicatur, sed personæ distinguuntur. 3. Similitudinibus ex Natura petitis mysterium hoc adumbrare, vt non omninò prohibemus, ita iudicamus aduersariis veritatis calumniandi ansam præscindi omnem, si ex solis Scripturis sacris de hoc mysterio reuerenter disseramus, ea enim quæ ὑπὲρ λόγον, ὑπὲρ νοῦν, ὑπὲρ κατάληψιν posita, adoranda potius sunt quàm ventilanda. *Vbi quæritur vnitas Trinitatis, nusquam periculosiùs erratur, nec laboriosiùs aliquid quæritur, nec fructuosiùs inuenitur.* Aug. 1. de Trin.

84. Pergunt pag. 48. *confessione Trinitatis labefactari fidem de Dei vnitate. Resp.* minimè verò, quia τρόποι ὑπάρξεως non tollunt vnitatem essentiæ, vna & eadem numero essentia est in Patre, Filio, & Spiritu sancto. Ergo Pater, Filius & Spiritus Sanctus non sunt plures Dij. Si pars vna essentiæ statueretur esse in Patre, pars altera in Filio, pars tertia in Spiritu S. tolleretur Dei vnitas, iam verò propter eius immensitatem & infinitatem tota illa essentia diuina est in Patre, tota in Filio, tota in Spiritu S. Quando ergo dicitur, Persona est substantia individua, intelligens, incommunicabilis, &c. Tres sunt in diuinis personæ. Ergo tres substantiæ siue essentiæ, negandum est consequentia, quia propter essentiæ infinitatem & immensitatem, quælibet persona diuinitatis totam & perfectam in se habet diuinitatem, siue est verus & perfectus Deus, nec in Patre & Filio simul est perfectior Deitas, quàm in solo Patre, siquidem Patris & Filij vna est Deitas, vna essentia, æqualis gloria, coæterna maiestas.

85. Obiiciunt vlterius ibid. *per doctrinam de Trinitate obscurari gloriam vnius Dei, qui est solus Pater Domini nostri Iesu Christi. Resp.* imò verò infelicissimo errore putant se non posse ad Patris gloriam, nisi per Filij contumeliam peruenire, cùm tamen Filius sit ἀπαύγασμα δόξης καὶ χαρακτὴρ ὑποστάσεως τοῦ Πατρὸς. Heb. 1. v. 3. ac disertè dicat, Ioh. 5. v. 23. *Omnes ita debere honorare Filium, vt honorant Patrem, cùm is qui non honorat Filiũ, nec Patrem honoret.* Patebit id liquidissimè, si definitionem Dei Patris ex Scripturis extructam consideremus. Deus Pater est prima persona Trinitatis, ab æterno gignens Filium sibi ὁμοούσιον & vnà cum eo spirans Spiritum sanctum, cum vtroque creans & conseruans omnia, mittens Filium Redemtorem & Spiritum sanctum sanctificatorem. Iam verò in Antichristi negant definitionem Patris, vtique ergo negant ipsum Patrem & à verò Deo aberrant. Rectè Ignatius Ep. ad Antioch. *Quisquis vnum & solum annunciat Deum, vt tollat Christi diuinitatem, est*

Diabolus & inimicus omnis iustitiæ. Referunt Eusebius & reliqui Ecclesiasticæ Historiæ scriptores memorabilem de Amphilochio Historiam, quæ hûc non incommodè refertur. Amphilochius *sanctitatis laude vir clarus & orthodoxæ fidei defensor acerrimus, accessit aliquando Theodosium magnum, ab eoque petiit, vt Arrianos ex Ecclesia eijceret, sed initio nihil impetrauit: non multò post, cùm eiusdem rei causa supplex ad Imperatorem rediret, & forte illi Arcadius filius astaret, salutauit Theodosium submisse & suppliciter, Arcadio verò nullum exhibuit honorem. Cumque Imperator Theodosius vel negligentia vel ignorantia id factum esse ratus, Amphilochium moneret, hunc Arcadium suum esse filium ideoque parem ipsi honorem deberi, subiecit Amphilochius: non ignoro Imperator, hunc esse filium tuum, sed nolo eundem ipsi deferre honorem; animaduertens porrò hoc dicto offensum esse Imperatorem, statim addidit: indignè fers, Imperator filium tuum non eodem honore & reuerentia submissionis à me affici, quam tibi defero? at quo Deum Patrem cœlestem in te credu esse animo, quod filio eius vnigenito non eandem gloriæ & maiestatis dignitatem cum Patre tribuas, cùm æqualis sit ipsorum gloria?*

86. Subiiciunt ibidem *per nostram de Trinitatis mysterio doctrinam viam salutis facilè subuerti posse, cum negemus, absque ea intelligi posse οἰκονομίαν & dispositionem salutis nostræ, quomodo Pater per Filium Redemtorem & Spiritum Sanctificatorem eam in nobis operetur.* Resp. Agnoscimus grata fidei obedientia, quòd in admirando Spiritus S. Trinitatis decreto Filius constitutus humani generis Mediator & Redemtor, per quem amissa bona iterum nobis repararentur, quodque Spiritus sanctus beneficia à Filio parta per Verbum & Sacramenta nobis offerat, ac fidem in cordibus nostris operetur, per quem beneficiorum Christi & salutis reddamur participes; hoc mysterium (vt dixi) grata fidei obedientia agnoscimus, at quomodo salutis via per illud subuertatur, videre haudquam possumus: quinimò ad officium Mediatoris & Redemtoris diuinam filij Naturam necessariò requiri diserte dicimus, qua de re suo loco dicetur vberiùs. At hi Antichristi biparentes aperiunt portas totam Christiani religionem abnegandi: quod si namque mysterium Trinitatis propterea negandum est, quia ratio nostra ad illud assurgere nequit, sequetur, omnes fidei articulos, qui rationis nostræ κατάληψιν excedunt, negandos esse: & sanè suo nos docent exemplo, quàm periculosum sit ex sacra illa fidei catena & vnum remouere articulum, siquidem quàm graues quamque horribiles furores in suo illo Anti-Trinitario libello proferant, suo exponetur loco.

87. Denique addunt, *confessionem Trinitatis esse paganis non mediocre impedimentum, quò minùs ad nos accedant.* Respon. loquuntur eodem impulsi Spiritu, ex quo Pater ipsorum Seruetus dicebat, *facilimè conciliationem institui posse inter Alcoran Mahometi & doctrinam Ecclesiæ, si modò articulus de Trinitate tolleretur: & maxima commoda, quæ ex coniunctione illa exoritura essent, impediri: attrahi verò tristissimas vastationes regnorum pertinaci illius articuli defensione.* At maledicta sit omnis contra Dei honorem & veritatem concordia: Abeant *Musulmannizantes* illi ad progeniem Arrij, Mahometem: secuti hac in parte *Neuserum, Alciatum* & alios suos complices, vt Ecclesia pestibus & carcinomatis istis tandem liberetur. *Conseruet nos in veritate, & gloriam suam contra hos aduersarios suos asserat Dei & Mariæ Filius Iesus Christus, qui cum Patre & Spiritu sancto est vnus verus Deus in æternum benedictus.*

DE DEO PATRE, ET ÆTERNO EIVS FILIO.

I.

EGIMVS hactenus de summo SS. Trinitatis mysterio generali quadã theoria: superest, vt de singulis personis seorsim agamus, vbi cuiusque personę 1. Vera Deitas. 2. Personalis proprietas, & 3. Discrimen personale erit exponendum. Numerantur autem personæ Trinitatis, hoc ordine, vt prima sit Pater, secunda Filius, tertia Spiritus sanctus. Matth. 28. versic. 19. *Pater* est persona prima non ratione temporis (quia tres personæ sunt ὁμαιώνιοι) nec ratione Naturæ seu essentiæ (quia sunt ὁμοούσιοι) nec ratione dignitatis (quia sunt ἰσότιμοι) sed ratione originis siue productionis. *A Patre existunt, Filius & Spiritus sanctus, sed non post illum,* ait Grægor. Nazianzenus ;. de Theol. *Filius & Spiritus sanctus habent principium originale, non initiale.* Biel. 1. sent. dist. 31. q. vn.

Ordo personarum Trinitatis.

Personæ proprietas Patris.

2. Patrem esse primam personam facilè patet, quia à nullo est, & quia est origo Trinitatis, gignendo Filium, & vna cum Filio spirando Spiritum sanctum. Quia verò ab æterno genuit Filium sibi ὁμοούσιον, ideò nec tempore prior Filio (aliàs non esset Patri ὁμοούσιος.) *In hac Trinitate* (dicit Athanasius in Symbol.) *nihil prius aut posterius, nihil maius vel minus.* Disputat quidem Thomas pag. 1. q. 42. art. 3. esse in diuinis *ordinem Naturæ*, eumque ita explicat, *quòd sit ordo secundum originem absque prioritate:* sed quia Natura Dei sumitur pro essentia diuina, & verò in tribus personis sit vna numero diuina essentia, ideò dicendum est, quòd in personis sit ordo secundùm originem, non autem Naturam.

Argumentum contra personalẽ proprietatem Patris.

3. Posset tamen pro defensione Thomæ (qui in hac parte sequitur quosdam veterum) dici, nomen Naturæ sumi tripliciter: 1. *Pro rei generatione seu nativitate.* 2. *Pro principiis intrinsecis seu essentia cuiusq; rei.* 3. *Pro qualitatibus rei naturalibus.* Vid. Arist. 4. Metaph. c. 4. Lactant. lib. 2. Instit. diu. c. 9. Zanch. 2. de Nat. Dei c. 1. q. 1. Ergo Pater est prima persona ordine Naturę, si accipiatur hoc nomen in prima significatione; secùs, si in secunda significatione vsurpetur. Sed propter ambiguitatem & hæreticorum insidias, tutius est ordinem originis, non Naturæ istum in personis Trinitatis ordinem appellare.

CAPVT I.

De vera Patris Deitate.

Patrem esse verũ Deum.

4. Patrem, hoc est, primam personam Trinitatis esse verè Deum, facili negotio ex sacris literis demonstrari potest, quæ tribuunt ipsi 1. *Nomen Dei*, quò pertinent omnia, illa Scripturæ testimonia, quæ secundam Trinitatis personam vocant *Dei Filium*, & tertiam personam Dei *Spiritum*. 2. Attributa *diuina*, quò pertinent omnia Scripturæ testimonia, quæ vnum verum Deum æternum, omnipotentem, omniscientem, &c. prædicant, nulla enim specie negari potest, Patrem, qui est fons Trinitatis, in testimoniis istis intelligi debere, nec fuit hoc vnquam negatum

tum ab vllis, qui confessi sunt vnum Deum. Referenda hûc sunt argumenta, quæ pro asserenda Patris Deitate ex proprietate personali & relationibus deducuntur. Pater à nullo est, non factus, nec creatus, nec genitus; vtique ergo est verus Deus: Filius, qui à Patre ab æterno est genitus, verus Deus est: Spiritus sanctus qui à Patre & Filio ab æterno procedit, est verus Deus. Vtique ergo Pater est verus Deus: ideò enim & inde Filius est verus Deus, quia Pater per æternam generationem Filio suam diuinam essentiam communicat. Spiritus sanctus ideò, & inde est verus Deus, quia Pater & Filius per æternam spirationem suam diuinam essentiam Spiritui S. cõmunicant. 3. Opera diuina, videlicet creationem. Gen. 1. v. 3. Prou. 8. v. 22. Hebr. 1. v. 2. conseruationem, missionem Filij ad opus redemtionis, effusionem Spiritus sancti, &c. 4. Cultum diuinum, quò pertinent omnia Scripturæ testimonia, in quibus iubemur Deum timere, ipsi confidere, ipsum inuocare, in nomine eius baptizari, per nomen eius iurare, &c.

CAPVT II.

De personali proprietate Patris.

Personalis proprietas Patris.

5. Personalis proprietas Patris, est ἀγεννησία: quòd sit ingenitus; Scholastici vocarunt *innascibilitatem*. Basil. lib. 1. contra Eunom. *Hæc est ingeniti significatio, non habere aliunde principium.* Proinde licet vocis sono hic terminus videatur esse negatiuus, tamen (quod & supra monuimus) reuera aliquid affirmat, videlicet Patrem esse à seipso. Ex quo patet, *quid respondendum sit ad argumentum: Quod Patri commune est cum Spiritu sancto, non potest esse personalis proprietas Patris. Ingenitum esse, Patri commune est cum Spiritu S. cùm & is à Patre & Filio sit non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens. Ergo ingenitum esse, non erit personalis proprietas Patris.* Resp. Tollēda est ambiguitas. Pater cùm dicitur ἀγέννητος, denotatur ἀρχὴ οὐ πάρχεως ipsi proprius, quòd videlicet à nullo sit, nec factus, nec creatus, nec genitus, nec procedens, idque soli Patri conuenit, non Filio (qui à Patre genitus est) nec Spiritui sancto (qui à Patre & Filio procedit.) Quando verò Spiritus sanctus dicitur ingenitus, nõ asseritur ipsum esse à nullo [quia est à Patre & Filio per æternam processionem] sed negatur ipsum esse ex alio per determinatum istum modum generationis [est enim à Patre & Filio non per generationem, sed per processionem.] Propterea quamuis rectè dicatur, quod Spiritus S. non sit genitus, tamen accuratè loquendo ἀγέννητον εἶναι ipsi non debet tribui, quia Deitas non est in ipso ἀγεννήτως.

Argumentũ contra personalẽ proprietatem Patris.

6. Cum hac proprietate personali Patris realiter vnum est relatio illa, qua ad Filium refertur videlicet Generatio; & relatio illa, qua ad Spiritum sanctum refertur videlicet spiratio. Pater enim ita est à nullo, vt ab ipso sit Filius per æternam generationem, & Spiritus sanctus per æternam processionem. Talis ergo ex Scripturis emerget descriptio Dei Patris. Deus Pater est prima persona Trinitatis, qui à nullo est factus, nec creatus, nec genitus, nec procedens, ab æterno gignens Filium sibi ὁμοούσιον, & vna cum eo spirans Spiritum sanctum, cum vtroque creans & conseruans omnia, mittens Filium Redemtorem, & Spiritum sanctificatorem.

7. Referenda ergo hûc sunt omnia Scripturæ testimonia, 1. quæ de æterna Filij generatione, eiusque missione in tempore agunt. 2. quę de æterna processione Spiritus sancti eiusque missione in tempore agunt, de quibus postea suo loco fusiùs agemus. Si quæras, cur missionem Filij & Spiritus sancti cum æterna Filij generatione & Spiritus sancti processione coniungamus? Resp. August. de Trin. cap. 5. *Pater à nemine mittitur, quia à nemine est.* 4. de Trin. c. 21. *Non ideò arbitrandum est, minorem esse Filium, quòd missus est à Patre, nec ideò minorem Spiritum sanctum, quòd & Pater eum misit & Filius. siue enim propter visibilem creaturam, siue potiùs propter principij autoritatem vel commendationem, non propter inæqualitatem vel imparilitatem vel dissimilitudinem substantiæ in Scripturis hæc posita intelliguntur.* Hinc Scholastici: missio in sui ratione importat processionem ab alio & in diuinis secundùm originem. Pater autem non est ab alio. Thom. p. 1. q. 43. ar. 4. *mitti dicit processionem temporalem connotando æternam, duæ ergo solum personæ mittuntur, quia duæ tantùm producuntur.* Biel. 1. sent. dist. 15. q. vn.

Patris nomẽ & ἐπιούσιος & ὑπερούσιος vsurpatur.

8. Obseruandum hoc loco, nomen Patris [perinde vt & nomen Dei] sumi in Scripturis vel ἐπιούσιος vel ὑπερούσιος. Si ἐπιούσιος accipitur, competit toti Trinitati, vni verò Deo, qui ratione creationis & conseruationis Pater est omnium, specialiter autem ratione adoptionis & paterni affectus, est Pater credentium. Si verò ὑπερούσιος accipitur, [id, vbi fiat, ex eo colligi potest, quando nominatim fit mentio secundæ personæ videlicet Filij à Patre ab æterno geniti] tùm soli primæ personæ conuenit. *Breuiter*, quando diuinitas intra se describitur, nomen Patris sumitur ὑπερουσίως: quando verò fit collatio diuinitatis ad creaturas, nomen Patris sumitur ἐπιουσίως & complectitur singulas tres personas.

Cur primæ persona Pater dicatur.

9. Dicitur ergo prima persona Pater, quia est fons & origo Trinitatis, ideoque nomen Patris non designat tantùm relationem ad Filium, sed etiam ad Spiritum sanctum, sicque connotat spirationem diuinam, quia Pater ab æterno spirando producit Spiritum sanctum: quia à prima procedit Filius per generationem, Spiritus sanctus per processionem, ideò & inde prima persona dicitur Pater. Scholastici tamen paternitatem intelligunt de sola relatione ad Filium, Thom. p. 1. q. 33. art. 4. *Pater innotescit paternitate & communi spiratione per respectum ad personas ab eo procedentes: in quantum autem est principium, non de principio, innotescit per hoc, quod non est ab alio, quod pertinet ad proprietatem innascibilitatis.*

Pater quo sensu dicatur principium.

10. Eodem sensu videlicet ratione relationis ad Filium & Spiritum S. Patri tribuitur nomen principij. *Nomen principij significat id, à quo aliquod procedit*, ait Thom p. 1. qu. 33 art. 1. vbi addit hoc ἀξιομνημόνευτον: *Græci vtuntur in diuinis indifferenter nomine causæ & principij, sed Latini tantùm nomine principij, quia principium communius est. Quantò autem nomen communius, tantò conuenientius sumitur in diuinis, quantò enim nomina magis specialia, tãtò magis determinant modum conuenientem Naturæ.* Ex quo intelligi potest, quo sensu accipiendum, quod Damasc. lib. 1. orth. fid. c. 13. dicit, solum Patrem esse αἴτιον.

An Patris nomen proprie prima persona conueniat.

11. Quæris, an nomen Patris propriè competat primę personæ? Resp. Omninò: quia perfecta ratio Paternitatis & Filiationis inuenitur in Deo Patre & Deo Filio, siquidem Patris & Filij vna est Natura. Secunda persona est Natura, verè & propriè Dei Filius, vtique ergo Paternitas verè & propriè competit Patri. In creaturis non inuenitur filiatio respectu Dei secundùm perfectam rationem, sed secundùm aliquam similitudinem vel vestigij tantùm irrationalium creaturarum; vel imaginis, vt creaturæ rationalis vel gratiæ, vnde dicuntur filij adoptiui, vel glo-

tiæ. Thom.p.1.q.33. art.3. De generatione Filij postea agemus vberiùs.

CAPVT III.

De personali discrimine Patris.

Personale Patris discrimen.

12. Atque hactenus exposuimus primæ personæ [Patris] 1. veram Deitatem. 2. Personalem proprietatem, quæ est ἀγεννησία, [ratione cuius dicitur etiam αὐτοῦσιος quasi dicatur, ipsiso existens & αὐτόθεος à seipso, non ab alio Deus.] Restat 3. personale discrimen explicandum. *Esse ergo Patrem verè realiter distinctam à Filio & Spiritu S. personam* probatur 1. ex πρώτῳ ὑπάρξεως ipsi proprio. Soli enim Patri conuenit esse ἀγέννητον, gignere Filium, spirare Spiritum sanctum. 2. ex ὀπτασίαις in Baptismo & transfiguratione Christi, vbi peculiari voce se manifestat. 3. ex distincto nomine. Dicitur enim Pater, quod nomen [si κατ' ἀπκῶς accipiatur] ipsi soli conuenit. 4. ex omnibus illis testimoniis, quæ vel in genere probant, tres personas Diuinitatis esse verè & realiter distinctas [enumerata & exposita ea sunt superiùs] vel in specie Filium esse distinctam à Patre personam, & Spiritum sanctum esse distinctam à Patre personam [quæ suum locum habebunt inferiùs.]

CAPVT IV.

De vera Filij Deitate.

Filium esse secundam Trinitatis personam.

13. Secunda Trinitatis persona est & dicitur Dei Filius. Esse autem Filium non primam, nec tertiam, sed secundam Trinitatis personam, patet ex eo quia est à Patre genitus, & cum Patre spirat Spiritum sanctum; Pater ergo est persona producēs tantùm; Spiritus sanctus est persona producta tantùm; Filius est persona producens & producta, illud respectu Patris, hoc respectu Spiritus sancti: propter illud non est ordine tertia persona, propter hoc non est prima persona, relinquitur igitur quod sit persona secunda, nimirum ordine & origine. De Filio demonstranda erunt itidem, vt de Patre, hæc tria, 1. quòd sit verus Deus. 2. quæ sit personalis eius proprietas. 3. quòd sit distincta à Patre & Spiritu sancto persona.

Esse verum Deum probatur. 1. ex diuinis nominibus,

14. Vera Deitas Filij comprobatur quadruplici argumentorum genere; videlicet 1. ex diuinis nominibus. 2. diuinis attributis & proprietatibus, iisdemque vel essentialibus vel personalibus. 3. diuinis operibus, & 4. diuino cultu: vnde nascitur *hic generalis Syllogismus.* Cuicunque tribuuntur diuina nomina, diuinæ proprietates, diuina opera, diuinus cultus, ille est verus Deus. Filio Dei tribuuntur diuina nomina, diuinæ proprietates, diuina opera, diuinus cultus. Ergo Filius Dei est verus Deus. Singula membra vtriusque propositionis explicanda sunt & comprobanda.

15. Prima classis argumentorum, quibus vera Filij Deitas probatur, deducenda est ex diuinis nominibus. Voco autem diuina nomina, quæ soli vero Deo in Scripturis tribuuntur, qualia sunt, Iehouah & ὁ θεός: vbi *proponimus tale argumentum.* Cuicunque nomen Iehouah & Dei tribuitur [absolutè scilicet & simpliciter] is est verus Deus. At Dei Filio nomen Iehouah & Dei tribuitur absolutè & simpliciter. Ergo est verus Deus. Cur primæ propositioni in argumento addatur ille προσδιορισμὸς *absolutè & simpliciter*, patebit ex contrariorum argumentorum solutione; hac vice ad cōfirmationem eius producimus hęc Scripturæ dicta. Exod.3.vers.15. *Sic dices filiis Israël: Iehouah Deus Patrum vestrorum, Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob misit me ad vos: hoc nomen mihi est in æternum, & hoc memoriale meum in generationem & generationem.* Exod.6. vers.3. *Nomen meum Iehouah non indicaui eis.* Psal.83.v.18. *Tu nomine tuo solus Iehouah.* Esa.42.vers.8. *Ego Iehouah, hoc est nomen meum, honorem meum alteri non dabo, nec gloriam meam sculptilibus.* Esa. 43.v.11. *Ego, Ego Iehouah, & extra me non est Saluator.* Ose.12.v.5. *Iehouah est Deus Zebaoth, Iehouah, est nomen eius.* Amos 5.v.8. *vocatur Iehouah, qui aquas vocat in mari, &c.*

16. Assumtioni comprobandæ inseruit diligens & accurata collatio locorum Veteris & Noui Testamenti, in quibus ea, quæ in V. Testamento de vero Iehouah ac Deo Israëlis dicta sunt, in Nouo ad Dei Filium in carne manifestatum applicantur. Nomen Iehouę LXX. Interp. semper verterunt Κύριος, quod propriè notat *Dominum*, solus enim Iehouah absolutum dominiū & imperium habet super omnia; ipse solus est Rex regum, & Dominus dominantium. Tertullianus contra Prax. obseruat, etiamsi Pater sit, & dicatur Dominus: Filius sit & dicatur Deus, tamē hanc esse consuetudinē Spiritus S. præsertim in Nou. Testam. scriptis, vt cum eum sermonem instituit de Patre & Filio, Patrem nominet Deum, Filium autem Dominum. Causam assigare possumus duplicem: 1. Filius Dei vnà cum Patre & Spiritu sancto iure creationis est Dominus noster, sed prętер beneficium istud creationis etiam hoc nobis præstitit, vt nos per peccatum in Satanæ potestatem redactos, potenti manu liberauerit, sibique nos iure redemtionis asseruerit: duplici ergo iure tùm creationis, tùm redemtionis Dominus noster est. Potentior hic heros ex regno & dominio Saranę fortis armati nos eripuit, iure ergo noster est Dominus. 2. Filius Dei assumsit humanam Naturam, atque vt in ea & per eam redemtionis officium perficeret, exinaniuit seipsum, cùm esset in forma Dei, id est, cùm maiestatem sibi secundùm assumtam Naturam communicatam pleno fulgore exerere potuisset, Phil.2. v.6.&7. in sua illa exinatione *factus est obediens Patri vsque ad mortem, mortem autem crucis.* v.8. *propter quod & Deus in summam celsitudinem ipsum extulit, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen.* v.9. *fecit ipsum Dominum.* Act.2.v.36. *subiecit ipsi omnia.* Psl.8. Eph.1.&c. quia ergo Filius Dei non solùm iuxta diuinam Naturam est Dominus per æternam à Patre generationem, sed etiam iuxta humanam Naturam *constitutus est omnium Dominus, & potestas omnis carnis ipsi data.* Ioh.17.v.2. ideò meritissimè nomen Domini iterum duplici iure ipsi tribuitur.

Filius Dei cur Dominus appelletur?

17. Confirmanda igitur assumtio erit ex illis Scripturæ dictis 1. in quibus nomen Iehouah Filio Dei attribuitur, id verò vbi fiat circumstantiæ textus & locorum collatio ostendunt. De circunstantiis textus *obseruanda hæ regula:* Quando mentio fit talis Angeli, cui nomen Iehouah vel diuina attributa & opera tribuuntur, intelligendus est increatus Angelus, videlicet Dei Filius; ratio est, quia Pater cùm sit à nullo, ideò etiam à nemine mittitur: Filius autem cōstitutus ille mediator, etiam antequam in carnem mitteretur, apparuit Patribus, & cum eis locutus est. Iren.lib.3.c.18.& lib.4.c.14. Proin de *Angelus ille, qui apparuit Agari* Gen.16.v.7.& *Abrahæ* Gen.22.v.11. *qui deduxit Israëlitas per desertum.* Exod.23.v.20.c.33.v.2. *qui apparuit Gideoni.* Iud.6.v.11. fuit Dei Filius, Angelorum Dominus & Princeps militiæ cœlestis; & tamen

Nomen Iehouah tribuitur Filio.

men Angelus ille, qui apparuit Agari, dicitur Iehouah Gen.16.v.13.qui apparuit Abrahæ, dicitur Iehouah, Gen. 22. v.16.qui deduxit Israëlitas per desertum, dicitur Iehouah Deut.31. v. 3.qui apparuit Gideoni,dicitur Iehouah Iud.6.v.14. Ergo in illis locis Filio Dei tribuitur nomen Iehouah. Vide etiam Gen.12.v.21.v.17.cap.31. v.11. cap.48.v.15. Exod.14. v.19.Num.20.v.16.c.22.v.22.Iud.13. v.3.Esa.36.v.9. Ose.12.vers.3. Zach.1.vers.8. cap.2.vers.1. cap.3.4.5. 6. Mal.3. vers. 1. Apoc.7.v.2. cap.8.v.3.c.10.v.1.

18. Deinde,quando loquitur Iehouah de Iehouah,intelligendum, id est, de Patre & Filio vno vero Iehouah, quia Filius Dei est ille, cum quo Deus Pater de creatione & redemtione hominis æternum fecit decretum, atque illud in tempore per eundem Filium patefecit. Talia loca enumerata sunt Tract. proximè præced. §.8. Denique quando in forma humana apparuisse dicitur Iehouah, intelligendum id est de Filio Dei, qui in temporis plenitudine assumsit humanam Naturam, eamque sibi personaliter vniuit.sic Gen.18.vers.2.Tres viri apparent Abrahę, quorum vni tribuitur nomen Iehouah. vers.1. Gen. 13.vers.24. Vir cum Iacobo luctatur,qui v.28.dicitur Elohim.Ios.5.6.vers.13. apparet Iosuæ vir gerens gladium euaginatum, qui Ios. 6. vers. 2. vocatur Iehouah.

19. Collatio locorum hîc apprimè vtilis est, & apertè ostendit, quæ in Veteri Testamento de vero Israëlis Deo, de vero Iehouah dicta, ea in Nouo accommodari ad Christum,Num. 14. vers. 22. cap.21. vers.5.Israëlitæ tentant Iehouam: 1. Corinth.10.vers. 9.tentant Christum. Num.14. vers.21. *Viuo ego dicit Dominus, omnis terra replebitur gloria Domini*,illam gloriam vidit Esaias cap.6.vers.4. & tamen vidisse dicitur *gloriam Christi* Iohan.12.vers.41.Deuter.31.vers.3. *Dominus Deus ipse præcedet vos in deserto.* 1. Corinth.10. vers.4. *Christus est spiritualis petra, quæ comitata est Israëlitas in deserto.* Iob. 19. vers. 25. *Scio, quòd redemtor meus viuit.* (Goël ille qui ratione assumtæ Naturæ meus cognatus est: Redemtor ille, qui ex inferno nos liberauit Ose.13. vers. 14.) *& exciabit me è terra.* Iohan.5.vers.28. *Audient illi, qui in sepulchris sunt, vocem Filij Dei, & viuent*) *& in carne mea videbo Dominum.* Ps. 45. totus agit de Christo, quod ostendunt circumstantiæ & Epistola Hebr.1.vers.9. 15.vers.7.& 8.vocatur Elohah: *Vnxit te Deus tuus, ô Deus, oleo lætitiæ* (Actor.10.vers. 38. *Deus vnxit Iesum Nazarenum Spiritu*) Psalm.47.vers.6. *Ascendit Deus in tubilo, & Dominus in voce tubæ.* Psalm.68.vers.18. *Dominus inter eos in sancto Sinai.* vers.19. *ascendisti in altum, &c.* (Ephes.4. vers.8.transfertur id ad Christum) Psam.110.vers.1. *Dicit Dominus Domino meo.*)Matth.22.v.44.Marc.12. vers.36.transfertur id ad Christum) Esai.6.vers.1.vidit Propheta *gloriam Domini Zebaoth* Iohan. 12. vers. 41. vidit *Christi gloriam.* Esai. 7. vers. 14. *Virgo pariet Filium,quem vocabit Immanuel, id est, nobiscum Deus*, id Matth.1.vers.23. Luc.1. vers.31. ad Christum virginis Mariæ Filium refertur. Esai. 8. vers.14. *Deus Zebaoth est lapis offensionis,petra scandali:* id Luc.2. vers.34. Roman.9.vers.32.1.Petr.2.vers.8.ad Christum refertur. Esai.9.vers.6. *Puer nobis natus vocatur DEVS fortis.* Luc. 2. vers. 11. de Christo: *vobis natus est Saluator.* Esa.25.v. 8. *Dominus Zebaoth mortem absorbebit, &c.* vers.9. *Ecce hic Deus noster.* Ose.13.vers.14. *Ex morte liberabo eos.* 1. Cor.15.v.55. *Mors absorpta est in victoriam.* v.57. *Deo sit gratia,quia victoriam nobis dedit per Christum.*Esa.25.v. 8. *Dominus Deus absterget omnes lachrymas.* Apocal. 7. v.17. *Agnus in medio throni pascet eos, & Deus absterget omnem lacrymam,&c.* Esai.35.v.4. *Deus vester venit & saluabit eos.* vers.5. *Tunc aperientur oculi cæcorum*, id Matth. 11. vers.2. Luc.7. v. 18. refertur ad Christum. Esa. 40. vers.3. *Vox clamantis in deserto: Parate viam Domino.* vers.5. *videbit omnis caro, quòd os Domini locutum sit*,id Matth.3.vers.3.Marc.1.vers.3.Luc.3.vers.4. Iohan.1. v.23. refertur ad Iohannem, qui viam Christo parauit. Esa.40.v.10. *Dominus, Dominus venit, merces eius cum eo.*vers.11. *pascens gregem suum, &c.* id Apoc. 22.vers.12.Ezech.34. vers.11. cap.37.vers.24. Ioh.10. vers.11.vers.12.ad Christum refertur. Esa.44. vers. 6. *Ego primus & ego nouissimus, dicit Dominus Deus Zebaoth.*Apoc.1.vers.17.Filius Dei id sibi accommodat. Esa.45. vers.23. *per meipsum iuraui, dicit Iehouah, mihi curuabitur omne genu*: id Rom.14. vers.11. refertur ad Christũ.Es.45.v.25.*In Deo iustitia & fortitudo.* 2. Cor. 5.v.21.ad Christum refertur. Es.60.v.19. *Deus erit lux tua æterna*, id Apoc.11.v.23.ad *agnum*,id est Christum refertur.Ier.23.v.5.cap.33.v.14. *excitabo Dauidi germen iustum.*v. 6. *tunc saluabitur Iuda.* (Ose 1.v. 7. *saluabo eos in Domino Deo suo*) *hoc est nomen quo vocabunt eum, Iehouah iustitia nostra.* 1.Cor.1.v.30. *Christus factus nobis à Deo iustitia*, Zach.12.v.10.*Videbunt me*,inquit Dominus Zebaoth *in quem pupugerunt*:Io.19.v.37.Apo.1.v. 7.refertur id ad Christum.Mal.3.v.1.*Ecce mitto Angelum meum*, dicit Dominus,*qui viam mihi paret,& mox veniet ad templum Dominus, quem quæritis.* Matth. 11. versic.10. Luc. 1. versic.76. refertur hoc ad Christum.

20. Pertinent secundo loco ad confirmationem assumtionis dicta illa innumera Nou.Testament. in quibus Christus vocatur Κύριος siue Dominus: eò enim nomine expressêrunt L X X. Interp.nomen Iehouæ: proinde illos secuti Apostoli nomen hoc Christo, ad veram eius Deitatem significandam attribuerunt. 3. Referenda denique hûc loca ea,in quibus Filius Dei vocatur Deus. Iohan.1.vers.1. *In principio erat verbum,&c Deus erat Verbum,*θεὸς ἦν ὁ λόγος, vbi articulus omissus ostendit, θεῦ nomen esse prædicatum.Iohan.20. vers. 28. dicit Thomas ad Christum: *Dominus meus & Deus meus*, Actor.20.vers.28. *Deus suo sanguine redemit Ecclesiam*, id necessariò intelligitur de Filio Dei, qui solus carnis & sanguinis particeps factus, Hebr. 2. vers.14. 1. Timoth.3.vers. 16. *Deus manifestatus est in carne.* Coniunge Apocal. 1. vers. 1.c.22. v.6.& 16. & apparebit, quòd Iesus dicatur Dominus Deus. Ac ne vlla restaret dubitatio de Filij Deitate, vocatur *Deus super omnia benedictus* Roman. 9. vers.5. *magnus Deus.* Tit. 2. vers. 13. *verus Deus.* 1. Iahann.5. vers. 20.Cassian. libr.3. de Incarn. *Quando Paulus dicit, Christum esse Deum, hoc sufficit Christianis: quando verò addit, esse Deum super omnia, eo omnem blasphemiam perfidæ assertionis excludit.*

21. Quid contra hunc Solem veritatis χριστιανισμὸν? Veterum Arianorum argumenta ab Athanasio, Augustino, Nazianzeno, Cyrillo & aliis luculentè sunt expositа, videamus quid *Ne Ariani* (vel potiùs Ebionitæ, Samosateniani & Anti-Trinitarij, longè enim minus Christo tribuunt, quàm Arriani veteres) in Polonia contra immota hæc Scripturarum fundamenta proferant. Ita ergo scribunt in Cathech. Racouiæ excusa Anno 608. pagin. 39. *Nomen Dei in Scriptura duplicem habet significationem.* 1. *Denotat eum, qui in cœlo & terra ita omnibus dominatur atque imperat, ac rerum omnium creator est, vt neminem habeat superiorem, nec ab alio dependeat.* 2. *Denotat eum, qui magnam habet ab vno illo Deo potentiam, vel alio quodammodo Deitatis vnici istius Dei particeps est; ideò enim vnicus ille, verus*

Neo Arianorum contra Filij Dei tatem argumenta.

Deus, vnus ille Iehouah vocatur Deus Deorum. In hac posteriori significatione Filius Dei dicitur in Scripturis Deus.

22. *Resp.* Concedimus nomen Dei in Scripturis tribui etiam illis, qui non sunt *Natura Deus.* Gal. 4. vers. 8. sed eo sensu, & in ea significatione Filium Dei dici Deum pernegamus. Exod. 21. vers. 6. cap. 22. vers. 28. Psal. 82. vers. 2. &c. *Magistratus dicuntur* Dij propter diuinum, quod gerunt officium. Exod. 7. vers. 1. *Moses dicitur* supra Pharaonem constitutus Deus, ratione diuinæ autoritatis, qua munitus erat. 2. Corinth. 4. vers. 4. *Diabolus vocatur Deus huius mundi*, id est, impiorum, nimirum, quia ipsi seruitium & honorem soli vero Deo debitum mundus impendit. Phil. 3. vers. 29. *Venter dicitur Epicuræorum Deus*, quia ventris causa omnia faciunt. In his & similib. dictis appellatio Dei tribuitur illis, qui sunt λεγόμενοι θεοὶ, vt loquitur Apostolus 1. Cotinth. 8. vers. 5. quorum respectu verus Deus dicitur *Deus Deorum*, id est, solus præ omnibus illis λεγομένοις θεοῖς verè & Natura Deus, Deut. 10. vers. 17. Psal. 86. v. 9. Psalm. 95. vers. 3. Psalm. 96. vers. 4. Psalm. 135. vers. 6. 1. Corinth. 8. versic. 5. sed Filium Dei inter λεγομένους illos θεοὺς referendum esse, id verò totis viribus pernegamus.

λεγομένοι θεοὶ.

23. Magistratus dicuntur Dij, propter diuinum, quo funguntur, officium: sed Filius Dei dicitur Deus non ideò & ex eo tantùm, quia diuino officio Mediatoris fungitur, sed etiam ideò & ex eo, *quia est ab aterno à Patre genitus* Mich. 5. vers. 12. Psal. 2. vers. 7. vnde etiam dicitur *verus Deus* 1. Iohan. 5. vers. 21. Et obserua accuratè, quòd Apostolus Galatis ad Christum conuersis cap. 4. vers. 8. scribit, *quod antea ignorantes Deum, iis qui Natura non sunt Dij, seruierint.* vers. 9. *nunc vero demum cognouerint Deum*, ex quo euidentissimè sequitur, Christum non esse inter λεγομένους istos θεοὺς, qui Natura non sint Dij, sed verè, & essentialiter esse Deum. *Moses dicitur Pharaonis Deus* Exod. 7. vers. 1. *vti & Aaronis* Exod. 4. v. 16. sed longè alio sensu Filius Dei dicitur Deus. 1. Moses *constitutus est Deus*, id est, officium diuinum ipsi commissum est, sed Filius Dei per æternam generationem est de Deo Deus, lumen de lumine. 2. Moses est *Pharaonis Deus*, sed Filius Dei est omnium Dominus, omnia per ipsum facta sunt. 3. Moses fuit *Dei Legatus*, & hoc respectu dicitur Deus, sed Filius Dei est verus Deus super omnia benedictus, quò pertinet egregia collatio Christi & Mosis Hebr. 3. v. 2. 3. 4. 5. 6. *Moses fidelis erat tanquam minister: Christus vero tanquam Filius in domo sua, quam ipse fabricauit. Diabolus mundi & venter Epicuræorum dicitur Deus*, quia de facto diuinus honor & cultus ab impiis ipsi præstatur, sed Christus dicitur Deus à Prophetis & Apostolis ex diuina inspiratione locutis, quia de iure diuinus honor & cultus ipsi debetur.

An nomen Iehoua tribuatur creaturis.

24. Proinde vt Scriptura Filium Dei à λεγομένοις illis θεοῖς longissimo interuallo secernat, non solùm Dei nomen ipsi tribuit, sed etiam Iehouam ipsum vocat, cùm tamen illud sit essentiale & proprium Dei nomen. Regerunt Neo-Photiniani in Cathech. p. 72. Iehouæ nomen tribui Ierosolymæ, Ier. 23. & 33. Alibi vrgent, quod *altari à Mose extructo* Exod. 17. v. 15. *arcæ fœderis*, 1. Sam. 4. v. 7. *& vrbi* isti quam Ezechiel vidit cap. 48. v. 35. nomen Iehouæ tribuatur. *Resp. de loco Prophetico.* Ier. 23. & 33. dicetur infra; *Altari Mosaico* nomen Iehouæ per se & absolutè non tribuitur, sed Moses extruxit illud pro memoriali, quòd Iehouah contra Amalecitas pugnaturus sit, ideò dixit: Iehouah vexillum meum, id est, extructio altaris debebat esse memoriale, quod Iehouah futurus sit vexillum Israëlitarum contra Amalecitas. Vt Moses altare non habuit pro suo vexillo, ita etiam nomen Iehouæ altari per se non tribuit. *Arcæ fœderis* nomen Iehouah nusquam tribuitur, quod tamen Deus in castra venisse dicitur, cùm arca fœderis in ea adduceretur, id fit propter specialem Dei præsentiam, ratione cuius super Cherubin dicebatur habitare. Vide Exod. 25. v. 22. Psal. 80. v. 2. Psal. 99. v. 1. perinde vt Iohannes potuit dicere, se Spiritum sanctum vidisse super Christum descendentem, cùm videret columbam, in qua Spiritus S. se peculiariter manifestabat. *Vrbs apud Ezechielem* non vocatur absolutè Iehouah, sed *Iehouah illic*, nimirum quia peculiari gratiæ suæ præsentia Deus affuturus Ecclesiæ, cuius typum vrbs ista gessit. Vide Apocal. 21. vers. 2. & 3.

25. Videamus, quomodo probare velint Neo-Photiniani, Filium Dei in secunda ista vocabuli significatione vocari Deum: id deducere conantur pag. 40. ex Ioh. 10. v. 35. *Si illos* (Lex vestra) *dixit Deos, ad quos sermo Dei est factus, & non potest solus Scriptura.* v. 36. *Quem Pater sanctificauit, & misit in mundum, vos dicitis, me blasphemare, quia dixi Filius Dei sum?* Ostendit Christus (inquiunt) se non ex alia maiori causa vocari Deum & Dei Filium, quàm quia est à Patre sanctificatus, & in mundum missus. *Respon.* dixerat Christus, v. 30. *Ego & Pater vnum sumus.* Iudæi statuebant hanc esse blasphemiam lapidibus vindicãdam, *quod cùm homo sit, faciat seipsum Deum.* vers. 33. argumentum ergo Iudæorum erat huiusmodi. Omnis qui cùm homo sit, facit se & vocat Deum, est blasphemus. Tu cùm sis homo, facis teipsum Deum. Ergo es blasphemus. Christus primò respondet ad maiorem, eam non esse simpliciter veram, cùm in Scripturis Magistratus absque vlla blasphemia dicantur Dij: postea subiungit per comparationem (non similium vt volunt aduersarij, sed) maioris & minoris. Si illi dicuntur Dij absque vlla blasphemia, quibus diuinum officium est commissum, multò magis absque vlla blasphemia (etiamsi ex vestra hypothesi purus ac nudus homo essem) vocare me possum Deum, quia Pater ad officium Mediatoris me elegit, Spiritu sancto me repleuit, ac ad perficiendum illud summum opus in mundum misit. Proinde cùm potestas illa à Patre mihi data sit longè maior omnium Regum potestate, cùm officium illud à Patre mihi commissum sit longè maius omnium Regum officio, ideò absque vlla blasphemia vocare me possem Deum, si vel maximè secundùm vestram sententiam essem nudus homo. Atque hæc respondet Christus ad Maiorem argumenti propositionem: postea accedit ad minorem, & ostendit se non esse nudum hominem, sed verum Deum, essentialiter cum Patre vnum, quod demonstrat ex operibus diuinis. *Si non facio opera Patris mei, nolite mihi credere.* v. 37. *Sed si facio, etiamsi mihi non credatis, operibus credite.* vers. 38.

26. Atque hæc in genere respondent Neo-Photiniani ad argumentum Deitatis Filij ex diuinis nominibus ductum, sed absque vllo omninò fundamẽto & colore veritatis: videamus quid in specie contra quædam loca proferant, omnia enim non attingunt. Contra argumentum ex collatione Num. 14. vers. 22. cum 1. Corinth. 10. vers. 9. Itemque Deut. 31. vers. 3. cum 1. Corinth. 10. vers. 4. vbi Christus deducens Israëlitas in deserto, ab iisdem tentatus dicitur, hoc regerunt in Cathech. pag. 101. *Apostolum nusquam dicere, quod Christus in deserto Israëlitas fuerit comitatus,*

Speciales Neo Photinianorum exceptiones.

Contra collationem Num. 14. v. 22. cum 1. Cor. 10. v. 9.

catus, sed de petra spirituali hoc ipsum dicere, idque intelligendum esse de aquis ex petra profluentibus: petram dici posse spiritualem propter mysticam significationem. Resp. Arguit conscientiæ cauterium & cautæ incertitudinem, quod bis repetunt, posse intelligi locum figuratè petram posse vocari spiritualem propter significationem, &c. non enim quomodo locus Scripturæ intelligi possit, sed quomodo intelligi debeat, accuratis Interpretibus videndum est. 2. Repetenda hîc est collatio locorum, quæ ostendunt, talem Angelum deduxisse Israëlitas, qui fuerit Iehouah. Exod. 23. v. 20. c. 33. v. 1. Deut. 31. v. 3. id quod non potest aliter intelligi, quàm per Filium Dei Angelum illum creatum Israëlitas deductos esse. Pater enim nunquam in Scripturis dicitur Angelus, vel Legatus. Singulariter observa locum Exod. 33. v. 2. vbi dicit Iehouah, *mittam Angelum meum ante faciem tuam, qui expellat Cananitas, &c. v. 3. non ascendam tecum, quia es populus duræ cervicis, ne fortè consumam te in via:* vbi pulcerrimè describitur officium huius Angeli, quod sit Mediator Dei & hominum, reconcilians homines Deo & pro ipsis intercedens, ne Deus tanquam *ignis consumens* propter peccata eos statim perdat. 3. Apostolus loquitur non de petra corporali, quæ immobilis perstitit in deserto, sed de petra concomitante Israëlitas, sicque de spirituali petra, quæ reuera erat Christus. Quod verò dicunt per petram concomitantem intelligendas esse aquas ex petra profluentes: ea explicatio non solùm dura est, sed etiam minùs conuenit cum eo, quod Moses Num. 21. immediatè post descriptionem huius aquæ ex petra profluentis commemorat, quomodo denuò Israëlitæ aquæ penuria laborauerint: id quod contingere ipsis potuisse non est verisimile, si aqua illos ex petra fuisset comitata. 4. Quemadmodum Apostolus dicit Christum fuisse Ducem Israëlitarum in deserto, ita postea subiungit v. 9. eundem fuisse ab eis in deserto tentarum. Regerunt Neo-Photiniani pag. 104. *non posse probari ex hoc loco, Christum fuisse ab Israëlitis tentatum, cùm non addatur relatiuum ipsum, intelligi igitur posse de Mose vel Aarone, & illi sint tentati ab Israëlitis. Resp.* Ille ab Israëlitis in deserto est tentatus, qui serpentibus igneis istud peccatum vindicauit, vt ostendit connexio Apostolici contextus. Atqui Dei Filius, ductor populi Israëlitici, Angelus ille increatus, verus Iehouah misit inter eos serpentes igneos. Ergo ipsum (non autem vel Mosen vel Aaronem tentarunt. Exod. 15. v. 25. cap. 17. v. 2. & 7. Num. 14. v. 22. Deu. 6. v. 16. Psal. 78. v. 18. 41. 56. Psal. 95. v. 9. Psal. 106. v. 14. Mal. 3. vers. 15. Hebr. 3. v. 9. ita describitur hæc tentatio, quod contra verum Deum directa fuerit, nusquam autem vel ad Mosen vel ad Aaronem referatur. *Proponimus ergo hanc regulam.* Quando in membro orationis posteriore tale quid ponitur, quod non potest aliò referri, quàm ad eum, cuius in priore orationis parte expressa facta est mentio, tùm necessariò subintelligendum relatiuum etiamsi expressè non addatur. Num. 21. v. 5. quidem dicitur populus locutus contra Deum & Mosen, sed tentatio vbique in Scripturis ad solum Deum refertur, ideò si vel maximè non addatur relatiuum, tamen semper est subintelligendum. Deut. 6. v. 6. *Non tentabitis Iehouam Deum vestrum, quemadmodum tentastis in Massa.*

2. Cõtra collationem reliquorũ dictorum.

27. Contra argumenta ex collatione Esa. 8. v. 14. cum Luc. 2. v. 34. Esa. 45. v. 23. cum Rom. 14. v. 10. Esa. 41. v. 4. & 44. v. 6. cum Apoc. 1. v. 17. Esai. 35. v. 4. cum Matth. 11. v. 4. Zach. 12. v. 10. cum Ioh. 19. v. 37. Psal. 68. v. 19. cum Ephes. 4. v. 7. hoc regerunt pag. 148. *non posse ex his locis probari diuinam Filij Naturam, cùm alia ratio esse possit, & sit, cur illud, quod in V. T. de vero Deo dictum in nouo referatur ad Christum, etiamsi non sit verus Deus, nimirum connexio & vnio Christi cum vno illo Deo in dominio, in potentia & in officio, quæ omnia habet ex Dei dono & gratia, vt scripta Nou. Testam. testantur: Si enim de Mose dicitur,* quòd eduxerit Israëlitas ex Ægypto, & quòd fuerit populi istius liberator Exod. 32. v. 7. Act. 7. v. 35. *quod tamen alibi Deo tribuitur, multo magis propter vnionem Christi cum Deo, hæc Christo tribui possunt. Resp.* 1. Si vnio Christi cum Deo complectitur æqualitatem potentiæ & dominij, vtique etiam Christus erit verus Deus, ratione essentiæ cum Patre vnum, quia potentia & essentia in Deo realiter non differunt. 2. Officium Christi Mediatoris necessariò includit & prærequirit diuinam eius Naturam, est enim Christus Mediator secũdùm vtramque Naturam, quod suo loco docebitur. 3. Filius Dei secundùm diuinam Naturam per æternam generationem à Patre habet omnia. Si quædam Scripturæ loca asserunt, ipsi ex dono & gratia quædam in tempore data, id respectu assumptæ humanæ Naturæ est intelligendum. 4. Diuersissima est ratio inter ea opera, quæ Deo & Mosi coniunctim asscribuntur, & inter ea, quæ per Filium Pater operari dicitur. *Moses fuit fidelis in domo Dei tanquam minister, Christus autem fidelis est in domo sua tanquam Filius, qui ipsam etiam præparauit.* Heb. 3. v. 6. *Pater per Filium omnia condidit,* iam verò creatio est opus soli Deo proprium. *Quæcunque Pater facit, ὁμοίως facit Filius.* Ioh. 5. v. 19. de Mose hoc nusquam dicitur, nec dici potest. Moses ex Ægypto eduxit Israëlitas: Christus ex inferno & Satanæ potestate nos liberauit, ad quod opus requirebatur diuina potentia.

3. Cõtra collationem Es. 6. v. 1. cum Iohan. 12. v. 41.

28. Contra argumentum ex collatione Esa. 6. v. 1. cum Ioh. 12. v. 41. regerunt p. 105. *Posse verba Euangelistæ de Patre intelligi, cùm præcedat, Excœcauit oculos eorum. Resp.* sanè vna est Patris & Filij gloria, igitur quãdo Esaias vidit gloriam Filij, vidit etiam gloriam Patris. Sed enim χριστομάχοι pugnant excludum esse Filium ab ista gloria, quam vidit Esaias, quos euidentissimè redarguit totus cõtextus apud Euangelistam: *Non potuerunt Iudæi credere in Christum,* dicit Euangelista, id quod iamdudum ab Esaia prædictum, *cùm videret eius gloriam & ab ipso audiret: Excœca cor populi huius, &c.* omnia hîc ad Christum referuntur, quòd gloriam eius Propheta viderit, quòd excœcationem populi sui prædixerit, & quòd propterea Iudæi in ipsum credere non possint. 2. *Dicunt, gloria, quam Esaias vidit, potuit esse, imo fuit non præsens, sed futura: Prophetis enim hoc proprium est, & peculiare futura præuidere, vnde vocantur* videntes 1. Reg. 9. v. 9. *Resp.* obserua iterum trepidantis conscientiæ indicium, non enim quæritur, quomodo in varios sensus Scriptura distrahi vel potiùs torqueri possit, sed quis sit genuinus cuiusque loci sensus. Gloria, quam Esaias vidit, in plenitudine temporis Filio Dei secundùm humanam Naturam communicata est, & hoc sensu futura dici posset, sed ex eo non sequitur, quòd secundùm diuinam Naturam gloriam eam tùm temporis non habuerit, cùm disertè dicat Iohann. 15. vers. 5. *Clarifica me Pater apud teipsum claritate siue gloria ea, quam habui apud te, priusquam mundus esset.* Nec in descriptione visionis Propheticæ dicitur, quod futuram Messiæ gloriam viderit, sed vers. 1. disertè Dominum sedentem in excelso solio, & vers. 5. Dominum Zebaoth vidisse dicitur, *cui clamarunt Seraphin:* Sanctus, Sanctus, Sanctus, v. 3. trina hac acclamatione tres Deitatis personas disertè compellantes, cùm ad

Filium & Spiritum sanctum locus in Nouo Testamento referatur. Iohan. 12. vers. 40. Actor. 28. vers. 26. 3. Dicunt, *aliud est videre alicuius gloriam, aliud verò ipsum videre. Esaias in gloria vnius Dei vidit etiam Christi gloriam, quæ futuro demum tempore in populo Israëlitico manifestanda erit. Resp.* Esaias vidit gloriam Filij, & vidit etiam ipsum Dei Filium, vt collatio Esaiæ & Iohannis luculentè testatur: illam etiam vidit gloriam, quæ se exerebat in illa gloriosa & illustri visione, qua sedebat in solio, & omnia ipsius maiestate erant plena, cùm audiret eum à Seraphim glorificari cœlesti Cantico, quave iam omnis terra erat plena, vt verba Prophetæ disertè testantur. Confer. Iohann. 1. vers. 14. cap. 2. vers. 11. cap. 11. vers. 40. cap. 17. versic. 5. & apparebit, per gloriam hanc Deitatem, potentiam & maiestatem diuinam intelligi à qua Filius nunquam separatus.

4. *Contra locum Ierem. 23. & 33.*

29. Contra argumentum ex Ierem. 23. & 33. capp. deductum hoc regerunt: pag. 72. *Primo ad Israëlem rectiùs referri, quod dicitur*: & hoc est nomen eius, quo vocabunt eum Iehouah iustitia nostra. *Respon.* increpet te Deus blasphemе Spiritus: non Israëli, sed germini isti Dauidis; quod ibidem promittitur, hoc nomen tribuitur, quòd sit *Iehouah iustitia nostra*, iuxta euidentem verborum tenorem & infallibilem interpretationem Apostoli 1. Corinth. 1. versic vlt. describitur in dicto hoc Prophetico pulcerrimo Messiæ persona duabus constans Naturis & proprium eius officium: ratione humanæ Naturæ dicitur germen Dauidis, ratione Diuinæ, verus Iehouah: officium eius in reliquis verbis describitur, quòd futurus sit Rex & Saluator, imputans nobis suam iustitiam, &c. hanc lucem Sophisticis nebulis non patiemur nobis obscurari. *Secundo dicunt*, cap. 33. vers. 15. ὀφθαλμοφανῶς *ad Hierosolymam referri Iehouæ nomen. Vt ergo non potest dici Hierosolymam esse verum Iehouam, etiamsi nomen ipsi tribuatur, ita nec de Christo id dici posse. Respon.* negamus disertè ad Hierosolymam Iehouæ nomen ibi referri. Verba in Hebræo ita habent: וְזֶה אֲשֶׁר יִקְרָא לָהּ יְהוָה צִדְקֵנוּ. *Est iste*, id est, Rex Messias, *qui vocabit eam*, id est Hierosolymam seu Ecclesiam, *est Iehouah iustitia nostra*, ita Tremel. & Iunius, ita Santes Pagn. LXX. istam capitis partem omiserunt. Conuenit autem hęc Interpretatio 1. cum ipso verborum sono & ordine: 2. cum loco parallelo cap. 23. ad quem Prophetam respexisse dubium nullum. 3. cum interpretatione Apostolorum in Nouo Testamento: proinde nulla necessitate cogimur concedere, nomen Iehouæ ad Ecclesiam transferri, quod tamen minùs circumspectè concedunt Caluin. 1. Institut. 13. sect. 9. & Zanch. 2. de trib. Elohim. cap. 2 pag. 507.

5. *Contra locum Ioh. 1.*

30. Contra classicum illud caput 1. Iohannis, in quo penitus retunditur ipsorum blasphemia, hoc regerunt pagin. 120. *dici de* λόγῳ, *quod fuerit apud Deum, id vero de eo dici non posse, qui sit Natura Deus, aliàs enim duo forent Dij. Resp.* Plus est in consequente, quàm præmissæ concedunt, id tantùm sequitur, ergo duæ sunt distinctæ personæ, quarum vna est apud alteram. Plura requiruntur ad hoc, vt sint duo ὑφιστάμενα. Vt enim sint duo ὑφιστάμενα, requiruntur hæc duo: vera cuiusque subsistentia, vt vnum non insit alteri, sicut accidens subiecto, & vera cuiusque distinctio, vt vnus non prædicetur de altero: at verò vt sint duo Dij. tertium etiam postulatur, nempe vt sint etiam essentia à se inuicem discreti & distincti. Duo priora non desiderantur in Patre & Filio. Ergo sunt duo verè distincta ὑφιστάμενα, tertium autem non cadit in illorum essentiam simplicissimam & ἀδιαίρετον. Ergo non sunt duo Dij. *Deinde p. 107. regerunt non posse ex hoc capite probari, quod Deus (Filius Dei) homo factus, sic enim intelligendum esse hoc*, quod verbum caro factum, *quasi dictum sit, sermo vel verbum erat caro*: esse hanc vim verbi ἐγένετο, probare cupiunt ex versu 6. præcedente. Erat homo missus: & Luc. 24. v. 19. Erat vir Propheta, sensum loci constituunt talem, *quod is, per quem Deus voluntatem suam plenè nobis patefecit, qui propterea dicitur Verbum, fuerit homo omnibus miseriis & doloribus obnoxius, carnis enim nomine fragilitas humana exprimitur.* Gen. 6. v. 3. 1. Pet. 1. v. 24. *Resp.* 1. Concedimus, carnis nomine includi fragilitatem humanam, quòd scilicet Filius Dei non solùm Naturam nostram, sed etiam infirmitates nostras absque tamen peccato susceperit: sed incommodè hùc refertur locus Gen. 6. vers. 3. ibi enim non fragilitas & infirmitas, sed extrema peruersitas hominum describitur. 2. Propria vis vocabuli ἐγένετο non ex quibusque Scripturæ locis proprio arbitrio haurienda, sed ex parallelis & ὁμοίοις, aliàs enim possem ita colligere, Verbum ἐγένετο caro, sicut aqua vinum facta est Iohan. 2. v. 9. & sic mutatio diuinæ Naturæ in humanam introduceretur, quòd absit. Sunt autem hæc ἀκόλουθα & parallela loca ex quibus vis verbi ἐγένετο colligi potest & debet Hebr. 2. v. 16. σπέρματος Ἀβραάμ ἐπιλαμβάνεται. v. 14. *quia pueri κεκοινώνηκε σαρκὸς καὶ αἵματος, καὶ αὐτὸς παραπλησίως μετέσχε τῶν αὐτῶν.* 1. Tim. 3. v. 16. θεὸς ἐφανερώθη ἐν σαρκὶ. E. Verbum, quod in principio erat apud Deum, (& propriam habebat subsistentiã) in temporis pleni tudine ita factum est caro, vt humanæ Naturæ participeps factum, & in carne manifestatum fuerit. 3. Diuinam Naturam Verbi non solùm diserta appellatione Dei, sed etiam attributis & operibus verè diuinis ibidem Euangelista exprimit, vt etiam personalem eius à Patre distinctionem & substantiam, dum Verbum illud in principio apud Deum fuisse, atque omnia per illud condita esse testatur. Nec quicquam momenti habet, quòd regerunt, *Euangelistam talia in præcedentibus de Verbo commemorasse, quæ post Christi natiuitatem demùm contigerint, vtpote quod Iohannes de ipso testatus*, quòd sui eum non receperint, *Ergo non esse verisimile, quod in hoc demum 14. versiculo incarnatio Filij Dei describatur*: præterquam enim, quod ὕστερον πρότερον in Propheticis & Apostolicis scriptis non est inusitatum, non incongruè talis huius capitis instituitur analysis, vt dicatur, Euangelistam considerare & considerandum nobis proponere Filium Dei, 1. in diuinitate sua absolutè. 2. in opere creationis. 3. in negotio cum hominibus, & 4. in opere incarnationis. Denique ἐκ συνόψεως addimus, loca illa quæ proferunt aduersarij, vt probent τὸ ἐγένετο idem significare quod τὸ ἦν, rectissimè ita accipi, vt per ἐγένετο intelligatur natus fuisse: ἐγένετο ἄνθρωπος ἀπεσταλμένος παρὰ θεοῦ. *Nascebatur homo missus à Deo, &c.*

6. *Contra locum Ioh. 20. v. 28.*

31. Contra egregium Thomæ Apostoli Ioh. 20. vers. 28. testimonium, vbi Christum vocat *Dominum & Deum suum*, hoc regerunt pag. 119. *Thomas eum vocat Deum, in cuius manibus & pedibus clauorum vestigia apparebant, hæc vero non possunt locum habere in eo, qui Natura Deus est. Respon.* itane verò? num propterea Christus non est verus Deus, quia verus homo? quare se constituunt Scripturæ Magistros, cuius debebant esse discipuli? exponant nobis quare fidem denegent Scripturæ, quæ disertè testatur, diuinam & humanam Naturam esse in Christo? pag. 55. dicunt, *non solùm rectè rationi,*

sed

sed etiam Scriptura hoc aduersum esse, qua de re videbimus infrà suo loco. Possent hûc vtiliter quædam referri ex primo genere communicationis idiomatum, quia enim D. Thomas tangebat carnem veri Dei, ideò eum quem tangebat, rectè potuit nominare Deum suum, qua de re plura suo loco.

7. Contra locum Rom. 9. v. 5.

32. Contra egregium Apostoli testimonium Rom. 9. v. 5. *Christus est super omnia Deus benedictus in secula*, itidem hoc regerunt pag. 119. *quia Paulus eum, quem vocat Deum, dicat esse ex Patribus secundùm carnem, ideò non posse ex eo concludi, quòd sit Natura Deus. Resp.* contrario modo debebant omninò procedere, quia Paulus eum, quem ex Patribus secundùm carnem, id est, secundùm humanam Naturam esse dicit, verum Deum super omnia benedictum esse testatur. Ergo in Christo non solùm est humana Natura, secundùm quam ex Patribus; sed etiam diuina, secundùm quam est verus Deus ab æterno à Patre genitus in secula benedictus. Fidei regula coniunctim acceptanda est, nec partes eius sibi inuicem opponendæ sunt, vt suo loco comprobatum dedimus. Veteres Ariani nefariam introducebant diuisionem in textu Apostolico, & post πάντων ponebant punctum, verba sequentia exponebant tanquam votum ad solum Patrem pertinens, sed nulli veterum Interpp. cognita fuit hæc distinguendi ratio.

Contra locum Act. 20. v. 28.

33. Quid contra lucem Apostolici pronunciati Actor. 20. vers. 28. *Deus suo sanguine Ecclesiam redemit*, proferunt hi tenebriones? Ita regerunt p. 83. *nomen Dei ad Patrem referri*: At num Patripassianorum errorem errabimus? num Deus Pater fœdere personali sanguinem & carnem nostram sibi vniuit? respondent, *fieri hoc propter vnionem Patris & Christi, sicut pupillam oculi sui Deus eos tangere dicit, qui populum fide sibi vnitum tangunt.* Atqui diuersissima est ratio; inter Patrem & Filium est vnitas essentiæ, sed inter Deum & fideles est spiritualis non essentialis vnitas. 1. Cor. 6. v. 17. *Qui adhæret Domino, est vnus Spiritus.* Necessariò igitur nomen Dei in Apostolico pronunciato accipiendum est personaliter, pro Dei Filio, qui solus ita nos redemit: vt sanguinem suum in ara crucis pro nobis profuderit, quod nusquam Patri tribuit Scriptura. *Addunt, in phrasi Syriaca pro nomine Dei haberi nomen Christi. Resp.* Græci fontes sunt authentici, & confirmat hoc sententiam nostram, quòd non ad Patrem sed ad Christum sit hic locus referendus.

Contra locũ 1. Tim. 3. v. 16.

34. Similis corruptela est dicti 1. Tim. 3. vers. 16. *Deus manifestatus est in carne.* Regerunt enim pag. 112. primò *in quibusdam exemplaribus latinis & translatione vulgata non haberi nomen Deus. Resp.* Græcus textus authenticus est, qui constanter illud nomen legit, & res ipsa requirit ibidem legi. *Secundo dicunt, de Patre intelligi posse, quòd in Christo manifestauerit Apostolis, qui fuerunt caro. Resp.* Diserte Apostolus dicit in carne Deum manifestatum esse, quę est luculenta descriptio incarnationis τοῦ λόγου: violenta σχεδιότης est, illam ἐν σαρκὶ φανερώσιν referre ad manifestationem Patris in Christo Apostolis factam, non enim τῷ σαρκὶ sed ἐν σαρκὶ eam esse factam pronunciat Apostolus. *Proponimus hoc argumentum Apodicticum.* Is est *manifestatus in carne, qui iustificatus in Spiritu, visus Angelis, prædicatus in gentibus, creditus in mundo, assumtus in gloria.* Sed solus Filius, non Pater, iustificatus in Spiritu, visus Angelis, prædicatus in gentibus, creditus in mundo, assumtus in gloria. Ergo de solo Filio intelligendum est, quod sit in carne manifestatus. Maiorem confirmat ipse contextus: Minor euidens est ex secundo articulo Symboli: Filius enim Dei, Deus verus, Patri consubstantialis assumsit humanam Naturam & sic *in carne manifestatus est*: & quamuis humilitas carnis multos offenderet, tamen iustificatus est in Spiritu, id est, operibus diuinis & misso Spiritu comprobatus & declaratus est Dei Filius: *eundem à mortuis resurgentem* viderunt *& admirati sunt* Angeli: *idem Messias* prædicatus est *non modò Iudæis, sed etiam* gentibus, per quam prædicationem fides in cordibus hominum accensa est, & sic in mundo, id est, à fidelibus in mundo est creditus. *Item tandem* assumtus in gloriam *cœlestem, sedet ad dextram Dei atque omnia in cœlo & terra gubernat, quod profectò magnum est mysterium.* Quomodo verò aduersarij σχεδιάζειν hunc locum? *Deus, id est voluntas Dei de hominum salute est planè manifestata per infirmos homines, & pro vera agnita ex miraculis & virtute, quæ per infirmos illos homines fiebant: primùm Angelis manifestata, & postea non solùm Iudæis, sed etiam gentibus: omnes in vniuersum ipsi crediderunt, sicque gloriosè est recepta.* Quid sit torquere Scripturas, si hoc non sit, videre nequeo: 1. nomen Dei accipiunt pro voluntate Dei. 2. ἐν σαρκὶ dictum esse volunt pro διὰ τοῦ σαρκὸς. 3. ἀνελήφθη, quod est q. ἄνω ἐλήφθη, & ad descriptionem ascensionis Christi refertur. Marc. 16. v. 19. Actor. 1. v. 2. eamque accuratè exprimit, itidem transferunt ad metaphoricam fidei susceptionem.

10. Contra locum Tit. 2. v. 13.

35. Contra Apostolicum locum Tit. 2. vers. 13. vbi Christus dicitur *magnus Deus*, hoc proferunt p. 79. *Apostolum non dicere, quòd expectemus apparitionem magni Dei, sed apparitionem gloriæ magni Dei, iam verò in Aduentu Christi ad iudicium apparebit gloria Dei Patris, quia in gloria Patris Christus veniet, & geret personam Patris, id est, administrabit officium à Patre sibi demandatum. Respon.* 1. Si ex hypothesi daretur, nomine magni Dei intelligi Patrem, tamen adhuc staret Patri & Christo tribui eandem gloriam, diuinam scilicet & infinitam, vtique ergo etiam vna & indiuisa Deitas Patri & Filio tribuenda erit, quia gloria diuina & Deitas sunt realiter vnum. Sic Matth. 16. versic. 27. Marc. 8. vers. 38. Filius Dei *venturus dicitur in gloria Patris*, & tamen Matth. 25. vers. 31. dicitur, *quòd Filius hominis sit venturus* in sua gloria, vt doceamur Filium ab æterna, infinita & diuina Patris gloria minimè excluſum esse. 2. *Reuelatio gloriæ* phrasi Hebraica dicitur pro glorioſa & maiestatis plena reuelatione, proinde non potest ita distingui inter reuelationem gloriæ, & reuelationem Christi. 3. *Vox* ἐπιφανείας sæpius vsurpatur in Nouo Testamento, nusquam autem tribuitur Patri, sed semper refertur ad Filium. 4. Vtrumque iſtud *nomen Dei & Seruatoris* in Græco vni articulo subiicitur, ac proinde non nisi de vna persona intelligi potest, sicut 2. Corinth. 1. vers. 3. & Ephes. 1. vers. 3. Θεὸς καὶ πατὴρ Ἰησοῦ Χριστοῦ non nisi vnam personam significat. Quamuis verò regulam hanc vnius loci allegatione videlicet Luc. 19. vers. 45. vbi dicitur τοὺς πωλοῦντας καὶ ἀγοράζοντας infringere conentur, tamen non ita facilè eludi potest, quia iidem potuerunt esse diuerso respectu vendentes & ementes, vt notum est ex mutuis commerciis. *Afferunt adhuc alium locum* ex Ephes. 5. vers. 5. *in regno Christi & Dei*, vbi itidem est saltem vnicus articulus, & tamen duæ indicantur personæ, at commodissimè locus sic intelligitur in regno Christi, qui est Deus, & sic nostram magis confirmat sententiam. Vnum est Patris & Filij regnum, sicut vna potentia, vna maiestas, & vna Deitas.

11. *Contra locum 1. Ioh. 5. v. 20.*

36. Quid contra manifestissimum locum 1. Ioh. 5. v. 20. vbi Filius dicitur disertè *verus Deus*, proferre possunt? Ita regerunt pag. 76. *non posse verba, hic est verus, referri ad Christum, cum in Græco addatur articulus* ὁ ἀληθινὸς θεὸς. *Etsi enim Christus sit verus Deus, tamẽ non est vnus ille verus Deus, qui solus à seipso & perfectissimè Deus est: præsto etiam esse exempla, in quibus relatiuum non ad proximè præcedens, sed ad superius sit referendum.* Act. 7. v. 19. c. 10. v. 6. 2. Ioh. v. 7. *Resp.* 1. Acceptamus, quod fatentur nomine τὸ ἀληθινὸν θεὸν intelligendum hoc loco eum, qui est verè & Natura Deus, & subiungimus, necessariò hoc ad Christum referendum esse, non solùm ex eo, quia nomen Filij proximè præcedit, sed etiam quia additur, *hic est verus Deus & vita æterna*, quod coniungimus cum vers. 11. cap. 12. *Vitam æternam dedit nobis Deus, & hæc vita in Filio eius est, qui habet Filium, habet vitam.* 2. Quamuis Filius sit ab æterno à Patre genitus, tamen hoc non impedit, quò minus sit & agnoscatur Natura Deus & perfectissimè Deus, quia proprietates personales non constituunt (vt ita loquar) Deitatem, sed distinguunt personas. Pater non ideò est Deus, quia ἀγέννητος, sed quia est essentia diuina, æterna, omnipotens, &c. ac proinde personales proprietates non addunt, nec adimunt quicquam Deitati, non enim propterea maior est perfectio, aut maior Deitas in Patre, quia ipse est ἀγέννητος, quàm in Filio genito. Ratio est, quia eadem essentia diuina per æternam generationem Filio communicata est. Exemplum cape ex humanis. Natura humana efficit, vt aliquis sit homo, siue illa per creationem siue per generationem sit cõmunicata: nos ex parentibus geniti non minus sumus homines quàm Adamus, qui per modum creationis habuit Naturam humanam. Item Adamus non propterea Natura magis homo est, & posteriori ipso minùs, quia ex ipso geniti sumus, &c. 3. Etiamsi quibusdam locis relatiuum ad superius, non ad proximè præcedens referendum est: non tamen ex eo euincitur, etiam hoc loco id esse necessarium: quia ratio diuersitatis est euidens, res ipsa ostendit in allegatis locis id necessarium esse, sed nulla hîc ad id necessitate cogimur.

12. *Contra loca in quib. Christus dicitur Dominus.*

37. Contra ea loca, in quibus Christus dicitur *Dominus*, hoc regerunt p. 138. *non posse ex illo diuinam Naturam Filij probari.* 1. *Quia* 1. Cor. 8. v. 6. *manifestè ita distinguitur, vt Pater dicatur Deus, Filius autem Dominus. Resp.* Eadem ratione infertri posset, Patrem non esse Dominum, si propterea Filius Dei negetur esse Deus, quia dicatur Dominus: ostẽdimus autem suprà, quare Scriptura, quando coniungit Patrem & Filium, illi nomen Dei, huic autem Domini tribuat: præterea, vt à Patre, ita per Filium omnia esse dicuntur, qua loquendi formula nullam inæqualitatem denotari, ostendimus infra. Quando ergo Apostolus dicit, Vnum esse Deum, à quo omnia, nomen Dei accipit κατ' ἐξοχὴν pro tribus Diuinitatis personis, postea distinctam facit mentionem Filij, quia ipse Mediator, per quem Deo sumus reconciliati, per quem nobis ad Deum patet aditus, per quem *& cuius merito* omnia à Deo ad nos descendũt bona: atque hoc ipsum Mediatoris officium diuinam Filij Naturam præsupponit, vt suo loco ostendemus. 2. *Idem, qui crucifixus est, dicitur* Dominus gloriæ 1. Cor. 2. v. 8. *ergo ideò dicitur Dominus, quia gloria & honore coronatus. Resp.* Christus non solùm secundùm humanam Naturam est factus & constitutus omnium Dominus in sua ad dextram Patris exaltatione, sed secundùm diuinam Naturam est verus Iehouah & Dominus ab æterno à Patre genitus, imò nisi secundùm diuinam Naturam hæc gloria ipsi competeret, humanæ communicari non potuisset, est enim communicatio personalis, non autem essentialis diuinorum attributorum in humanam Naturam transfusio. 3. Quotiescunque *Christus dicitur Rex Regum & Dominus dominantium, nihil aliud indicari tradũt, quàm magnam illam ἐξουσίαν Christo datam in rebus ad nouum fœdus pertinentibus. Respon.* Imò verò exprimitur diuina ipsius δύναμις & maiestas, non autem nuda vel limitata quædam ἐξουσία: soli enim vero Deo hoc competit, quòd sit & dicatur *Rex Regum & Dominus dominantium* 1. Tim. 6. v. 15. vbi obserua egregium locum de Filio Dei Apoc. 19. v. 11. *Vidi cœlum apertum, & ecce equus albus, & qui sedebat super eum vocabatur fidelis & verax, &c.* v. 12. *In capite eius diademata multa, habens nomen scriptum, quod nemo nouit, nisi ipse.* v. 13. *& vestitus erat veste aspersa sanguine, & vocatur nomen eius Verbum Dei.* v. 16. *& habet in vestimento suo nomen scriptum: Rex Regum & Dominus dominantium.*

38. Exposuimus hactenus primam argumentorum classem, ex quibus vera Filij Deitas comprobatur: altera classis petenda est ex attributis diuinis, tùm essentialibus, tùm etiã proprietate personali, vbi *proponimus respectu attributorum essentialium tale argumentum.* Cuicunque essentialia Dei attributa in Scripturis tribuuntur, ille est verus Deus: ratio est, quia essentialia attributa cum essentia sunt realiter ταυτὸ in Deo. Filio Dei tribuuntur essentialia Dei attributa. Ergo est verus Deus. Minorem confirmamus 1. speciali attributorum diuinorum enumeratione. 2. locis illis, quæ testantur, Filium esse Patri ὁμοούσιον atque æqualem; Filium habere omnia, quæ Pater habet, &c. nam illa ὁμοουσία & æqualitas ex essentiæ & attributorum essentialium identitate oritur. *Deitas Filij probatur ex attributis diuinis.*

39. De attributis essentialibus monemus hæc duo: 1. Quamuis omnia & singula attributa diuina, prout iuxta tres distinctas classes in superiori disputatione enumerata sunt, Filio reuera competant, ipsiq; competere ex Scripturis immota consequentia ostendi possit, tamen contenti erimus enumeratione eorum attributorum, quæ sigillatim & in specie Filio Dei Scriptura tribuit, ex illis enim iudicium fieri potest de reliquis. Sic Filius Dei est essentia spiritualis, est inuisibilis, simplicissimus &c. quia scilicet est ab æterno à Patre genitus, est lux vera, &c. 2. Referenda hûc sunt non solùm ea testimonia, quæ Christum secundùm diuinam Naturam omnipotentem, omniscientem, viuificum, &c. esse comprobant, sed & illa, quæ Christo secundùm humanam Naturam ea communicata esse demonstrant. Cùm enim humana Christi Natura idiomata ista non in semetipso, velut in subiecto habeat, sed in persona Verbi, in cuius vnitatem assumta est, realiter ea sibi communicata obtineat, ideò non minus ex idiomatum istorum cõmunicatione vera Christi Deitas demonstrari potest. Nisi λόγος suam humanitatem intra complexum quasi, vnitatemque suæ hypostaseos assumsisset, nunquam profectò omnipotentiæ cæterorumque idiomatum, quæ hypostasin illam Verbi non egrediuntur, particeps illa fieri potuisset. Enumerabuntur verò illa de idiomatum communicatione Christo secundùm humanam Naturam facta testimonia in loco de persona Christi.

40. Vt igitur quædam diuina attributa, quæ Filio Dei Scriptura tribuit, commemoremus, initium faciemus ab *Aeternitate*. Porrò Filium Dei æternum esse probant consequentia testimonia. 1. In quibus dicitur ipsum ab æterno à Patre genitum. Ps. 2. v. 7. *Filius meus es tu, hodie genui te.* Hodie exprimit æternitatem, *Aeternitas Filij Dei.*

tatem, quæ non complectitur heri & cras, priùs & posteriùs, sed est perpetuum *νυῦ*, perpetuum hodiè. Totus Psalmus agit de Christo, vt non solùm omnes circumstantiæ ostendunt, sed etiam allegatio Apostolica in N.T. De eo dicit Pater, quod hodie, id est, ab æterno eum genuerit Psal.72.v.17. *Ante Solem sobolescit nomen eius*, seu per modum filiationis nascitur. Commemorantur in isto Psalmo talia, quæ Salomoni non competunt sed Messiæ, cuius typus fuit Salomon; E. etiam hoc ipsum ad Christum est referendum, quod ante Solem, id est, ante Solis & mundi creationem ab æterno (vt ita loquar) filiatus sit, id est genitus à Patre. Mich.5.v.2. *Egressus eius à diebus æternitatis*. Agit hæc Prophetia de Christo, iuxta infallibilem interpretationem Matth. 2. vers.6. ac prædicit, Christum in Bethlehem quidem nasciturum, interim tamen habere ipsum adhuc aliam natiuitatem siue alium egressum, nimirum quia ab æterno est à Patre genitus. 2. In quibus dicitur æternus. Esa.9. vers.6. Puer nobis natus *vocatur Pater æternitatis*: ideò æternus, qui ab æterno à Patre genitus; ideò Pater, quia vnà cum Patre omnia creauit, & per ipsum in Filios Dei regeneramur ad vitam æternam. Sensus ergo hic est Dicti Prophetici; Christus non solùm in tempore ex virgine nascetur, sed habet aliam priorem & superiorem natiuitatem, propter quam est æternitatis siue æternus Pater. 3. In quibus dicitur fuisse ante omnes creaturas: ex eo enim itidem colligitur æternitas, siquidem inter Deum & creaturas nullum est medium, ante creationem nihil fuit, nisi Deus: quidquid est, aut est increatus Deus, aut facta creatura: ita quoque inter creationem & æternitatem nullum est medium, quicquid est, aut creatum est in tempore, aut ab æterno est: vnde etiam æternitatem Dei Scriptura hac periphrasi describit, quòd fuerit *antequam montes essent, ante mundi constitutionem, &c.* Psal.90.vers.3. Ephes.1.vers.4. Porrò Filium Dei fuisse ante omnes creaturas, sic probamus. Prouerb.8. vers.22. dicit Sapientia Dei (quæ est Filius 1.Corint. 1.vers.24.) *Dominus possedit me ab initio viarum suarum, antequam quicquam faceret à principio* (id Iohannes sic exprimit cap.1.v.2. *Verbum erat in principio apud Deum*) vers.23. *ab æterna constituta sum*. Psalm.2.vers.6. *Dominus constituit me Regem super Sion* (vbi eadem vox habetur in Hebræo) *& ex antiquis, antequam terra fieret*. vers.24. *nondum erant abyssi, & ego iam genita eram*. (Psal.2.vers.7. *hodiè genui te*) *necdum fontes aquarum eruperant*. vers.25. *necdum montes infixi erant, ante omnes colles ego genita sum*. vers.26. *adhuc terram non fecerat, & exteriora, & montes orbis terræ*. vers.27. *quando præparabat cœlos, ego aderam, quando certa lege & gyro vallabat abyssos*. vers.28. *quando æthera firmabat sursum, & confirmabat fontes abyssi*. vers.29. *quando circumdabat mari terminum suum & legem ponebat aquis, ne transirent fines suos*. vers.30. *quando constituebat fundamenta terræ, cum eo artifex eram*. (Ioh.1.v.3. *Omnia per ipsum facta sunt*) *& delectabar per singulos dies ludens coram eo, &c.* vers.31. *& delitiæ meæ esse cum filiis hominum* (humanum genus habeo in deliciis, hominum causa mundum creaui, humanam etiam naturam in temporis plenitudine assumam, &c.) Ioh.1.vers.1. *In principio erat Verbum* (*cùm in principio Deus crearet cœlum & terram*. Genes.1.ver.1. Verbum, seu Filius Dei, non fiebat primum, sed iam erat) vers.2. *Hoc erat in principio apud Deum*. Iohan.8. vers.58. dicit Christus: *Antequam Abraham erat, ego sum*. Ioh.17.v.5. *Glorifica me Pater, ea gloria, quam habui antequam mundus esset*. Coloss.1.v.15. *Christus est primogenitus omnis creaturæ*. Hebr.7.v.3. *Christus nec initium dierum, nec finem vitæ habet*. Hebr.13.vers.8. *Iesus Christus heri & hodiè, idem etiam in secula*. 1.Ioh.1.ver.1. *Verbum vitæ, quod erat in principio*. Apoc.1.v.17. dicit Filius Dei: *Ego sum primus & nouissimus*, quam esse descriptionem æternitatis, patet ex Es.41.v.4. & cap. 44.v.6. Apocal.1.v.8.11.c.21.v.6.c.22.v.13. *Ego sum α & ω*. c.22.v.16. *Ego sum radix Dauid* (iuxta diuinam Naturam, quia iuxta humanam *est surculus ex radice Dauidu*. Esa.11.v.1. *Germen Dauidu*. Ier.23.v.5.) Ioh.1. v.27. *ante Iohannem fuisse* dicitur.

41. Quid contra hanc lucem isti tenebrarum filij? quid contra æternam Filij generationem profe- rant, postea videbimus: hac vice audiemus ipsorum exceptiones contra æternitatem Filij. Contra Psal.2. v.7. *Ego hodie genui te*, excipiunt p.67. *nihil in eo vel de æterna generatione, vel de generatione ex substantia Patris cum haberi*: at hoc est Soli in meridie lucenti tenebras inferre, quid enim est, Hodie genui te? quid hodie est aliud apud Deum, quàm æternitas? & quid generatio aliud, quàm ex substantia productio? *Hodiè*, inquiunt, *certum tempus exprimit, non autem æternitatem*: *Resp.* Quando vocabula ex rebus humanis ad Deum transferuntur, repurganda sunt priùs ab omnibus imperfectionibus, & tum demum id quod relinquitur purum ac perfectum, ad Deum transferendum est: Sic Hodiè notat præsens & excludit præteritum ac futurum, connotat autem simul temporis successionem: hæc imperfectio scil. temporis successio, priùs repurganda est, & tum quòd superierit, videl. mera præsentia absque vlla præteriti ac futuri alteratione Deo tribuenda est, cui in *νυῦ* fixo & immobili omnia sunt præsentia, nihil ei est præteritum, nihil etiam futurum: Proinde per vocem *Hodie*, nihil nisi mera æternitas notatur. Aug. sup. Psal.2.tom.8. *Hodie præsentiam significat, iam verò in æternitate, nec præteritum quicquam est, quod esse desierit, nec futurum, quòd nondum sit, sed præsens tantùm*. 2. *Verba hæc*, Ego hodie genui te, *iuxta sensum literalem dicunt de Dauide loqui*. *Resp.* Falsissimum hoc est, totus Psalmus in sensu proprio & literali agit de Christo, quòd non solùm omnes circumstantiæ textus, sed etiam Apostolica interpretatio in N.T. euidenter & irrefragabiliter conuincit. 3. Dicunt, *verba hæc Act.13. 33. ad Christi resurrectionem, & Heb 5.v.5. ad ipsius exaltationem referri*. *Resp.* Heb.1. vers.5. hoc testimonium eo modo, eaque intentione citatur, vt probet autor id, quod initio capitis sibi proposuerat, videl. Christum esse illum Dei Filium, *quem* (tanquam primogenitum & vnigenitum) constituit heredem vniuersorum, per quem & secula (id est, mundum) fecit, qui est splendor gloriæ & character hypostaseos Patris, qui omnia portat verbo suo potenti; quæ certè non competerent Christo, si nudus homo esset in tempore natus, sed docent eum esse æternum & increatum, eiusdem cum Patre essentiæ, rerum omnium cum Patre conditorem & conseruatorem, adeoque verum Deum. Quod autem Act.13.v.33. & Heb.5.v.5. ad Christi resurrectionem atque exaltationem Dictum Psalmi accommodatur, id intelligendum est fieri iuxta vulgatam illam regulam: *Multa tunc fieri dicuntur, quando facta esse intelliguntur & manifestantur*. Christus in resurrectione & exaltatione sua demonstratus ac *declaratus est Dei Filius*. Rom.1.v.4. quo sensu & quo respectu testimonium de æterna Filij generatione & vera eius Deitate ad resurrectionem transfertur. 4 Dicunt, *testari Scripturam, quòd Deus alio modo generet quàm ex substantia sua*, dum credentes ex Deo natos pronunciat. Ioh.1.v.13. cap.3.v.9. Iac.1.v.18. *Resp.* Subordinata non sunt sibi inuicem opponenda. Christus est Dei Filius, & credentes sunt Dei filij, non tamen vno eodemq; modo

Neo-Photinianorum exceptiones contra Filij æternitatē.
1. *Contra loca cum Psal.2. v.7.*

& respectu. Christus est Dei Filius per æternam à Patre generationem: Credentes sunt Dei filij per suam ex verbo & Spiritu regenerationem; ille est filius naturalis eiusdem cum Patre essentiæ, vnde dicitur vnigenitus, proprius & vnicus Dei Filius; hi verò sunt filij adoptiui, nec nascuntur, sed fiunt Dei filij. Si Christus esset in censu & numero reliquorum Dei filiorum, qui per adoptionem tales sunt, quomodo dici posset vnigenitus, proprius & vnicus Dei Filius? Rectè Hilarius lib. 3. de Trinita. pag. 36. & libr. 12. pag. 255. *Multi nos Filij Dei, sed non talis hic Filius est: hic enim & verus & proprius est Filius, origine, non adoptione: veritate, non nuncupatione; natiuitate, non creatione.*

2. *Contra locum Mich. 5. v. 1.* 42. Contra dictum Propheticum Mich. 5. vers. 2. *Egressus eius à diebus æternitatis* excipiunt p. 66. *mentionem fieri principij & dierum, quæ in æternitate non habent locum: in Hebræo enim ita legi, à diebus seculi, quam esse certi temporis descriptionem, patere posse ex* Esa. 63. v. 9. 11. Malach. 3. v. 4. Sensum igitur loci esse, quòd *Christus principium familiæ habeat in Dauide, qui oriundus erat ex Bethlehem. Resp.* 1. Hæc explicatio repugnat allegationi Apostolicæ in N. Test. siquidem Matth. 2. v. 6. Ioh. 7. vers. 42. ad Christum in literali sensu hoc dictum refertur, quòd ipse ex Bethlehem secundùm humanam naturam oriundus sit. 2. Describitur igitur in dicto Prophetico vtraque Christi Natura, quòd secundùm humanam Naturam oriundus sit ex Bethlehem, quodque altiorem adhuc natiuitatem in ipso considerare debeamus, videlicet æternam à Patre generationem: additur etiam descriptio officij, quòd *futurus sit Dominator Israelis.* 3. In Hebr. est קדם מִימֵי עוֹלָם. קדם tempus quidem aliquando notat, interim tamen, si Deo attribuitur, æternitatem significat, qua de re videatur Forsterus in Lexico in voce קדם. Vox עולם sua Natura & origine æternitatem significat, deducitur enim ab עלם, abscondit, quia æternitatis principium & finis est absconditus. Quamuis verò aliquando hæc vocula denotet perpetuitatem limitatam, tamen quando de Deo dicitur, significat perpetuitatem absolutam, qua de re videatur D. Chemn. part. 2. locorum pag. 50. 51. Nec quicquam obstat, quod additur vocula Dierum, quia intelliguntur & sunt dies æternitatis siue æterni Dies. Scriptura verbis huius seculi describit res cœlestes & diuinas, condescendit nobis, vt nos consurgamus ei. LXX. reddiderunt: ἐξοδοι αὐτῦ ἀπ' ἀρχῆς ἢ ἐξ ἡμερῶν αἰῶνος, de significationibus αἰῶνος videatur Damasc. lib. 2. orth. fid. c. 1. Porrò vt horum βλασφημιάχων impietas magis elucescat, asscribemus explicationē Rab. *R. Haccados* in Gale Rascheja, *Dicit egressus in numero multitudinis, quia duo sunt Messiæ egressus, vnus diuinitatis, alter humanitatis. Resp.* Salomon in gloss. *Egressus Messiæ ab æterno, à diebus æternitatis: & hoc est, quod dicit Scriptura: Ante Solem permanet nomen eius.*

3. *Contra locum Esa. 9. v. 6.* 43. Contra dictum Esai. 9. vers. 6. vbi puer nobis natus dicitur *Pater æternitatis*, ita excipiunt p. 128. *certa ratione Christum dici* Patrem æternitatis, *nimirum, quia est Dux vitæ & Pater futuri seculi, non autem quia ab æterno genitus. Resp.* Christus non ideò solùm est Pater æternitatis, quia in æternum viuit & æternam vitam dare potest in se credentibus, sed etiam, quia ab æterno cum Patre & apud Patrem fuit, iuxta interpretationem Apostolicam Ioh. 1. v. 1. imò inde & ideò *credentes in Christum habent vitam æternam*, quia ipse est æternus Dei Filius. est *fons vitæ & vita æterna.* 1. Ioh. 5. v. 16. Quod secundo loco addunt, *ad personam Patris dictum hoc referendum esse*, nulla dignum est responsione, quia contrarium ostendit euidentia textus & allegatio Apostolica in Nouo Testamento.

44. Contra egregium illum locum Prou. 8. v. 22. excipiunt 1. *Salomonem loqui de Sapientia in genere, Apostolum autem loqui de Sapientia Dei. Resp.* Friuolum hoc est. Etsi enim Salomon non addat expressè, se loqui de Sapientia Dei, tamen circumstantiæ textus id euidentissimè ostendunt, talia enim tribuit isti Sapientiæ, de qua loquitur, quæ non possunt aliter quàm de Sapientia Dei accipi. 2. *Dicunt, Salomonem loqui de tali Sapientia, quæ nec sit, nec esse possit persona, tribuit enim ei, quod per illam regnent Reges, quod omnes homines ad se vocet, &c. Resp.* Falsissimum hoc est, non posse hæc competere personæ per se subsistenti, neque hæc erant nudè proponenda, sed etiam probanda. Ac vel si maximè quædam de sapientia in verbo reuelata intelligenda sint, tamen hic ipse locus cap. 8. non potest aliter quàm de Filio Dei intelligi. 3. *Dicunt, in Hebræo legi à seculo, quòd sit nota determinati temporis. Resp.* Eginus hac de re superiùs. Salomon certè tot descriptionibus æternitatis h. l. vtitur, vt valdè peruicacem esse oporteat, qui hoc negare ausit. Perstat argumentum nostrum immotum. Inter æternitatem & creationem in tempore factam nullum datur medium. At Sapientia dicit, se ante creationem fuisse. E. æternam se esse pronunciat. 4. *Contra locum Prou. 8. 22.*

45. Contra classicum locum Iohan. 1. v. 1. *In principio erat Verbum*, ita excipiunt p. 59. *mentionem ibi fieri principij, quod æternitati est contrarium. Intelligi autem nomine principij Euangelij initium, cuius descriptionem Iohannes sibi proposuerat; id ex eo probant, quod Scripturæ in more positum voculam Principij limitatè ad id referre, de quo propriè est sermo.* Dan. 8. v. 1. Ioh. 15. v. 27. cap. 16. vers. 4. Act. 11. v. 15. *Resp.* 1. Omnes circumstantiæ textus ostendunt, Johannem respexisse ad primum caput Geneseos. Vt enim ibi Moses dicit; In principio creauit Deus cœlum & terram: ita Euangelista dicit: In primo isto rerum omnium principio iādum fuisse Verbum, non autem vnà cum cœlo & terra ortus sui principium accepisse. Quemadmodum Moses *dicendo* Deum omnia creasse pronunciat: ita Johannes dicit, omnia per illud *Verbum* ὑποστατικὸν facta esse. 2. Peiores sunt hi Antichristi ipso Ario, qui veritatis vi adactus concessit, nomine principij intelligendum esse rerum omnium conditarum & seculorum initium, vnde etiam pag. 126. Arij sententiam vocant erroneam. 3. Scopus Euangelistæ in toto hoc non solùm capite, sed etiam libro est, demonstrare Iesum esse non solùm Dauidis Filium (quod reliqui Euangelistæ in Genealogia Christi iam antè docuerunt, & qua decepti Carpocrates, Ebion & Cerinthus ipsum ψιλὸν ἄνθρωπον esse voluerunt) sed etiam Filium Dei, verum Deum, eóque verum mundi Saluatorem. Testantur veteres vnanimi consensu hæreticas istas Ebionis & Cerinthi blasphemias occasionem scribēdi sui Euangelij Johanni extitisse. Epiph. in Pan. lib. 1. tom. 2. hær. 27. 28. 30. lib. 2. tom. 2. hær. 69. Theodor. in Epit. her. lib. 2. Euseb. lib. 3. hist. c. 27. Aug. tom. 6. li. de hær. hær. 7. 8. 10. 4. Dicimus ergo nomine *Principij* absolutè posito semper intelligi rerum omnium primum principium: iam verò hoc ipso loco principij nomen ponitur absolutè, nec refertur vel ad Euāgelium vel ad renouationem mundi. Ergo intelligi-gitur primum illud creaturarum principium: ac proinde vt Moses nomine principij excluſit omnes res, quarum postea distinctam creationem explicat; ita etiam Iohannes vult dicere: In principio eùm adhuc nihil quicquam rerum aut temporum esset à Deo conditum, erat ὁ Λόγος. Basil. homil. in princ. Euang. Iohan. ἀρχῆς ἡ κορυφὴ ἡ καταλαμβάνεται. 5. Neue vlla

6. *Contra locum Iohan. 1. v. 1.*

reſtet

restet dubitatio, coniungimus locum Prou.8.v.22. vbi dicit hic Λόγος, seu Sapientia: *Iehouah possedit me initio viarum suarum.* Initium viarum est initium creationis, quia in creatione Deus se primò patefecit & quasi ad nos venit. Mich 5. vers.2. *Egressus eius ab initio, à diebus aeternitatis,* Coloss.1. vers.15. est πρωτότοκος πάσης κτίσεως genitus ante omnem creaturam. Imò ipse Johannes clarissimè explicat, quid nomine principij intelligat, subiungit enim, *Omnia per ipsum facta sunt.* Ergo ita ὁ Λόγος fuit in principio, vt per ipsum omnia acceperint suæ existentiæ principium. Antichristi id ita peruertunt, vt referant ad renouationem, sed hac de re suo loco agemus: hac vice nihil aliud dicimus, quàm Apostolum Paulum liquidissimè ostendere vim & sensum huius propositionis. Coloss.1.v.16. *Per eum* (Christum) *omnia, quæ in cœlis sunt, & quæ in terra visibilia & inuisibilia, &c. omnia per ipsum & in ipso creata sunt.*

6.Contra locum Ioha.8.58.

46. Contra dictum Ioh.8.v.58. *Antequam Abraham erat, ego sum:* ita excipiunt pag.61. 1. *Aliud esse, quod ante Abrahamum Christus fuerit, aliud verò quod ab æterno. Resp.* imò verò sufficit hoc nobis contra ipsorum blasphemiam, quia negant Christum ante suam ex Maria natiuitatem fuisse, cuius contrarium disertissimis verbis ipse Christus pronunciat. Deinde ex eo, quod Christus dicit, se fuisse ante Abrahamum, optima consequentia ipsius æternitas colligitur. Non enim secundùm humanam Naturam fuit ante Abrahamum. Ergo secundum diuinam, aut ostendant dari tertium. 2. *Dicunt, Græcum textum ita legi posse:* Amen amen dico vobis, antequam Abraham erit, ego sum. Collationis gratia addunt Ioha.13.v.19.c.14.vers.29. Sensum dicunt hunc esse. *Credite, quod ego sim lux mundi, antequam gratia Dei vobis auferatur, & gentibus detur, sicque reipsa Abraham vi nominis sui multarum gentium Pater fiat. Resp.* hoc verò est torquere & adulterari Scripturas, non interpretari. Dixerat Christus vers.51. *Amen dico vobis, si quis sermonem meum seruauerit, mortem non videbit in æternum.* Obiiciunt Iudæi v.52. *Abrahamum & Prophetas esse mortuos.* Respondet Christus vers.56. *Abraham Pater vester exultauit, vt videret diem meum, & vidit, & gauisus est.* vers.57. obiiciunt denuò Iudæi: *Quinquaginta annos nondum natus es, & Abraham vidisti.* Respondet Christus v.58. *Amen amen dico vobis, antequam Abraham esset, ego sum,* vers.59. Iudæi probè animaduertentes, quod se Deum æternum esse hoc ipso pronunciato testetur, existimant blasphemiam hanc lapidibus vindicandam esse, sicut etiam faciunt Ioh.10.v.31. meritò ergo dicat quis cum Augu. tract. 48.in Ioh. Ecce *Iudæi intellexerunt, quod non intelligunt Ariani.* Antecedentia & consequentia, siue vt Epiphan. loquitur, εἱρμος ἀκολουθίας violentem illam aduersariorum detorsionem euidentissimè refellunt. Præterea cui hæc noua & nulli veterum Interpretum ne per somnium quidem cognita explicatio in mentem venire potest, qui ἀδ᾽ ἀκριβειαν verba Christi legit: Amen amen dico vobis, antequam Abraham erat, ego sum. Aduersarij addunt illud πιστεύετε: item Christus absolutè pronunciat se esse, illi addunt prædicatum, quod sit *lux mundi*? Mutant enim tempus præteritum in futurum, quamuis enim τὸ γενέσθαι aliquando de futuro tempore accipiatur, tamen huic loco significatio ista planè non congruit, quia quæstio est de præterito tempore, an Abraham viderit diem Christi? Denique in voce Abraham quærunt mysterium, quod Iudæis in mentem venire non poterat, cùm tamen Christus testetur Ioh.10.v.20. se nec loci nec modi docendi ratione *in abscondito quicquam locutum esse.* Quantò sanius est, quod veteres obseruant, Christum de Abrahamo dicere πρὶν γένεσθαι antequam fieret, vt significet ipsum fuisse creaturam & principium habuisse: de se autem dicit, ἐγώ εἰμι, vt ostendat se non esse factum nec creatum, sed esse immutabile & æternum habere.

7.Contra locum Ioh.17. vers.5.

47. Contra locum Ioh.17.v.5. vbi Christus dicit, *se ante iacta mundi fundamenta habuisse gloriam apud Deum*, ita excipiunt p.132. *Christum gloriam istam habuisse prædestinatione, quam sibi in tempore conferri petat, Resp.* imò verò Christus secundùm humanam Naturam eam sibi conferri petit gloriam, quam iuxta diuinam Naturam ab æterno apud Patrem habuit. Quemadmodum igitur Iohan.1.v.1. dicitur, Λόγον, qui postea factus caro, *fuisse apud Patrem in principio*: ita hoc loco dicitur, *Filium Dei habuisse gloriam apud Patrem antequam mundus fieret*: Et vt prior locus non potest tantùm de prædestinatione intelligi, additur enim Λόγον ita fuisse *apud Patrem, vt omnia per ipsum facta sint*, ita neque hic posterior. Non quidem negamus, Christo secundùm humanam naturam ab æterno destinatam fuisse illam glorificationem, sed non euinci posse ex hoc loco, quòd Christus reuera secundum diuinam naturam ab æterno apud Patrem istam gloriam reuera habuerit, id verò pernegamus, repugnat enim textus euidentia, in quo magna ἐμφασις Christus bis repetit, *Apud teipsum. Glorifica me Pater apud teipsum ea gloria, quam habui apud teipsum antequam mundus fieret.* Quomodo habuit apud Patrem istam gloriam? num sola prædestinatione? minimè verò, sed vt ὑφεστάμενον, *quod erat apud Patrem in Principio*, iuxta infallibilem Johannis interpretationem. Ibid.v.14. *Vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre*: hæc ergo est illa gloria, videlicet quòd Christus est Filius Dei vnigenitus, ac propterea verus cum Patre & Spiritu Sancto Deus. cap.2.vers.11. Christus diuinam illam gloriam suam manifestat miraculo aquæ in vinum mutatæ. Ne qua restet dubitatio, coniungimus locum Hebr.1.vers.3. quomodo Christus habuit gloriam apud Patrem, antequam mundus fieret? quia *est splendor gloriæ paternæ, & character hypostaseos ipsius.* Vt splendor lucis è Sole nascitur, & Soli coæuus est: ita Filius ab æterno Patre genitus est ipsi coæternus: hęc est illa gloria, quam Christus ab æterno habuit apud Patrem. Denique si de sola prædestinatione gloriæ suæ dictum Christi intelligendum, quid noui de se diceret, quod aliis electis non conueniret? & verbum *Habui*, reale quoddam habere denotat, non autem prædestinatione habere, vt ipsa significandi vis & aliorum Scripturæ locorum collatio ostendit.

8.Contra locum Col. 1. vers.15.

48. Contra locum Col.1.v.15.vbi Filius Dei dicitur πρωτότοκος πάσης κτίσεως, ita excipiunt pag.126. *Si Christus est primogenitus omnis creaturæ, vtique ergo est in numero creaturarum, quia primogenitus semper est in eorum numero, quorum primogenitus esse dicitur.* Intelligendum ergo locum esse dicunt, *quòd Christus sit primus & præcipuus inter nouas creaturas. Resp.* 1. Basilius lib.4. contra Eun.p.349. rectè monet, Apostolum non dicere, quod Christus sit πρωτόκτιστος, sed πρωτότοκος genitus est ante omnes creaturas à Patre, non autem vnà cum reliquis creaturis est factus. Ibidem etiam pulcerrimè explicat, quare & quomodo Christus dicatur πρωτότοκος πάσης κτίσεως? nimirum eo sensu, quo etiam dicitur primogenitus mortuorum, quia causa fuit & est, vt omnes mortui resurgant ad vitam immortalem, ita etiam dicitur πρωτότοκος πάσης κτίσεως, ὅτι πάντα τὰ ἐξ οὐκ ὄντων εἰς τὸ εἶναι παραγαγὼν τέλειον κτίσιν, vnde Apostolus subiungit, *per ipsum condita sunt omnia.* 2. Explicatio aduersariorum, quòd Christus ideò dicatur *primogenitus omnis creaturæ, & primogenitus mor-*

tuorum, quia est primus & præcipuus inter nouas creaturas, atque eos, qui ex mortuis resurrexerunt, falsa est, quia iam inde ab orbe condito etiam ante Christi ex Maria natiuitatem multi sunt renouati & nouæ creaturæ factæ: Item in V.Test.etiam quidam ex mortuis resurrexerunt. 3.Cùm Apostolus dixisset, per hunc πρωτότοκον πάσης κτίσεως omnia esse condita, subiungit & ipse est ante omnia, non dicit ipse ἐγένετο, factus est ante omnia, sed est ante omnia, vt ostendat, non esse ipsum in creaturarum numero, sed esse à Patre ante omnia secula genitum. 4. Alij dicunt, Christum ratione dignitatis dici primogenitū omnis creaturæ, quia scilicet est omnium creaturarum Dominus, id quod secundùm vtramque Naturam ipsi competit, quo sensu etiam dicitur *primogenitus inter multos fratres.* Rom.8.v.29. hoc enim erat ius primogeniti habere in reliquos fratres ἐξκσίαν. 5. Obserua etiam diuersas esse locutiones, quòd Christus dicitur πρωτότοκος πάσης κτίσεως & πρωτότοκος ἐκ τῶν νεκρῶν. Ex prima enim inferri nequit, Christum esse in numero creaturarum, sed potius genitum esse ante omnem creaturam: ex altera verò euidenter sequitur, si primogenitus est ex mortuis, vtique ergo fuit in numero mortuorum.

Veterum Arrianorum obiectiones 1.Contra locum Prou.3. v.22

49. Atque hæ sunt exceptiones istæ, quas contra dicta æternitatem Filij Dei comprobantia, blasphemi Antichristi proferunt. Veteres Arriani potissimum hoc vrgebant, quod Prouerb.8.v.22 dicit Sapientia: *Dominus ἔκτισέ με.* Refer Epiphan.lib.2.tom.2.hæres. 69.p.353. *Hunc locum primam occasionem erroru sui extitisse Ario. Resp.* in Hebræo non habetur, *creauit me*, sed *possedit me*; in Scripturis autem illi qui generant Filios, dicere solent, *possedi vel acquisiui Filium*, Genes.4.v.1. hinc ergo potius concluditur, Sapientiam hanc esse Dei Filium ab æterno à Patre genitum: vnde subiicitur v.25. חוללתי *genita sum.* Facile autem per σφάλμα χαφικὸν pro ἔκτισε à κτάω scribi potuit ἔκτισε. *Aquila* disertè reddidit ἐκτήσατό με, in Græco enim non κτάω sed κτάομαι, est vsitatum. Quicquid sit, fontibus Hebræis versio Græca derogare nequit.

2.Ex Apoc. 3.v.14.

50. Vrgebant & hoc veteres Arriani, quòd Apoc. 3.v.14. Filius Dei dicitur *principium creaturæ Dei*, id explicabant ex Iob.40.v.14. vbi *Behemoth dicitur* principium viarum Domini, id est, primaria Dei creatura. *Resp.* homogenea sunt conferenda. Filius Dei ideò est principium creaturæ, *quia omnia per ipsum sunt creata.* Ioh.1.v.3. Colossi.1.v.16. in Græco significantius dicitur, quòd sit principium creationis, nimirum quia est causa & principium efficiens creationis, non autem inter creaturas. Omnia condita per ipsum habent principium, non autem vnà cum reliquis creaturis ipse accepit principium, siquidem ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ λόγος.

3.Ex Naturæ generationis.

51. At inquis, Genitum posterius est generante. Filius *Dei à Patre genitus est. Ergo etiam Patre posterior:* hinc Prouerbij loco ingeminabat Arius: ἦν ὅτε οὐκ ἦν. *Respon.* Filius à Patre genitus, ideò Pater est prima persona origine; sed generatio æterna est, ideò Pater non est prior tempore. Pater generando æternam suam essentiam Filio communicauit. Ergo Filius Patri est coæternus: sed æternitas omne temporis principium excludit. Eadem essentia, quæ in Patre est ἀγεννήτως, in Filio est γεννητῶς, vtique ergo Pater non antecedit Filium tempore. Splendor ex luce nascitur, & tamen lux sine splendore nō inuenitur, nec æuum splendoris suo lux antecedit æuo. Æternus Pater est, nec in tempore demum cœpit gignere (aliàs foret mutabilis) Ergo etiam Filius est æternus, nec in tempore demùm gigni cœpit, Basil.lib.2.contra Eunom. pag.327. *Prius & posterius locum habent in generationibus eorum, quæ fiunt in hoc mundo, omnia enim obnoxia sunt tempori, in quo est prius & posterius: non autem in generatione Filij Dei, quæ æterna est, in qua nihil prius est nec posterius.* Vide August.lib.6.de Trin.cap.1.Ambros.lib.1. de fide ad Gratianum cap.5. & Lombard.1.sent.dist. 9.per tot.

Filij Dei immutabilitas.

52. Atque hactenus de primo attributo essentiali Dei proprio egimus, videlicet Æternitate, quam Filio Dei tribui ex Scripturis ostendimus: alterum attributum diuinum, quod Scriptura Filio Dei disertis verbis tribuit, est *Immutabilitas.* Psalm.102. vers.28. *Cœli peribunt, tu autem permanes, & omnes, vt vestimentum veterascent & velut amictum inuolues eos, & mutabuntur, tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient:* hoc de Filio Dei dictum esse, testatur Epist. Hebr 1.v.12. Excipiunt noui Samosateniani pa.96. *Non de Christo, sed de Deo Patre locum intelligendum esse.* Dicunt, *proponi in dicto Psalmi duo: primò creationem cœli & terræ, secundò eorundem destructionem. Quia igitur posterius tantùm ad Christum pertinet, siquidem per eum pater vt iudicabit, ita etiam destruet mundum, ideò hac occasione integrum Psalmi dictum more Scriptoribus Noui Testam. vsitato allegatum esse*: prius autem ad Christum non attinere, probare cupiunt ex eo, *quia propositum est autori describere talem Christi gloriam, non quam habet à seipso, sed quam hereditate consecutus sit, & secundùm quam Angelis præstantior factus.* vers.4. *sed talu gloria nec est nec esse potest, cœli & terræ creatio. Resp.* imò verò disertis verbis creationem cœli & terræ autor Epistolæ Christo tribuit. vers.2. vbi per ipsum *mundus conditus esse* dicitur. Propositum est autori comprobare, quòd Filius, *in quo* nouissimis diebus Deus nobis locutus est, *longè præstantior sit Prophetis, in quibus olim multifariam multisque modis idem Patribus locutus est*, vers.1. *adeoque ipsis Angelis* vers.7. Atque hac occasione Christi diuinam ac humanam Naturam, eiusdemque officium & maiestatem in tempore secundùm humanam Naturam ipsi datam verbis egregiis describit, dùm hanc personam commendat & Angelis præfert. 1. Ab amplitudine hereditatis, cùm sit heres constitutus omnium, hoc est, cùm secundùm humanam Naturam ipsi data sit omnis potestas in cœlo & terra vers.2. 2. A diuina potentia, cùm per ipsum omnia sint condita & adhuc conseruentur. v.2. & 3. 3. Ab æterna ex substantia Patris generatione, cuius ratione est *splendor gloriæ & character hypostaseos Patris.* vers.3. & vnigenitus ipsius Filius vers.5.6.8. 4. Ab opere redemptionis, cùm *peccatorum nostrorum purgationem fecerit per semetipsum*, vers.3. 5. A sessione ad dextram Dei, cùm post peractum redemptionis opus *consederit ad dextram maiestatis in excelsis* vers.3. 6. A cultu adorationis, cùm hic primogenitus Dei Filius *ab ipsis Angelis sit adorandus.* vers.6. 7. Ab vnctione Spiritus Sancti præ consortibus vers.9. cùm *non ad mensuram eum acceperit*, Ioh.3.v.34. 8. Ab opere creationis, cùm ipse sit, de quo Psaltes dicat, quòd *in principio fundarit terram*, vers.10. 9. Ab immutabilitate, quam collatione mutabilitatis cœlo (quod præ reliquis creaturis minùs videtur mutabile) adhærentis declarat.v.11.12. Hæc omnia & singula diuinam Filij Naturam comprobant, non solùm ea, quæ disertam diuinitatis, generationis à Patre, & diuinorum operum mentionem faciunt, sed etiam ea, quæ de maiestate Christo in tempore secundùm humanam naturam data, & de officio Mediatoris agunt, siquidem nisi Christus esset verus Deus, nec diuina illa idiomata ipsius humanitati communicari potuissent, nec Mediatoris officio ipse par vnquam esset. *Cōfer hæc cum exceptione*

Aduer-

Aduersariorum: 1. Negant de Filio Dei locum Psalmi intelligendum contra manifestam textus assertionem. 2. Negant creationis opus Filio competere, itidem contra disertum Apostoli testimonium. 3. Negant, talem Filio gloriam tribui, quæ ipsi ante incarnationem & sessionem ad dextram Dei competat, idque non minùs contra totius capitis scopum. 4. Sumunt pro confesso, tantùm destructionem mundi Filio tribui in allegato Psalmi loco, cùm tamen σωφάρεια textus id neutiquam permittat.

Filij Dei immortalitas.

53. *Tertium* attributum diuinum, quod Filio Dei Scriptura disertis verbis tribuit, est *Immortalitas*. Non enim vita solùm in ipso *esse* dicitur Ioh. 1. vers. 4. sed etiam vitam in seipso habere asseritur Ioh. 5. v. 26. imò ipsa vita dicitur Ioh. 14. v. 6. 1. Ioh. 1. v. 2. & dux vitæ Act. 3. v. 15. nimirum quia ἐσωφῶς & immutabiliter est ipsa vita. *Excipiunt, Filius à Patre accepit vitam. Ergo non est ipsa vita. Resp. sicut Pater vitam habet in seipso, ita dedit & Filio vitam habere in semetipso.* Ergo nascendo ex Patre totam ab eo accepit, eandémque essentiam, ac proinde omnem potestatem, omnem sapientiam, omnem vitam. Filius in nullo est inferior Patre, cùm per æternam generationem in seipso vitam habere ipsi dederit Pater, sicut in seipso vitam habet, ideoque vita illa. 1. Est ipsi naturalis & essentialis, siquidem ab ipsa sui ex Patre natiuitate illam accepit. 2. Est ipsi propria, siquidem nihil magis proprium, quàm quod per natiuitatem habetur. 3. Est æterna, quia nunquam fuit Filius, quin hanc habuerit vitam: sicut nunquam fuit Pater, quin eam habuerit: Pater quidem à seipso, Filius autem Patre. 4. ab essentia Filij non est realiter distincta, quia in seipso habet hanc vitam, & est ipsa vita αὐτοζωή.

Exceptio nouorum Samosatenianorum contra immortalitatem Filij.

Filij Dei infinitas.

54. *Quartum* attributum diuinum, quod Filio tribuitur, est infinitas. Referri huc possunt dicta illa Scripturæ, quæ testantur, Filium Dei in cœlo fuisse etiam ante incarnationem: proinde non incipit esse persona in sua ex Maria natiuitate, sed iam ante secundùm diuinam Naturam in cœlo ac terra fuit præsentissimus, ideoque infinitus, Ioh. 6. v. 38. 41. 42. *Ego* (inquit) *de cœlo descendi*. ideoque dicitur *à Patre in mũdum missus* Ioh. 10. v. 36. cap. 17. v. 18. *& à Patre exiuisse* Ioh. 16. v. 28. ipsiusque incarnatio vocatur *in carne manifestatio* 1. Timoth. 3. v. 16. & *assumsisse dicitur semen Abrahæ* Heb. 2. v. 26. *in carne venisse* 1. Ioh. 4. v. 2. *in mundum intrauisse* Hebr. 10. v. 5. *Quid excipiant noui Samosateniani* contra locum 1. Timoth. 3. vidimus thesi 34. Contra loca illa, quæ Christum de cœlo descendisse, & à Patre missum esse tradunt, excipiunt pag. 135. *Ex illis diuinam naturam Filij neutiquam probari posse. figuratè enim exponi ea posse, sicut* Iacob. 1. v. 17. *Omne donum perfectum à Patre luminum descendere dicitur*, & Apocal. 21. v. 2. *Noua Hierusalem de cœlo descendit. Respon.* Non quærendum est, quomodo Scriptura torqueri & peruerti possit, sed quis sit genuinus cuiusque loci sensus. Filius Dei ideò & eo modo *descendit de cœlo, quia* homo factus est, vt in Symbolo Niceno dicitur, *quia est in carne manifestatus*, vt exponitur 1. Timoth. 3. ver. 16. quia humanam naturam personaliter sibi vniuit, inque suam hypostasin assumsit. Vtrumque igitur hac phrasi exprimitur, tùm quod Filius Dei fuerit ὑφεστὼς ante incarnationem: tùm quòd in temporis plenitudine sit carnis & sanguinis particeps factus. Sed enim ipsimet non multùm tribuunt huic exceptioni, ideò 2. *Addunt, se libenter concedere, quòd propriè hæc phrasis sit accipienda: cùm verò agat de Filio hominis, qui necessariò suam habeat personam propriam, ideò non posse ex illa diuinam Filij Naturam colligi. Resp.* assumpta Natura non habet propriam ὑπόστασιν, sed in λόγῳ sub-

Exceptiones Neo-Samosatenianorum, 1. Contra loca, in quibus Christus de cœlo descendisse dicitur.

sistit: quid hi Antichristi contra veritatem huius propositionis immotam proferant, suo discurretur loco. 3. *Dicunt, in mundum mitti, in mundum exire, etiam alijs & quidem nudis hominibus tribui.* Ioha. 17. v. 18. 1. Ioh. 1. v. 1. *Resp.* Christus non solùm à Patre in mundum dicitur esse missus, quod libenter fatemur etiam ratione officij ex parte esse dictum, sed etiam de cœlo descendisse, semen Abrahæ assumsisse, in carne se manifestasse, in carnem venisse, imò etiam in sinu Patris ab æterno esse asseritur, id quod φιλεῖ τὸ ἀνθρώπινος nemo poterit tribuere. Nec quicquam momenti habet, quod 4. *Addunt, venire in mundum post incarnationem demùm Christo tribui* Ioh. 18. v. 37. *Ergo id non posse de ipsa incarnatione intelligi.* Præterquam enim quod aduentus ille Christi in mundum officium eius connotat, ipsimet aduersarij pag. 249. *proponunt hanc regulam*, quę verissima est & multis exemplis confirmari potest; Scripturæ in more positum esse, vt ea, quæ in priore versiculi membro proposita sunt, in posteriore ἐξηγητικῶς declaret & exponat. Sic in Symbolo Niceno Filij Dei de cœlis descensus ita exponitur, quòd homo factus sit. Vis veritatis coëgit eos, vt pag. 154. faterentur, *Christum in cœlo fuisse & è cœlo missum esse.*

55. Contra locum Heb. 2. v. 26. non Angelos sed Abrahæ semen assumsit, excipiunt p. 107. *Eum nihil minùs, quàm incarnationem docere, cùm non dicatur, quod Filius Dei assumserit, sed assumat: non humanam Naturam, sed semen Abrahæ, quo nomine intelliguntur credentes.* Gal. 3. vers. 29. vt sit sensus: *Christum esse Saluatorem non Angelorum, sed fidelium, qui cùm sint calamitatibus & morti obnoxij, itemque carnis & sanguinis participes, ideo sponte Christus hæc susceperit, vt suos credentes à metu mortis & omnibus miseriis liberet. Resp.* egregia hæc est Apostolici textus peruersio. Etsi enim semen & filij Abrahæ in Scripturis quandoque dicuntur credentes, *qui insistunt vestigijs fidei eius*, Rom. 4. v. 13. & *sunt filij promissionis*, Rom. 9. v. 8. tamen hoc loco per semen Abrahæ eos intelligi, id verò pernegamus. Describitur enim incarnatio Filij Dei, & celebratur illud summum beneficium, quòd non Angelicam, sed humanam Naturam assumere voluit, vt omnes textus circumstatiæ & ipsa connexio euidenter ostendunt. v. 11. *Qui sanctificat & qui sanctificantur, ex vno omnes.* v. 14. *Quia ergo pueri communicauerunt carni & sanguini, etiam ipse similiter participauit iisdem.* v. 16. *Nusquam enim Angelos apprehendit* (ἐπιλαμβάνεται quam vocem in Scripturis pro receptione in gratiam accipi, non memini: sed ἀπιλαμβάνεσθαι Luc. 1. v. 54. Ps. 3. v. 5. Ps. 18. v. 38. Ps. 41. v. 13. Ps. 48. v. 4. Ps. 119. v. 115. & alibi passim) *sed semen Abrahæ apprehendit* (id est, veram humanam Naturam ex posteritate Abrahæ, quæ significatio vocabuli seminis Scripturis est vsitatissima.)

2. Contra locum Heb. 2. v. 26.

56. Contra locum 1. Ioh. 4. v. 2. omnis spiritus, qui confitetur Iesum Christum in carne venisse, ex Deo est: Ita excipiunt pag. 115. *In Græco dici, non quod venerit in carnem, sed in carne, vt sit sensus. illum Spiritum esse ex Deo, qui fatetur, quòd Iesus, qui officium suum in terris absque mundano splendore administrauit, & tandem crudelissimè occisus est, sit Christus vel Rex populi Dei. Resp.* tument sibi à vers. sequente, Omnis Spiritus, qui non confitetur Iesum Christum in carne venisse (vel qui in carne venit) non est ex Deo, ideò textum ita peruertunt, vt in sua explicatione carnis vocem ad infirmitatem & contemtum referant, cùm tamen nullus vnquam negauerit, Christum absque splendore mũdano & in summo contemtu officium suum administrasse. Coniungimus autem cum hoc loco cap. 1. v. 2. *Vita, quæ erat apud Patrem, manifestata est*, cap. 3. v. 8. *in*

3. Contra locum 1. Ioh. 4. v. 2.

hoc apparuit Filius Dei. cap.5.vers.20. *Filius Dei venit* 2.Epist.vers.7. *Qui non confitentur Iesum Christum venientem in carne, sunt Antichristus*: ex his omnibus colligimus esse ἐνδυναμοῦντα, Filium Dei venisse in carne, apparuisse & manifestatum esse in carne, τὸν λόγον factum esse carnem Ioh.1.v.14.

4.Contra locum Hebr. 10.v.5.

57. Contra locum Hebr.10.vers.5. *Ingrediens in mundum* &c. excipiunt pag.116. *Per mundum intelligi hoc loco cœlum, in quod Christus Pontifex noster ingressus.* *Respon.* talis ingressus in mundum intelligitur, in quo Christus venit, vt voluntatem Dei faceret, ac sese pro nobis oblationem & hostiam Deo in odorem suauitatis offerret, vt ex toto contextu colligitur, & nulla veritatis specie negari potest: in illa enim voluntate per oblationem corporis Iesu Christi semel factam sanctificari dicimur vers.10. at hoc non potest referri ad ingressum Christi in cœlos, siue ad ipsius exaltationem.

Omnipotentia F.D.

58. *Ex attributis diuinis secundæ classis tribuitur Filio* diserris verbis, 1. *Omnipotentia.* Apocal.1.vers.8. *Ego sum α & ω dicit Dominus omnipotens:* loquitur autem ibidem Dei Filius. Esa.40.vers.3. *Ecce Dominus Deus veniet cum virtute.* quod Matth.3.vers.3. Marc.1. vers.3. Luc.3.vers.4.& 6. refertur ad Christum. Hinc Filius dicitur *Virtus Dei,* 1.Cor.1.v.24. Luc.1.vers.35. & אל גבור *Deus fortis,* Esa.9.v.6. quò referenda sunt opera diuinæ potentiæ, videlic. creatio, conseruatio, miraculorum operatio, &c. & dicta illa omnia, quæ testantur, Christo secundùm humanam Naturam omnipotentiam communicatam esse, de quibus in articulo de persona Christi.

Excipiunt Noui-Samosateniani, 1. Christum esse Patre inferiorem.

59. Frustrà excipiunt aduersarij p.39. summam quidem potestatem Filio datam, sed tamen ipsum adhuc esse Patre inferiorem. *Respon.* De Christo secundùm humanam Naturam rectissimè pronunciat Apostolus 1.Cor.15.v.27. *ita esse pedibus eius omnia subiecta,* vt tamen exceptus sit *is, qui subiecit ei omnia,* sed de Christo secundùm diuinam Naturam dici nequit, quòd sit Patre inferior, quia per æternam à Patre generationem diuinam potentiam, eandemque cum Patre essentiam accepit. *Sic ergo concludimus.* Potentia illa, qua Filius Dei condidit cœlum & terram, qua conseruat omnia, per quam operatus est miracula supra naturalia, & quæ disertè dicitur omnipotentia & Dei virtus, illa non est limitata, finita & inferior aliqua, sed infinita, & diuina potentia. At potentia, quæ Filio tribuitur, est talis, per quam ipse *condidit cœlum & terram.* Genes.1.Iohan.1. Hebr.1. *conseruat omnia.* Hebr.1.vers.2.Ioh.5.vers.17. per quam etiam miracula sua operatus est. Act.10.vers.38. & disertè dicitur *Dei virtus & omnipotentia.* Apoc.1.ver.8.1.Cor.1.v.24. Ergo non est finita & limitata, sed infinita ac diuina potentia.

2.Matt.20. v.23. negari videtur Christo omnipotentia.

60. Cur autem Matth.20.vers.23. negat Christus se distribuere posse sessionem ad dextram & sinistram? cur Marc.6.vers.5. dicitur Christum non potuisse in patria sua vllam virtutem edere? *Respon.* in priore loco non negat Christus se id posse, sed sibi id non competere, οὐκ ἔστιν ἐμὸν inquit: non enim eo fine in hunc mundum erat missus, vt regnum mundanum auspicaretur, ac πρωτοκλισίας καὶ πρωτοκαθεδρίας in eo suis distribueret, sed vt daret animam suam redemtionem pro multis: In posterioris loci explicatione notandum, causam istius rei non fuisse quandam restrictionem potentiæ internam in Christo, sed externum quoddam impedimentum, videlicet hominum incredulitatem, ita enim exponitur vers.6. *Et mirabatur propter incredulitatem ipsorum.* Repetenda hoc loco distinctio inter potentiam Dei absolutam & ordinariam, & collationis loco cogitandum de his dictis Genes.19. vers.22. *Festinanter perge ad vrbeculam Zoar, quia nihil facere possum, antequam eò venias.* Exod.32.vers.10. *Dimitte me, vt furor meus exardescat.* Vt ergo *contra voluntatem timentium sese* nihil facere potest, id est, nihil facit, propter promissionis suæ veritatem: ita etiam propter incredulitatem Nazarenorum Christus nulla facere poterat, id est, faciebat miracula; illis enim, qui in incredulitate sunt obstinati, verbum & miracula tanquam conuersionis media iusto iudicio Deus subtrahit.

Misericordia & Bonitas F.D.

61. Secundò tribuitur Filio Misericordia & Bonitas, quò pertinet totum officium Christi Mediatoris, in quo euidentissimè suam infinitam & diuinam bonitatem nobis conspiciendam præbuit: Item dicta illa omnia, quæ gratiæ Christi, φιλανθρωπίας illius animique ad compatiendum promti mentionem faciunt. *At cur se bonum negat* Matth.19.vers.17. Marc. 10.vers.17. Luc.18.vers.19. *Nemo* (inquit) *bonus, nisi solus Deus?* *Respon.* Nec Deum nec bonum sese esse negat, sed iuuenem, qui existimabat Iesum esse φιλὸν ἄνθρωπον & nihilominùs eum vocat bonum, ad veram Dei & cœlestis doctrinæ cognitionem adducere studebat. Cur me vocas bonum, cùm tamen me à Deo missum ac Dei Filium esse non credas? solus Deus essentialiter & immutabiliter bonus est. Nazianzen. Orat.1.de Filio. τὸ ἄκρως ἀγαθὸν μόνῳ τῷ θεῷ. Ergo non potes ex corde me vocare bonum, nisi statuas, me à vero illo Deo per se bono esse missum, & Dei Filium esse. Ambros.lib.2.de fide ad Grat.cap.1. *Non dixit Christus, nemo bonus nisi Pater, sed nisi Deus, Deus autem nomen est commune Patri, Filio & Spiritui Sancto, & nomen est Naturæ. Ergo non simpliciter negat, se esse bonum.*

Obiectio contra bonitatem Filij.

Obiectio contra omniscientiam Filij 1. G 22. 12. di nunc cog ti.

Iustitia F.D.

62. *Tertiò tribuitur Filio Dei Iustitia. Dicitur enim Iustus.* 1. Quia secundùm diuinam Naturam est essentialiter Iustus & ipsa iustitia. 2. Quia secundùm humanam Naturam absque peccato conceptus & sic ab vtero sanctus est. 3. Quia in toto vitæ decursu nihil quicquam ne minimum quidem contra Dei præcepta egit, sed perfectam obedientiam legi præstitit: ac pro peccatis nostris in ara crucis satisfecit. 4. Quia hanc suam iustitiam obedientia & satisfactione sua partam per fidem nobis applicat. Huius loci propria sunt dicta illa, in quibus dicitur ipsa Iustitia & Iustus, *Item* iustè iudicans Esa.53.vers.11. Zach 9.vers.9. Act. 3.vers.14. Apocal.16.vers.11.cap.22.vers.12. &c. interim posterius in his quatuor significationibus semper consequitur ex priore. Ideo in applicatione per fidem Christus est nostra iustitia, quia perfectam obedientiam legi præstitit, & pro peccatis nostris satisfecit: ideò Christi obedientia legi præstita perfecta fuit, quia sanctus fuit à natiuitate & à peccatoribus segregatus: ideò fuit iustitia Christi indebita, & mors eius ἱλαστήριον λύτρον pro peccatis, quia secundùm diuinam Naturam est essentialiter ipsa Justitia. Referenda huc dicta illa, in quibus dicitur sanctus. 1. Secundùm diuinam Naturam est essentialiter ipsa sanctitas. 2. A Spiritu Sancto secundùm humanam Naturam conceptus est absque peccato, & est sanctum illud ex Maria natum. 3. Accepit Spiritum Sanctum, vt homo non ad mensuram. 4. Tota ipsius vita fuit sancta & incontaminata. 5. Ipsius sancta obedientia nobis imputatur, sanctificauit enim se pro nobis. 6. Dato Spiritu suo sancto nos sanctificat, quæ tamen est inchoata & imperfecta sanctitas.

Sanctitas F.D.

Sapientia & omniscientia Filij Dei.

63 Quartò tribuitur Filio diuina sapientia & omni-scientia. 1. Quia secundùm diuinam Naturam est essentialiter Sapientia & Omniscius. 2. Iuxta humanam

humanam Naturam habituali sapientia omnium Angelorum & hominum sapientiam excedente præditus est. 3. Omniscius est iuxta humanam Naturam ratione & modo personalis vnionis, atque in luce diuinæ Naturæ personaliter sibi vnitæ omnia intuetur. 4. *Factus est nobis à Deo sapientia*, exteriùs per verbum & interiùs per Spiritus sancti illuminationem diuinæ sapientiæ nos facit partipices. Propria huius loci sunt dicta illa, in quibus dicitur ipsa *Sapientia* Prou.3.v.19.cap.8.v.22.Matth.11.v.19.Luc.7.v.35.cap.11.v.49.1.Cor.1.v.24. *probat corda & renes* Apoc.2.v.23. quod est solius Dei proprium, 1.Reg.8.v.39.Ierem.17.v.9.annunciat passim in concionibus suis futura, quod itidem solus Deus sibi assignat, Esai.41.vers.21.cap.45.vers.21. referri etiam huc possunt dicta illa, in quibus secundùm humanam Naturam dicitur *Omniscius*, ideò enim & inde iuxta humanam Naturam est omniscius, quia cum λόγῳ essentialiter omniscio personaliter est vnita.

Obiectiones contra omniscientiam Filij 1. Gen. 22. 12. *dicit: nunc cognoui.*

64. At cur Angelus Dei (qui fuit Angelus increatus, videlicet Dei Filius) Genes. 22. vers. 12. dicit, *nunc cognoui, quòd Deum timeas. Si cognouit, vtique antea nesciuit. Respon.* cognouit notitia approbationis, quod antea ipsi erat non incognitum notitia visionis. Item cognouit in manifestatione operis, quod antea latebat occultum in affectu cordis. Augustin. 5. de Genes. ad lit. cap. 18. *Omnia apud Deum antequam fierent, & erant & non erant: erant in Dei scientia, non erant in sua Natura. Ipsi autem Deo non audeo dicere alio modo innotuisse, cùm ea fecisset, quàm illo, quo ea nouerat, vt faceret: apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio.*

2. Matth. 7. v. 23. negat se nouisse operarios iniquitatis.

65. Cur Matth. 7. vers. 23. negat Filius Dei, se nouisse vnquam eos, qui operantur iniquitatem. *Respon.* verba notitiæ apud Hebræos sæpè connotant affectum cordis, vt monuimus in Disp. de Interp. Script. Non nouit Christus operarios iniquitatis, eo scil. modo, quo nouit viam iustorum, quam approbat, promouet & beneplacito suo prosequitur. Psalm. 1. v. 6. & quo cognouit suos 2. Timot. 2. vers. 9. quos amat & fouet.

3. Matth. 8. v. 10. miratur.

66. Quomodo verò miratur Christus? Matth. 8. v. 10. & alibi: *Admiratio non est nisi ἀπροσδοκήτου, inexpectatum quid non potest accidere omniscio. Resp.* Augustin. lib. 1. contra adu. Legis & Prophet. cap. 7. *Mirando laudabat, quod mirandum aliis commendabat.* 1. de Genesi contra Manich. c. 8. *Quis in illo fecerat illam fidem, nisi ipse, qui eam mirabatur? quòd si & alius eam fecisset, vt quid miraretur, qui præscius erat? quod mirabatur Dominus, nobis mirandum esse significabat, quibus adhuc opus est sic moueri: omnes ergo tales motus eius non perturbati animi sunt signa, sed docentis Magistri. Simplicius est respondere*, Christum in statu exinanitionis, vt hominem non omnia actu nouisse. Phil. 2. v. 7. *Semetipsum exinanuit, formam serui accipiens, in similitudine hominum factus.* v. 8. *& habitu inuentus, vt homo.*

4. Marc. 13. v. 32. ignorat diem iudicij.

67. Quare Marc. 13. v. 32. se diem iudicij scire negat? De die autem illo (inquit) & hora nemo scit, ne Angeli quidem, qui in cœlo sunt, nec Filius ipse, nisi Pater. *Resp.* Hilar. lib. 10. de Trin. *ignorauit alius, non sibi*: sed simplicior est responsio, quam teste Maldonato in 24. Matth. aliquot veteres Doctores sequuntur, Christum quatenus hominem in statu exinanitionis diem iudicij ignorasse. Nazianz. Orat. 2. de Filio Dei: Γινώσκει μὲν ὡς θεὸς, ἀγνοεῖν δὲ φησιν, ὡς ἄνθρωπος. Quod obserua contra Bellarmin. qui lib. 4. de Christo cap. 1. omnes Patres contra hanc explicationem producere voluit, & contra Armandum Iesu. in Epistolam ad Chamietum, qui dicit: *Errare Protestantes præcipuos in huius dicti explicatione, eodem planè modo, quo olim Agnoetæ.* Atqui nec Christum vt Deum, nec vt hominem in statu exaltationis diem iudicij ignorare dicimus: vt enim exclusiua solus nō excludit spiritum sanctum, qui scrutatur profunditates Deitatis 1. Cor. 2. v. 10. ita nec Filium, quatenus est *Deus & ipsa Sapientia*, 1. Cor. 1. v. 24. ac *nouit omnia* Ioh. 21. v. 17.

5. Etiã Prophetæ & Apostoli prædixerunt futura.

68. At quomodo ex futurorum annunciatione diuina Filij Sapientia & Deitas probari potest, *cum etiam Prophetæ & Apostoli prædixerint futura? Resp.* Magnum verò hìc intercedit discrimen. Quicquid Prophetæ & Apostoli prædixerunt, id *Spiritus Christi illis reuelauit.* 1. Petr. 1. v. 10. at Christus ideò & inde prænunciauit futura, quia *omnes thesauri sapientiæ & scientiæ in ipso reconditi.* Coloss. 2. v. 3. quod de nullo Propheta vel Apostolo dici potest. Illi nihil quicquam de rebus absentibus vel futuris scire potuerunt, præterquam quod Deus vel per somnia, vel per visiones, vel alio modo ipsis manifestaret, vt apparet in exemplo Elisæi 2. Reg. 4. v. 27. sed Christo nihil quicquam absconditum est, ille *nouit omnia* Ioh. 21. v. 17.

F. D. agendi libertas.

69. Quintò tribuitur Filio summa agendi libertas, quæ est essentialiter Deo propria. Ioh. 5. v. 1. *Sicut Pater suscitat mortuos & viuificat: sic & Filius quos vult, viuificat.* c. 10. vers. 18. *Potestatem habeo ponendi animam meam, & potestatem habeo iterum sumendi eam.* At, inquis, cur toties repetit, *se non venisse, vt suam, sed vt Patris voluntatem faceret?* Ioh. 6. v. 38. *Resp.* His & similibus dictis voluntatis libertatem sibi Filius minimè amputat, sed cum Patre se idem velle ostendit. Τὸ θελητὸν ἓν ἔχει καὶ μία θέλησις, ὡς καὶ ἡ οὐσία μία. Loquitur Christus vt Mediator & Legatus à Deo in mundum missus, atque in hoc suo munere se nihil quicquam proprio arbitrio egisse profitetur, sed ea, quæ in æterno Trinitatis decreto sibi commissa.

Obiectiones contra libertatem 1. negat se venisse, vt faceret voluntatem.

2. Negat se quicquam quacunque ipso facere, Ioh. 5. v. 19.

70. Cur verò Ioh. 5. v. 19. dicit: *Non potest Filius à se facere quicquam, nisi quod viderit Patrem facientem, quacunque enim ille fecerit, hæc & Filius similiter facit.* an non volendi & agendi libertatem hoc dicto sibi amputat? *Respon.* minimè verò. Filius per æternam generationem à Patre suam essentiam, (ac proinde agendi potentiam, quæ cum essentia ταυτὸ est) habet. Vt ergo non est à se, ita etiam non agit à se. Augustin. tract. 160. in Iohan. *Habuit aliquid aliquando Deus Filius, quod nondum habuit idem ipse homo Filius, quia nondum erat homo factus ex matre, quando tamen vniuersa habebat cum Patre; Quapropter quod dixit, tui erant, non inde se separauit Deus Filius, sine quo nihil vnquam Pater habuit, sed solet illi tribuere omne, quod potest, à quo est ipse, qui potest, à quo enim habet, vt sit, ab illo habet, vt possit, & simul vtrumque semper habuit.* Hact. Augustin. Vna est in Patre & Filio agendi libertas & potentia, nec per aliam potentiam agit Pater, per aliam Filius, sed vt indiuisa & vna est vtriusque essentia, ita quoque vna & indiuisa vtriusque potentia: *id quod agit*, dicit Nazian. orat. 2. de Theol. *est vna communis tribus Deitas*: ideoq; immediatè subiicit Christus, quæcunque Pater facit, eadem & Filius ὁμοίως facit, non minora quædam opera vel minori aliqua potentia agit Filius quàm Pater, sed eadem opera, eadem potentia cum Patre efficit. Basil. lib. 4. contra Eunom. 349. respondet, *vt homo loquitur Christus, non vt Deus*: sed prior responsio textui conuenientior, nimirum à proprietatibus personalibus differentibus non posse etiam differentem οὐσίαν vel agendi potentiam concludi.

F. D. veritas.

71. Sextò tribuuntur Filio, quòd sit ipsa Veritas ὑποστατικὴ scilicet & ἀμεταβλήτως, id quod solius veri Dei proprium est Ioh. 5. v. 33. Iohannes testimonium dedit veritati. Ioh. 14. v. 6. Ego, *inquit Filius Dei*, sum

via, veritas & vita, hinc dicitur fidelis & verax Apoc. 3.v.14.c.19.v.11. vera lux. Ioh.1.v.9. 1.Ioh.2.v.8. vnde etiam verbum eius dicitur verbum veritatis. Quando Prophetæ & Apostoli dicuntur testes veraces, non tribuitur eis essentialis aliqua Dei proprietas, siquidem nusquam dicuntur ipsa Veritas, sed quando Filius Dei dicitur fidelis & verax, id iuxta Scripturæ interpretationem ita intelligendum, quòd sit essentialiter ipsa veritas.

F.D. perfectio & Gloria diuina.

72. Attributa diuina tertiæ classis disertè Filio tribuuntur. Primò enim *est* perfectus Heb.7.v.28. *est ipsa perfectio, vnde etiam* perfectam adducere potuit iustitiam, perfectum exhibere sacrificium Heb.10.v.14. Secundò *diuina gloria* ipsi tribuitur Exo.16.v.7. Cras videbitis gloriam Domini (Filij scilicet, qui fuit ductor populi 1.Cor.1.v.9.) audiuit enim vestrum murmur contra Dominum. Coniunge Exod.24.v.16.17. c.29.v.42.cap.33.vers.18.c.34.v.5.c.40.v.34 Leuit.9. v.6.23. Num.14.v.10.21.c.16.v.19.42 c.20.v.16. Hæc & similia loca iuxta interpretationem Apostolicam 1.Cor.10.v.9. meritò accipimus de Filio Dei qui diuinam suam gloriam in externis signis manifestauit. Propono etiam considerâdam hanc collationem. Sicut *gloria Domini implebat olim tabernaculum* Exod.40. v.34. & *templum Salomonis* 1.Reg.8.v.11. ita assumtam carnem in plenitudine temporis eadem gloria Domini impleuit, quæ proinde dicitur tẽplum Ioh.2.v.19. quippe in quo tota plenitudo diuinitatis habitat σωματικῶς Col.2.v.9. Sic Ioh.1.v.14.c.2.v.11.c.11.v.40. *in miraculis Christi diuina eius* gloria manifestata dicitur. Confer etiam Esa.6.v.3. cum Ioh.12.v.41. Esa.35.v.2. 4.5. cum Matt.11.v.30. Esa.40.v.3.5. cum Matt.3.v.3. Luc.3.v.4. Esa.60.v.1.3. cum Luc.2.v.9. & refer hûc visiones Propheticas omnes, in quibus gloria Dei apparuisse dicitur.

F.D. Beatitudo.

Tertiò Filius Dei dicitur beatus, siquidem in ipso est vita æterna, & absque eo nulla est salus Act. 4.v.12.c.10.v.43. quò pertinent dicta omnia, in quibus σωτήριον, & Iesus appellatur, ideò enim est Saluator noster, quia suo merito salutem in nobis peperit: ideò & inde salutem nobis promereri potuit, quia essentialiter est ipsa Salus & Beatitudo.

F.D. cum Patre aqualitas.

73. Neue quis suspicetur, vel in essentia, vel in attributo quodam essentiali Filium esse Patre inferiorem, ideò dicitur esse vnum cum Patre Ioh.10.v.30. 1.Ioh.5.v.7. dicitur in ipso habitare plenitudo Deitatis Col.2.v.9. dicitur æqualis Patri Ioh.5.v.18. Phil.2. v.6. dicitur habere omnia, quæ Pater habet, Ioh.16. vers.15.c.17.v.10. Quid contra hunc Solem illi tenebrarum filij obtendunt?

Exceptiones nouorum Samosatenianorum.

1.Contra locum Ioh.10. v.30.

74. Contra locum Ioh.10.v.30. in quo Christus dicitur vnum esse cum Patre, ita excipiunt p.121. *non posse ex eo vnitatem essentiæ deduci, cùm Ioh.17.v.11.12. eodem modo* credentes sint vnum, quomodo Pater & Filius vnum sunt, *ideoque nullam aliam intelligendam esse vnitatem, quàm voluntatis & potentiæ in opere salutis, non autem essentiæ, quippe cùm alibi Pater dicatur maior Filio Ioh.14.v.28. Resp.* vnitas voluntatis & potentiæ in Patre & Filio præsupponit essentiæ vnitatem, siquidem Pater vult & operatur ea voluntate & potentia, quæ est ipsa eius essentia. Vitiosam collationem huius loci cum Ioh.17.v.11. excussimus superiùs in tr. de Trin. th. 26. Nec quicquam derogat essentiali Patris & Filij vnitati, quòd Filius Patrem sese maiorem dicit, quia referendum hoc est ad assumtam Filij Naturam, *æqualis est Patri secundùm diuinitatem, minor autem Patre secundùm humanitatem.*

2. Contra locum Coloss. 2.v.9.

75. Contra dictum Coloss.2.v.9. excipiunt, pag. 154. *id eo sensu accipiendum, quòd in doctrina Filij voluntas Dei plenè & integrè nobis manifestata sit. Respon.* ideò & inde Filius Dei consilium & voluntatem diuinam de salute nostra plenè nobis manifestauit, quia est in sinu Patris. Ioh.1.v.1.8. eiusdem cum Patre essentiæ. Proinde non est cogitandum in egregio illo dicto Apostolico nihil plus contineri, quàm quòd Christus voluntatem Dei plenè nobis manifestauerit, quin potiùs & valde illustris descriptio vnionis hypostaticæ. Singula vocabula in hac sententia sunt diligenter expendenda, ait Chemnit. de duab. Nat. in Christo cap.9.p.111. Nominat non virtutes seu æqualitates, diuinos habitus, aut dona diuina, sed ipsam θεότητα, Deitatem, seu diuinam Naturam: & plenitudo Deitatis significat ipsam perfectissimam diuinam Naturam Filij Dei, & quicquid in ea est, vel ad eam pertinet, sicut plenitudo orbis seu maris in Scriptura ita vocatur. *Illam ipsius Deitatis plenitudinem dicit inhabitare in Christo*, quod non potest intelligi, quasi in Deitate inhabitet plenitudo Deitatis, in Deo enim omnia sunt essentialia, seu ipsa essentia, & nihil habitat in seipso: distinctè igitur indicat Deitatem inhabitantem & habitaculum seu templum, in quo inhabitat, assumtam scil. Naturam: Aduerbium verò σωματικῶς non significat, quòd ipsa diuinitas sit corporea vel corporalis, vt corporaliter per se alicubi adsit, sed ostendit, quòd corpus Christi sit habitaculum illud, in quo tota plenitudo Deitatis inhabitet, &c. Hact. Chemn. Plura de hoc dicto suo loco.

3. Contra dicta de aqualitate Patris & Filij.

76. Contra dicta de æqualitate Patris & Filij ita excipiunt pag.122. *non posse ex illis diuinam Naturam Filij deduci, sed potius contrarium: Si enim illi Deo, qui solus Natura Deus est, æqualis est, manifestum ex eo, quòd Natura ille Deus esse nequeat: æqualitas autem in eo consistit, quod potentia illa, quam à Patre accepit, omnia opera soli Deo propria ita efficit, vt Deus ipse. Resp.* si in vllo Filius secundùm diuinam suam Naturam est inferior Patre, nondum erit æqualis Patri, quia æqualitas omnimodam essentiæ vnitatem includit. Nec in tempore solùm secũdùm humanam Naturam Filius Dei omnipotentiam per vnionem personalem accepit, sed secundùm diuinam suam Naturam ab omnipotente Patre genitus est omnipotens Filius, ac nisi talis esset omnipotentiæ illius vt homo particeps fieri non potuisset, neque enim attributa diuina inesse alteri possunt, vt subiecto, cùm non sint accidentia, quorum proprium est inesse alteri vt subiecto. Aut ergo omninò deneganda est Christo omnipotentia, aut concedendum, quòd sit verus Deus, siquidem communicatio illa omnipotentiæ humanitati assumtæ facta locum non haberet, nisi Christus secundùm diuinitatem esset Natura Deus, cùm non sit essentialis vel accidentalis, sed personalis communicatio. Porrò quod dicunt, solum Patrem ita esse Natura Deum, vt Filius non sit Natura Deus, id excussimus thesi 21. & sequentibus.

4. Contra dicta, in quibus Christus dicitur omnia habere, quæ Pater habet.

77. *Contra dicta, in quibus Christus dicitur, Omnia habere, quæ Pater habet*, ita excipiunt pag. 127. *vocabulum* Omnia, *referendum esse ad subiectam materiam, non absolutam Vniuersalitatem exprimere.* In c.16. *Iohannis agi de illis, quæ per Spiritum S. erant manifestanda de Christi regno.* In c.17. *Iohannis agi de discipulis, qui Christo à Patre dati.* Subiungunt etiam *Christum habere omnia ex gratia, & dono Patris, non autem Natura. Resp.* qui dicit omnia, nihil excludit: si Filius non est Natura verus Deus, vtique Pater infinita habebit, quæ non habet Filius, quomodo ergo dicere vlla veritatis specie poterit Filius, *quòd omnia habeat, quæ habet Pater*? nec limitatè accipienda sunt verba Christi, quia duplex Vniuersalitatis nota additur πάντα ὅσα ἔχει ὁ πατὴρ Ioh.6. vers.15. Patris est æterna Deitas, infinita potentia, maiestas

maiestas diuina, Patris est cœlum & terra, Angeli & omnes homines: hæc ergo omnia sunt Filij, quia omnia, quæcunque habet Pater, habet etiam Filius. Christus ex eo ostendit, Spiritum sanctum à sese (Dei Filio) accipere omnia (puta per æternam processionem) quia *omnia, quæ Pater habet, sunt etiam Filij* (quia Patris & Filij est vna essentia, nec minùs à Filio quàm à Patre procedit Spiritus Sanctus.) Quod additur Christum omnia habere ex dono & gratia, id de humana Christi Natura concedimus, ibi enim vsurpatur vox ἐχαρίσατο Phil.2 vers.9. sed de diuina Natura pernegamus, eius quippe respectu per æternam à Patre generationem habet omnia.

Deitas Filij probatur ex proprietate personali.

78. Egimus hactenus de essentialibus attributis Deo propriis, quę Filio Dei Scriptura tribuit atque eo ipso Filium Dei esse verum Deum demonstrat: sequitur, vt *de proprietate personali* agamus, quæ consistit in eo, *quòd sit ab æterno à Patre genitus, & quòd ab ipso procedit Spiritus S.* De hac personali proprietate agemus infra pluribus, eamque ex Scripturis comprobatam dabimus, & quid contra eam regerant Antichristi, discutiemus, *hac vice ita argumentamur.* Quicunque est æternus, proprius & vnigenitus Dei Filius, ille etiã est verus Deus. Christus est æternus, proprius & vnigenitus Dei Filius. Ergo etiam est verus Deus. Maior est euidens, ideò enim & inde dicitur Christus Dei Filius secundùm diuinam Naturam, quia per æternam à Patre generationem eandem essentiam accepit. Epiphan. hæres.69. contra Arioman. p.340. in græco. Ὅπῃ θεὸς πατρὸν τῇ φύσῃ, τοιοῦτον ἐγέννησε τὸν υἱόν: ἐγέννησε δὲ οὐ τὸν ὄντα, ἀσυναδέλφον, ἀλλ' ἑαυτῷ γεγεννημένον ὅμοιον αὐτῷ κατὰ φύσιν. Bernh serm.1. de adu. col.1. *Non fas est, Dei Filium degenerem suspicari, sed æqualis fateri necesse est altitudinis & eiusdem penitus dignitatis: nam & filios Principum Principes, & filios Regum Reges esse qui nescit?*

Exceptiones Samosatenianorum contra proprietatem personalem Filij.

79. Excipiunt Samosateniani p. 124. 1. Filium *hominis dici Filium Dei, qui cùm sit homo, non posset diuinam habere naturam.* Resp imò verò contrarium est inferendum: cùm Filius hominis dicatur Filius Dei, vtique ergo diuina Natura in eo est agnoscenda. Duæ Naturæ diuina & humana constituunt vnam Christi personam. Fanatici ex principio rationis (quòd Deus non possit esse homo, & quòd homo non possit esse Deus) negant fidei articulum perspicuis in Scriptura verbis propositum, quod quàm vsitatum est omnibus hæreticis, tàm veræ fidei, imò & rectæ rationi esse aduersum, suo cõprobatum dedimus loco. Bernh. Epist.190. de Petro Abailardo col.914. *Quid magis contra fidem quàm credere nolle, quòd non possis ratione attingere?* 2. *Dicunt, etiam alios homines dici filios Dei.* Resp. Hilar.lib.12. de Trin. *Vero Patri solus, qui ex eo nascitur, verè Filius est, & nos quidem Filij Dei sumus, sed per factura. Fuimus enim aliquando filij tracundiæ, sed Filij Dei per adoptionem effecti sumus potius quàm nascimur, & quia omne quod fit, antequam fiat, non fuit, nos cùm filij non fuissemus, efficimur. Ante enim filij non eramus, sed per gratiam facti sumus, non nati neque generati, sed acquisiti, Acquisiuit enim nos Deus sibi, & per hoc dicitur nos genuisse. Genuisse enim Deum Filios nunquam cum proprietatis significatione cognoscimus dici. Ex adoptione enim homo factus Filius Dei, non ex generatione, neque ei proprietas est, sed nuncupatio: ac per id non verè Filius est, quia nec propriè natus dicitur, nec semper fuit Filius. Vnigenitus autem Deus nec fuit aliquando non Filius, nec fuit aliquid antequam Filius, nec quicquam ipse nisi Filius. Atque ita qui semper est Filius, nascibilitatis proprietate ac veritate Filius est eius solius, qui genuit, & ille tantùm qui genuit, Pater ipsius est: quia sicut ille Filius origine, ita ille Pater generatione.* Hact. Hilar. *Obseruandum igitur*, quàm accuratè Scriptura de Filio Dei loquatur. Deus vocatur Pater credentium, sed quia longè alia ratione est Pater noster, & alia ratione Pater Iesu Christi, ideò Ioh.5.v.18. πατέρα ἴδιον ἔλεγε τὸν θεόν, quo ipso se Deo æqualem fateri probè intellexerunt Iudæi: Credentes dicuntur *Dei Filij*, sed vt sciamus longè alia ratione Christum dici Dei Filium, ideò vocatur ἴδιος υἱός Roman.8.v.32. Credentes dicuntur *nati ex Deo*, sed vt discamus longè alia ratione Filium dici à Patre genitum, ideò vocatur μονογενὴς Ioh.1.v.14. Deus est *Pater noster*, quia creauit nos, & quia in Christo paternè nos diligit, & vitæ æternæ hereditatem nobis distribuit: sed Pater Christi est, quia ab æterno eum ex sua essentia genuit. Nos Filij Dei sumus adoptiui, Ioh.1.v.12. Christus autem Dei Filius est naturalis, nos adoptione tales, cùm *Natura simus filij iræ*, Ephes.2.v.3. sed ille generatione. Nos ex Deo nascimur spirituali per verbum & Spiritus Sancti παλιγγενεσίᾳ, sed Filius ex essentia Patris ante omnia secula genitur est, vnde etiam μονογενὴς καὶ πρωτότοκος dicitur. 3. *Dicunt ex eo, quòd Christus dicitur Dei Filius, colligi posse, quòd non sit vnus ille verus Deus, aliàs esset suipsius Filius.* Resp. Quando Christus secundùm diuinam Naturam dicitur Dei Filius, nomen Dei accipitur ὑποστατικῶς pro persona Patris, rectè igitur ex eo colligitur, quòd non sit Pater, sed minus rectè infertur, quod non sit Deus, quia per æternam à Patre generationem eandem diuinam accepit essentiam, est Deus verus ex Deo vero genitus. 4. *Dicunt, Christum dici proprium & vnigenitum Dei Filium, quia inter omnes filios est præcipuus & dilectissimus, sicut & Isaac dicitur vnigenitus.* Heb.11.v.17. *& Salomon* Prou.4.v.1. Par.3.v.5. *Resp.* Non ἐξοχικῶς, sed ὀξαιρέτως καὶ μοναδικῶς Christum dici Dei Filium, ostendun appellationes ἴδιος & μονογενὴς, earundemque ratio quod scil. sit ab æterno à Patre genitus, vt suo loco ostendemus. Quare & quomodo Christus dicatur vnigenitus Dei Filius, luculentè exponitur Ioh.1.ver. 4. nimirum, *quia est* ὁ λόγος, qui erat ἐν ἀρχῇ πρὸς τὸν θεόν. vers.2. *per quem omnia facta sunt.* vers.3. ideoque ipse non est factus, sed ab æterno à Patre genitus, qui *in temporis plenitudine* caro factus diuinam suam gloriam Apostolis exhibuit conspicuam, quam per æternam à Patre generationem accepit, quo sensu sit, & dicatur μονογενὴς παρὰ πατρός. vers.14. vnde etiam *credentibus in sese potestatem dare posset, vt & ipsi fiant Dei Filij*, nimirum per adoptionem v.12. Eadem expositio proponitur Colos. 1. *Christus est* μονογενὴς Dei Filius quia est πρωτότοκος πάσης κτίσεως, *genitus ante omnem creaturam*, v.15. *per quem condita sunt vniuersa.* v.16. *& omnia in ipso consistunt*, vers.17. *Christus erat & dicebatur* Dei Filius *ante suam ex Maria natiuitatem.* Psalm.2. v.7. Prou.30.v.4. ac proinde dici nequit citrà blasphemiam, ideò & inde tantùm Christum vocari Dei Filium vnigenitum, quia humanitas eius sit concepta de Spiritu Sancto.

Deitas Filij probatur ex operibus diuinis.

80. Expositiimus hactenus duas argumentorum classes, ex quibus vera Filij Deitas comprobatur: tertia classis petenda est *ex operibus diuinis*, quæ Filio Dei Scriptura tribuit, *vbi sic concludimus*: Cuicunque tribuuntur opera diuina soli Deo propria, is est verus Deus. Atqui Filio Dei tribuuntur opera diuina soli Deo propria. E. est verus Deus. Maior est certa, quia opera testantur de potentia; sed potentia & essentia diuina realiter vnum sunt. Minorem confirmat primò opus illud ad intra, quod scilicet ab ipso, vt & à Patre procedit Spiritus Sanctus, *vbi sic concludimus*: A quo procedit Spiritus Sanctus, ille est verus Deus. A Filio procedit Spiritus Sanctus. Ergo Filius est

1. *Ex opere ad intra.*

verus Deus. Maioris ratio pendet ex eo, quia Spiritus Sanctus verus Deus per æternam illam à Patre & Filio processionem accipit suam Deitatem. Minoris confirmatio suum postea habebit locum. Obserua autem hanc spirationem, quâ Filius vnà cum Patre ab æterno spirat Spiritum S. suo quodam modo etiam ad proprietatem hypostaticam Filij referri posse, atque ita pertinebit ad secundam argumentorum classem.

Ex operibus ad extra.

81. Deinde confirmant principalis argumenti assumtionem (quòd scil. Filio Dei tribuantur opera merè diuina) opera, quæ dicuntur ad extra & omnibus tribus personis sunt communia. Vbi primò obseruanda sunt *dicta generalia*, in quibus eadem opera Patri & Filio tribuuntur: deinde *dicta specialia*, in quibus certa quædam opera diuina, videlicet *creatio, conseruatio*, &c. Filio tribuuntur. *Ad priorem classem* pertinet egregium illud testimonium Ioh. 5. vers. 17. *Pater meus* (dicit Christus) *vsque modo operatur, & ego operor* (Iudæi accusabant Christum, quòd Sabbatum violaret, quibus ipse respondet: Pater meus absque vllo Sabbati respectu continuò diuina opera efficit, & ego operor vnà cum ipso: Pater operatur & Filius, duæ ergo sunt personæ: sed propter operationis vnitatem vna est essentia) vers. 18. Iudæi ex eo colligunt, *quòd Patrem suum ἴδιον vocarit Deum, seque æqualem Patri professus sit*, ideo magis irritantur, quibus vers. 19. respondet Christus: *Amen, amen dico vobis, non potest Filius à se facere quicquam, nisi quòd viderit Patrem facientem, quæcunque enim ille fecerit, ὁμοίως eadem facit Filius* (à se non facit quicquam Filius, quia non est à se, sed à Patre per æternam generationem: & tamen ὁμοίως eadem, quæ Pater efficit, quia per generationem illam eandem accepit à Patre essentiam, & agendi potentiam) v. 20. *Pater enim diligit Filium & omnia demonstrat ei, quæ ipse facit, & maiora his demõstrabit opera, vt vos miremini* (operor cum Patre eadẽ opera & eodẽ modo, quomodo ergo operum paternorum non ero conscius?) v. 21. *Sicut Pater suscitat mortuos & viuificat: sic & Filius, quos vult, viuificat.* vers. 23. *Vt omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem* (ex vnitate essentiæ est vnitas operationis, vnitatem operationis sequitur ἰσοτιμία honoris æqualitas.) Sic Ioh. 14. v. 3. dicit Christus ad discipulos: *Quodcunque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam, vt glorificetur Pater in Filio.* v. 14. *Si quid petieritis in nomine meo, hoc faciam.* Sic ergo concludimus: Vbi est ταυτότης in operibus & operandi modo, ibi etiam est ταυτότης essentiæ. At in Patre & Filio est ταυτότης quoad modum agendi, & quoad opera. Ergo etiam in Patre & Filio est ταυτότης essentiæ.

1. In genere.

2. In specie vbi occurrit 1. Creatio.

82. In specie tribuitur Filio Dei 1. Creatio, quam esse opus verè diuinum & soli Deo proprium, ostendunt sequentia testimonia. Esa. 44. vers. 24. c. 45. v. 7. Ierem. 10. v. 11. Porrò à creationis opere Filium non esse excusum, sed potiùs vnà cum Patre & Spiritu S. omnia creasse, testantur hęc dicta. Genes. 1. v. 1. *In principio creauit Elohim cœlum & terram*, (tres personæ Deitatis, quas in sequentibus exprimit) v. 2. *& dixit Deus, Fiat lux*, & sic consequenter in descriptione reliquorum operum (per illud *dicere* intelligi Verbum ἔνδιαθετικὸν, videlicet Dei Filium, authenticus testis & Interpres est Iohan. cap. 1. v. 1.) Psal. 33. v. 6. *Verbo Domini cœli firmati sunt, & Spiritu oris eius omnis exercitus eorum.* Psalm. 102. v. 26. *Initiò Domine tu fundasti terram, & cœli sunt opera manuum tuarum.* id Hebr. 1. vers. 11. refertur ad Filium. Prouerb. 2. vers. 19. *Iehouah in sapientia fundauit terram, stabiliuit cœlos in intelligentia.* v. 20. *In scientia eius abyssi ruperunt sese & cœli stillant rorem.* Id exponitur Prouerb. 8. v. 30. *quando ponebat fundamenta terræ*, dicit Sapientia, *eram artifex cum eo.* Sap. 9. v. 1. *Deus Patrum, ac Dominus misericordiæ, qui omnia creasti Verbo tuo.* v. 2. *atque hominem tua sapientia fecisti.* Ierem. 10. v. 12. *Deus fecit terram potentia sua, stabiliuit orbem sapientia sua, & prudentia sua extendit cœlos* (Christus est *Dei virtus* 1. Corinth. 1. v. 24. *& sapientia* Matt. 11. v. 16. 1. Corin. 1. v. 24.) id repetitur infrà c. 51. v. 15. Sic Ierem. 32. v. 17. *Domine Iehouah, ecce tu fecisti cœlum & terram potentia tua magna & brachio tuo extenso* (brachium Dei est Christus Esa. 52. v. 10. c. 53. vers. 1. cap. 63. v. 5.) Iohan. 1. vers. 1. Λόγος ille, qui in tempore *caro factus, erat in principio.* vers. 3. *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil, quod factum est.* vers. 10. *mundus per ipsum factus est:* Pertinet hûc collatio locorum. *Iehouah, qui extendit cœlos solus*, dicit Esa. 45. v. 23. *mihi curuabitur omne genu*, quod Apostolus Rom. 14. v. 11. ad Filium accommodat, 1. Corinth. 8. vers. 6: *Nobis vnus Deus Pater, ex quo omnia, & nos in illum: & vnus Dominus Iesus Christus, per quem omnia, & nos per ipsum* Ephes. 3. v. 9. *Deus omnia creauit per Christum Iesum.* Coloss. 1. v. 16. *in ipso* (Filio) *condita sunt vniuersa in cœlis & in terra, visibilia & inuisibilia, siue throni, siue dominationes, siue principatus, siue potestates, omnia per ipsum & in ipso creata sunt.* Hebr. 1. vers. 2. *Per Filium DEVS & fecula fecit.* Apocalyps. 3. vers. 14. *Hoc dicit fidelis & verax, qui est principium creaturæ Dei* (à quo omnis creatura suum habet principium) cap. 4. vers. 10. *Procidunt viginti quatuor seniores ante sedentem in throno, & adorabant viuentem in secula seculorum, &c. dicentes* vers. 11. *dignus es Domine DEVS noster, accipere gloriam & honorem & virtutem, quia tu creasti omnia, & propter voluntatem tuam sunt, & creata extant*, (sedens ille in throno erat Christus, vt ex contextu & præcedentibus capp. apparet.)

Exceptio Samosatenianorum contra 1. Concilium in v. 3. Omnia per ipsum facta sunt.

83. Excipiunt Samosateniani contra dictum Ioh. 1. v. 3. *Omnia per ipsum facta sunt.* p. 87. & 139. *Primò non haberi hoc loco, quòd omnia sint per Filium creata, sed facta. Resp.* Fieri hoc loco est creari, vt exponitur Coloss. 1. v. 16. τὰ πάντα ἐν αὐτῷ ἐκτίσθη: Ephes. 3. v. 9. πάντα κτίσαντι διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ. Præterea respicit Iohannes ad primùm caput Geneseos, & verbum illud, per quod omnia in principio facta sunt, Filium Dei (in carne postea manifestatum) esse comprobat: ipse quoque verborum sonus euidenter Christomachos hosce redarguit. Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil, ὃ γέγονεν quod factum est. Atque vt pertinax illorum blasphemia magis retundatur, coniungenda reliqua dicta omnia, in quibus opus creationis Filio tribuitur. Obserua diligẽter LXX. Interpretes Genes. 1. eadem voce creationis opus describere, ἐγένετο φῶς, v. 3. ἐγένετο στερέωμα, v. 6. &c. concludit igitur Iohannes, omnia illa, de quibus Moses dicit, quòd per verbum Dei extiterint, per Filium facta esse. Proinde contra conscientiam negant fieri & creari hic esse ἰσοδυναμοῦντα. 2. *Dicunt, particulam PER plerumq; denotare non primam rei causam, sed instrumentalem. Resp.* Procedit à particulari, particula *PER* denotat aliquãdo instrumentalem causam principali inferiorem, Ergo etiã hoc loco; repetimus enim & vrgemus dictum Christi Ioh. 5. v. 19. Quęcunq; Pater fecerit, ταῦτα καὶ ὁμοίως ὁ υἱὸς ποιεῖ: Ergo nõ inferiori aliqua, sed eadem potentia cum Patre operatur Filius. Neq; enim per Filium, tanquam per organon seruile Pater creauit omnia, sed tanquam per substantialem suam virtutem & sapientiam, nimirum, quia Filius est vnius vel potiùs eiusdem virtutis & potentiæ cum Patre, ac proinde Pater non operatur alia potentia, Filius itidẽ alia & diuersa, sed vna eademque potentia Pater &

Filius

Filius operatur, inde est, quod non solùm per Filium omnia esse condita, Scriptura dicit, sed in casu recto de eo pronunciat, quòd Filius *creauerit omnia* Apoc. 4.v.11. Quòd fundarit terram, & quòd cœli sint opera manuum eius Hebr.1.v.11. Quòd Elohim [Pater, Filius & Spiritus sanctus] in principio crearint omnia, Gen.1.v.1. vnde etiã cum autoritate potest imperare creaturis Luc 8.v.25. easdemque mutare, Ioh.2. v.9. quippe quarum est omnipotens creator. Ceterũ quod notanter dicit Scriptura, per Filium creata esse omnia, ideò fit, quia potentiam creandi per æternam generationem à Patre accepit Filius, & quia est substantialis virtus & potentia Patris 1 Cor.1.v.24. *Per quam* omnia creauit Pater, sicut de Spiritu sancto dicitur, quod in ipso sunt omnia, Rom.11.v.35. quia est indissolubile amoris vinculum inter Patrem & Filiũ. Neuè quis particulis illis [quæ agendi ordinem, non diuersitatem denotãt] in fraudem Deitatis Filij abuteretur, ideò etiam Patri tribuitur, quòd per ipsum vocati simus ad communionem Filij 1. Cor. 1. v.9. quod *per illum* Paulus vocatus Apostolus Gal.1. v.1. & sicut à Patre *dicuntur esse omnia*, Rom.11. v.35. ita eodem modo de Filio dicitur, *quod* ἐκ τοῦ πληρώματος αὐτοῦ *omnes acceperimus* Ioh 1.v.16. & in salutationibus Apostolicis non solùm gratia Dei per Christum ad nos descendere dicitur, sed etiam à Patre & Christo eadem nobis obtingere asseritur. 3. *Dicunt*, *vocalam* Omnia, *non esse pro absoluta Vniuersalitate accipiendam, sed pro subiecta materia de illis omnibus, quæ ad Euangelium pertinent*, sicut 2.Cor.5.v.17. noua facta sunt omnia. *Respon.* disertè addit Iohannes, & sine ipso factum est nihil, quod factum est, atque eo ipso se absolutè Vniuersaliter loqui ostendit: præterea Apostolus speciali enumeratione Vniuersalitatem illam explicat, Col.1. v.16. In ipso condita sunt vniuersa in cœlis & in terra, visibilia & inuisibilia, siue throni, siue dominationes, siue principatus, siue potestates, Omnia per ipsũ & in ipso creata sunt. Ceterùm Euangelistã in principio capitis non agere de iis, quæ ad Euangelium pertinent, sed de rerum omniũ creatione superiùs ostendimus th. 45. loquitur enim de illo principio, de illo verbo, de illa creatione omnium, de qua Moses agit. Et quomodo hæc exceptio locum habere poterit in reliquis dictis, quæ manifestè de prima rerum creatione agunt, vt Prou.8. Col.1. Heb.1: Torquent igitur Scripturas Antichristi, quando ad renouationem per Christum factam locum Iohannis pertinere contendunt, ac proinde concidit, quicquid nugantur de explicatione dicti, Sine ipso factum est nihil, quo denotari dicunt, licet Apostoli quędam ad Euangelium pertinentia perfecerint, vt vocationem gentium, abolitionem ceremoniarum legalium, &c. tamen non sine Christo eiusque auxilio hæc facta esse. Detorsio hæc est, non interpretatio, siquidem & scopo & contextui est contraria. Addimus ὅτι θεικῶς, opus redemtionis præsupponere opus creationis, non enim minoris virtutis est redimere quàm creare: eiusdem est κτίσις, cuius est ἀνάκτισις; eiusdem est πλάσις, cuius est ἀνάπλασις, dicit Iustinus: vnde Esai. 45. versic. 15. 17. 18. verùs Iehouah vtrumque sibi tribuit

2. *Contra locum Ioh.1. v.10. Mundus per ipsũ factus est.*

84. Contra locum Ioh.1.v.10. *Mundus per ipsum factus est*, ita excipiunt p.90. *Primò non dici mundum creatum, sed factum esse per ipsum. Resp.* ἐγένετο hoc loco est ἐκτίσθη Col.1.v.16. quia *per Filium* ὁ θεὸς τοὺς αἰῶνας ἐποίησεν Heb.1.v.2. Plura superiùs. 2. Particulam *PER, denotare causam instrumentalem*, de eo itidem suprà diximus. 3. Per mundum *intelligi vel futuram gloriam* [quod probare cupiunt ex Heb.2.v.5. & c.10. v.5. *à Christo paratam vel hominum renouatione à Christo peractam. Resp.* Si vel maximè alicubi nomine mundi intelliguntur homines & nouus ille mundus, tamen hoc loco alterutram harum significationum locum habere negamus. Quod enim hoc loco Iohannes dicit, idem est quod vers.3. dixerat: Omnia per ipsum facta sunt, quod Sapientia dicit Prou.8.v.30. Quando ponebat fundamenta terræ, eram artifex cum eo, & deliciæ meæ, esse cum filiis hominum, quod Paulus dicit Col.1.v.16. in ipso condita sunt omnia. Denique quod Heb.1.v.2. dicitur per quem & secula fecit. Conferimus etiam hunc locum Iohannis cum Es. 1.v.3. Cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe domini sui, Israël autem me non cognouit. Perinde enim vt eo loco indignum esse pronũciat Propheta, quod populus Israëliticus nolit agnoscere & celebrare eum, à quo tanta in ipsum extent beneficia, ita etiam Iohannes dicit indignum esse, quod homines non cognouerint eum, à quo ipsi & totus mundus in principio conditi, & *qui est* vera lux illuminare satagens omnem hominem venientem in hunc mundum.

3. *Contra locum Colos.1. v.16. Omnia in ipso & per ipsum condita sunt.*

85. Contra locum Colos.1.v.16. *Omnia in ipso & per ipsum condita sunt*, ita excipiunt pag.93. *Primo* particulam PER, *denotare causam instrumentalem*, qua de re suprà. 2. Vocem creationis *de reparatione accipiendam, quæ est noua quædam creatio.* Ephes.2.v.10. & 15. Iac.1.v. 18. *Resp.* de vtroq; opere tùm creationis, tùm redemtionis agit Apostolus in isto capite, de; creatio eq uidem, quando dicit, *Omnia per* πρωτότοκον *illum* πάσης κτίσεως *esse condita, tàm quæ in cœlo, quàm quæ in terra*: de redemtione verò & renouatione, cùm ait, *per eundem omnia reconciliata esse* Patri vers.20. Porrò priorem locum non posse de reformatione siue de renouatione accipi, ita demonstramus. Dixerat Apostolus *Christum* esse imaginem Dei inuisibilis, πρωτότοκον πάσης κτίσεως v.10. id probat v.16. *quia in ipso condita sunt vniuersa*, quod si per istam κτίσιν intelligas reformationem, quomodo cohærebit contextus, cùm reformatio longè post conditas creaturas facta sit? Præterea quomodo Christus erit *primogenitus noua creaturæ*, cùm ante natiuitatem Christi ex Maria virgine multi iam inde ab orbe condito renouati & nouæ creaturæ facti sint? Denique addit Apostolus, *per Christum condita esse visibilia & inuisibilia, thronos, dominationes, principatus, potestates*, quibus verbis Angelos describit, at illi nulla per Christum redemtione indiguerunt. Denuò etiam repetimus illam per Christum factam renouationem præsupponere creationem. Ex his probè pensitatis corruit, quod 3. dicunt, *vocalam*, Omnia, *non esse absolutè Vniuersalem*, idque ex v.20. demonstrare cupiunt. At, vti diximus, distincta hîc describuntur Christi opera, quæ non sunt confundenda. Pro Vniuersitate vocalæ *Omnia*, ita argumentamur. Quandocunq; tales proponuntur species, quæ vniuersam generis amplitudinem in se complectuntur, tùm absoluta Vniuersalitas intelligenda est. At hîc tales proponuntur species, quia visibile & inuisibile complectuntur in sese quicquid vspiam est in creaturis, vnde in Symbolo Niceno dicitur: *Credo in Deum Patrem omnipotentem creatorem visibilium & inuisibilium*, id est, rerum omnium. Idem iudicium esto de vocibus cœli & terræ, quibus omnes creaturas passim in Scriptura comprehendi, perspicuum est.

4. *Contra Vnum Hebr. 1. v. 2. per quem & secula fecit. per quẽ & secula fecit.*

86. *Contra Vnum Hebr.* 1.v.2. per quem & secula fecit, excipiunt pag.95. *Primo non dicit Christum fecisse secula, sed per Christum facta esse. Resp.* Hac de re egimus superiùs. *Secundo per nomen* Mundi, *vel seculorum intelligi posse futurum seculum*: id probare cupiunt ex

co, quòd *per eum dicantur facta secula, qui est hæres constitutus omnium, iam verò Christus post resurrectionem ex mortuis demùm est heres omnium cõstitutus. Resp.* τοὺς αἰῶνας hoc loco non intelligi futurum seculum, sed mundum, ostendunt loca parallela, superiùs magno numero allegata. Christus secundùm vtramque Naturam est *heres omnium*, secundùm diuinam Naturam natus est per æternam à Patre generationem heres: secundùm humanam Naturam ex gratia constitutus est heres omnium, si vel maximè prior pars versiculi de humana Christi Natura intelligitur (vt etiam intelligendus est) tamen nihil obstat, quò minùs posteriorem versiculi partem de diuina Natura intelligamus, cùm enim in Christo duæ Naturæ sint personaliter vnitæ, ideò vtriusque Naturæ propria sæpè in vno contextu de Christo prædicantur: falsum etiam est, quod Christus post suam demùm ex mortuis resurrectionem heres omnium cõstitutus sit, etsi enim communicatam sibi omnipotẽtiam & diuinam gloriam tùm demùm plena luce, remota exinanitionis nube exeruit, tamen à primo inde conceptionis momento eius verè & realiter particeps fuit. *Tertiò per nomen αἰώνων & κόσμου intelligendum esse futurum seculum* probare etiam annituntur ex v. 6. vbi de τῇ μελλούσῃ οἰκουμένῃ Apostolus loquitur, quod ex collatione v. 6. c. 2. deducunt. *Resp.* Nulla est in argumento cõnexio, non enim, si per οἰκουμένην intelligitur futurum seculum, quod non minùs ac præsens Filio subiectum, statim consequetur solùm futurum seculum intelligi, idemque per nomen αἰώνων & κοσμου intelligendum esse, ipsa enim Scriptura sui Interpres est optima, quæ alibi de Filio testatur, quòd πάντα ὑπέταξεν ὑπὸ αὐτὸν, quòd πάντα δι' αὐτοῦ γέγονε, *quòd ipse in principio fundarit terram, &c. Quarè* pag. 91. *aliam afferunt probationem* ex Heb. 10. v. 5. vbi nomine *mundi* intelligendum esse futurum seculum, probant ex Heb. 8. v. 4. *Si esset super terram, nec esset Sacerdos. Resp.* Hebr. 10. v. 5. nomine *Mundi* necessariò intelligendus est præsens mundus, quippe in quo *Christus* seipsum Patri *pro nobis obtulit in odorem suauitatis*, vt testatur contextus capitis & fidei analogia, Hebr. 8. v. 4. non negatur Christum, cùm in diebus carnis esset, nostrum fuisse Sacerdotem, siquidem omnes officij Sacerdotalis partes tùm impleuit, docuit, orauit, benedixit: sed tertenum Sacerdotem ipsum esse negatur, quales erant V. T. Leuitici & Typici Sacerdotes. Quid proferant contra locum Heb. 1. v. 11. vbi de Filio dicitur, *quòd fundarit terram*, excussimus th. 52.

2. *Rerum omnium cõseruatio.*

87. *Secundò tribuitur omnium rerum conseruatio*, quę nihil aliud est, quàm continuatio quædam essendi, proinde est opus solius Dei proprium, *quippe qui solus in principio creauit omnia.* Ioh. 5. v. 17. *Pater meus vsque adhuc operatur, & ego operor* (Pater huc vsque ab initio mundi continenter operatur etiam diebus Sabbathi, & ego cum ipso operor. Pater conseruat & gubernat omnia, non minùs cum Patre Filius omnia conseruat & gubernat) 1. Cor. 8. v. 6. *Nobis vnus est Dominus, per quem sunt omnia* (non solùm in principio omnia per ipsum sunt & conseruantur) Coloss. 1. 16. *Omnia sunt in ipso creata.* vers. 17. *Omnia in ipso consistunt* (συνέστηκε conseruat totum mundi systema, quod aliàs dissolueretur. Vox συστήματος quam Philosophus in definitione mundi vsurpat, exprimit aptam, pulcerrimamque omnium mundi partium connexionem & harmoniam suauissimam) Hebræor. 1. versic. 3. *Portat omnia verbo virtutis suæ* (omnia collapsura essent, nisi Filius Dei sua potentia illa sustentaret, vt in ipso viuant, moueantur & sint.)

88. *Contra locum Hebr. 1. v. 3. excipiunt p. 99. vocilam vniuersalem* Omnia, *limitatè accipiendam esse de illis omnibus, quæ pertinent ad Regnum Christi, de quo hic agatur. Resp.* illa omnia portat verbo virtutis suæ, hoc est potenti suo verbo, quæ in principio per ipsum condita, vt ostendit connexio v. 2. & 3. iam verò ostendimus superiùs absolutè Vniuersalem esse particulam, quando omnia dicuntur in principio per Filiũ condita. Immediatè sunt connexa Creatio & Cõseruatio, cui vnum tribuitur, ei nec alterũ denegandũ est. 2. *Dicunt, vocẽ Portandi magis gubernationem, qua conseruationem exprimere, cùm addatur verbo potentiæ omnia ipsum portare. Resp.* Vtrumq; Filio Dei conuenit, quod omnia conseruet & quòd omnia gubernet, gubernatio illa omnipotentissima præsupponit conseruationem: vtrumque est opus diuinæ potentiæ & conseruare & gubernare. τὸ φέρειν h. l. propriissimè denotat conseruationem, qua Dei Filius quasi manibus suis omnia portat & sustinet, ne collabantur. Col. 1. v. 17. πάντα ἐν αὐτῷ συνέστηκε.

Exceptio mosaicorũ contra conseruationem.

89. *Tertiò tribuitur Christo potentia faciendi diuina & supernaturalia miracula*, quæ itidem est soli Deo propria, vnde si concludimus: Quicunque diuina & supernaturalia miracula propria vi & per seipsum efficit, is est verus Deus. Atqui Christus diuina & supernaturalia miracula vi propria & per seipsum effecit. Ergo est verus Deus. Maiorem confirmamus 1. Ex omnibus illis Scripturæ dictis, quæ soli vero Deo hoc tribuunt, quòd sit θαυματουργὸς, Psal. 72. v. 18. *Benedictus Iehouah, Deus Israël, qui facit mirabilia solus.* Ps. 86. v 8. *Non est sicut tu, inter Deos Domine, nec sunt secundùm opera tua.* v. 10. *quoniam magnus es tu, & facis mirabilia, tu es Deus solus.* Psalm. 136. v. 3. *Celebrate Deum Deorum.* v. 4. *quia facit mirabilia solus.* Esai. 41. v. 18. *Aperiam in excelsis flumina, & in medio camporum fontes, &c.* v. 19. *Ponam in deserto cedrum, &c.* v. 20. *vt videant & cognoscant, quòd manus Iehouæ fecit istud.* 2. Ex dictis illis Scripturæ, in quibus diuina Christi gloria in miraculis dicitur manifestata, & in quibus Christus ipse prouocat ad sua miracula, tanquam indubitata Diuinitatis testimonia Matth. 11. vers. 3. *Ite & renunciate Iohanni, quæ videtis & auditis: cæci vident, &c.* Matth. 27. vers. 54. Centurio ex miraculis in morte Christi factis agnoscit, *quòd sit Dei Filius.* Iohan. 2. vers. 11. per miraculum aquæ in vinum mutatæ *Christus manifestauit gloriam suam* [vtique diuinam] Iohan. 3. vers. 2. *Nemo potest hæc signa facere, quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo.* Iohan. 3. vers. 36. *Ego habeo testimonium maius Iohanne, opera enim, quæ dedit mihi Pater, vt perficiam ea, ipsa opera, quæ ego facio, testimonium perhibent de me, quia Pater misit me.* Iohan. 9. vers. 32. *à seculo non est auditum, quod quis aperuit oculos cæci nati.* Iohan. 10. vers. 37. cùm Christus blasphemiæ accusaretur, quòd se Deo æqualem fecisset, subiecit: *Si non facio opera Patris mei, nolite mihi credere*, vers. 38. *si autem facio, & si mihi non vultis credere, operibus credite, vt cognoscatis, & credatis, quia Pater in me est, & ego in Patre.* Ioh. 15. vers. 24. *Si opera non fecissem in eis, quæ alius nemo fecit, peccatum non haberent.* Iohan. 20. v. 31. *Hæc signa scripta sunt, vt credatis, quia Iesus est Christus Filius Dei.* 3. Ex euidenti ratione, quia paris potentiæ est res creare, & rerum Naturam immutare, iam verò creatio est actio solius Dei propria. Maxim. in ser. de S. Epiph. *Non potest mutare Naturam, nisi qui Dominus est Naturæ.* Tertull. libr. de carne Christi p. 26. *Plus est demutare Naturam, quàm facere materiam.* August. tract. 24. in Iohan. *Interrogemus ipsa miracula, quid nobis loquantur de Christo, habent enim, si intelligantur, linguam suam.*

Exceptio mosaicorũ contra miracula.

90. Assumtionem confirmant primò generalia dicta

dicta de Christi miraculis: Esa.35.vers.4.*Ecce Deus venit, & saluabit vos.* v.5. *tunc aperientur oculi cæcorum & os mutorum aperietur, &c.* quem locum Christus ad se refert, atque hoc vaticinium in sese completum esse testatur Matth.11. v.2.3.4.Luc.7.v.18.21.Sic Matt.8. v.16. commemoratur de Christo, quòd omnis generis morbos sanauerit. Coniunge Marc.1.v.32.34. 34.Luc.4.v.40. Item Matth.15. v.29.30.31.c.21.v.14, 15.Ioh.20.v.30.c.21.v.25. Actor.1.v.1.c.10.v.38. 2. In specie Christi miracula ita possunt diuidi, quòd quędam fecerit in seipso, quædam in creaturis. *Ad priorem olassem pertinet*, quòd conceptus est à S.S. sine vitili semine Matt.1. v.18 Luc.1.v.35. quòd natus ex pura & incorrupta virgine *saluo virginalis integritatis claustro.* Esa.7.v.14. Luc.2.v.7. (Origenes lib.2.de princ.c.6. §.3. *Christi Natiuitas præ aliis omnibus ipsius miraculis & magnificentiis omnem penitùs humanæ mentis admirationem excedit, nec potest à mortali intelligentia fragilitate intelligi.* Bernh.ser.3.de nat.col.41.*Tria mirabilia mirabilissima: Deus & Homo: Virgo & Mater: Fides & Cor hominis*) quod duodecimo ætatis anno diuinæ suæ sapientiæ specimen edit Luc.2.v.47.quod in principio ministerij sui quadraginta dies & noctes ieiunat Matth.4. v.2. Luc.4.v.2. quod sæpè factus inconspicuus Luc. 4. v.30. Ioh.8.v.59. Luc.24.v.31. quod in mari ambulat Matth.14. v.25. Mar.6. v.45. quod ex latere demortui profluit aqua & sanguis.Iohan.19.v. 34. quod ipse ex sepulchro surgit Matth.28. v.6. ipse sumit animam [vitam] suam Ioh.10. vers.18. & corporis sui templum ipsemet excitat Ioh.2.v.19.in quo demonstratus est Dei Filius Rom.1.v.4.quod resurgit sepulchro adhuc clauso Matth.28. v.2. quod post resurrectionem per clausas ianuas intrat Matth.28. v.2.quod ascendit in cœlum, & sedit ad dextram Dei Marc.16.v.19.

Miraculorũ Christi diuisio.

91. Posterioris classis miracula, quæ Christus in aliis fecit, ita possunt diuidi, vt dicantur facta, vel in hominibus, vel in creaturis reliquis. *Prioris generis* sunt triplicia: ægrotos enim sanauit, mortuos resuscitauit, obsessos liberauit. De ægrotorum sanatione vide Matth.4.v.23.24.c.9.v.35.c.12.v.15.c.15.v.30.c.19.v. 2. Marc.1.v.34.c.3.v.10.Luc.4.v.40.c.6.v.18.c.7.v. 21.c.8.v.2. In specie commemoratur, quod leprosos mundauerit Matt.8.v.3.Marc.1.v.42.Luc.5.v.13.cap. 17.v.14. quod sanauerit paralyticos Mat.8.v.13.c.9. v.7.Marc.2.v.11. Luc.5.v.24.Iohan.5.v.8 hydropicos Luc.14.v.4.febri correptos Matt.8.v.15.Marc.1.v.3. Luc.4.v.39.Ioh.4.v.45. quod cæcis visum restituerit Matt.9.v.30.c.12.v.23.c.20.v.34.c.21.v.14 Mar.8.v. 25.Ioh.9. vers.7. Saulem contra cæcitate percusserit Act.9.v.9. quod surdis auditum restituerit Marc. 7. 35. mutis loquelę vsum Matth. 12. v.23. quod fœminam curuatam erexerit Luc.13.v.12. manum aridam sanauerit Matth.12.v.13 Marc.3.v.5. Luc.6.v.10.Ioh. 6.v.29.hœmorrhoisæ fluxum consistere fecerit Mat. 9.v.22. Marc.5. v.29. Luc.8. v.44. aurem restituerit Luc.22.v.51. De mortuorum resuscitatione in genere testatur Matthæus cap.11. v.4. & alibi in specie suscitauit filiam Iairi Matth.9 v.25. Marc.5.v.41. Luc.8. v.54.filium viduæ in Naim Luc.7.v.14.Lazarum Io. 11. v.44. ipso resurgente multa Sanctorum corpora resurgunt Matth.27. v.52.53. [Tertul. eos vocat *appendices Dominicæ resurrectionis*] De liberatione obsessorum vide Matth.8. v.16.c.9.v.33.c.12.v.22.c.15.v. 28.c.17.v.18. Marc.1.v.26.39.c.3.v.11.c.5.v.13.c.6.v. 18.cap.7.v.29. cap.9. vers.26. c.16.v.9 Luc.4.v.35. cap.8. vers.2. cap.9. vers.42. cap.11. vers.14. cap.13. vers.32.

92. Miracula Christi in reliquis creaturis facta ita possunt diuidi, vt quædam dicantur facta in cœlo quædam in terra, quædam in aquis. *In cœlo*, Sol obscuratur tempore passionis Matth.27. v.45. Marc.15. v. 33.Luc.23.v.44. *In terra*, quòd ficus extemplo aresit ipsius iussu, Matt.21.v.19. Marc. 11. v.13. quod quinque panibus cibat quique millia, *ita vt superfint reliquiæ* Matth.14.v.20 Marc.6.v.42.c.8.vers.19. Luc.9. v.17.Ioh.6.v.12. quòd septem panibus cibat quatuor millia, Matth.15.v.37.Marc.8.v.8. quòd terra in passione tremit, sepulcra aperiuntur, velum templi scinditur Matth.27.v.51.52. Marc.15.v.38. Luc.23. v.45. quod ipsius iussu statim adsunt panes & pisces assati Ioh.21.v.9. *In aquu*, quòd ex aqua facit vinum Ioh.2. v.9.quòd magnam piscium copiam in rete Apostolorum cogit Luc.5.v.6. & Ioh.2. v.11. quòd stateram in ore piscis fabricat Matth.17. v.27. Posset quis miracula Christi in Nou. Testam. conferre cum miraculis in Vet. Testam. quę certè collatio esset iucunda, & ostenderet Christum esse verum illum Iehouam, qui & olim fecit mirabilia solus. Pertinet etiam hùc, quòd Christus aliis potestatem dedit in nomine suo miracula faciendi, qua de re vide Matt.10. v.1. Mar. 16.v.17.18.19.20.Luc.10.v.9.17.19.Act.4.v.30.Heb. 2.v.4.&c.

Exceptiones Samosateniauorum cõtra miracula Christi:

93. Excipiunt noui Samosateniani p.39.*Christum accepisse à Deo magnam illam potestatem, quæ se in miraculis exeruit. Resp.* Christus secundùm diuinam Naturam per æternam à Patre generationem accepit essentiam & potentiam suam ac natus est Deus omnipotens: secundùm humanam Naturam vnctus est *in plenitudine temporis* Spiritu S. & virtute, qua *sanauit omnes Diabolo oppressos* Actor.10. v.38. posterius non est opponendum priori, cùm sint subordinata, & posterius ex priore potiùs sequatur, quàm vt illud euertat. Ideò enim & indè Christus secundùm humanam Naturam diuinæ potentiæ particeps fieri potuit, quia assumta illa humana Natura personaliter est vnita τῷ λόγῳ omnipotenti. Non enim alia potentia agit Christus, vt homo in miraculis, quàm quæ est ipsa τῷ λόγῳ omnipotentia, vnde passim repetit *Pater in me manens, ipse facit opera.* Iohann.14. versic. 10. Nimirum, quia Patris & Filij vna est & indiuisa potentia, quæ in, cum & per Naturam assumtam agit.

1. *Quod à Deo accepit illam potestatem.*

Discrimen inter miracula Christi & Sanctorũ

94. Apprimè igitur hoc loco notandum, quòd magnum sit discrimen in miraculis Christi & Sanctorum, puta Prophetarum & Apostolorum, Christus enim propria virtute fecit miracula, reliqui sancti aliena, imò per Christum & in Christi nomine miracula fecerunt, qua de re videatur egregius locus Act. 3. v.6. vbi Petrus ad claudum dicit: *In nomine Domini Iesu Christi Nazareni surge & ambula.* v.12.addit, *Quid nos intuemini quasi nostra virtute aut pietate fecerimus hunc ambulare?* v.16. *In fide nominis Iesu, &c. confirmauit Deus nomen eius.* Coniunge Mat.10.v.1. Mar.16.v.17. Luc.10. v.17. Actor.9.v.34.c.16.v.18.inde est, quòd Paulus prohibet sibi propter miracula sua afferri sacrificium Actor.14.v.13.sed Christus honorem spiritualis sacrificij, videlicet Inuocationis, propter miracula sibi deferri nuspiam prohibuit. Proinde, vt argumentum diuinitatis Filij ex miraculis ductum sit euidentius, obserua accuratè hæc sequentia capita: 1. Miracula non sunt à verbo seiungenda, siquidem sunt sigilla verbi: quicquid Christus, quicquid Prophetæ & Apostoli docuerunt, id confirmarunt miraculis. Iam verò nemo Prophetarũ vel Apostolorum docuit, se esse Dei Filium vnigenitum, proinde illud ex miraculis ipsorum concludi nequit: Christus autem docuit, se esse Dei Filium, verum Deum, idque miraculis supernaturalibus comprobauit, illud ergo ex miraculis Christi optimè potest colligi, si vel ma-

ximè paria essent Christi & Apostolorum miracula. 2. Christus, quædam miracula fecit, quæ nullus alius Propheta vel Apostolus vnquam fecit, Ioh.9.v.32.à seculo non est auditum, aperire oculos cœci nati, concipi à Spiritu S. nasci ex virgine, propria virtute resurgere, &c. nulli alij competit, quàm soli Filio. 3. Inter Christi & aliorum miracula semper manet hoc discrimen, quòd Christus facit miracula virtute propria, reliqui verò aliena. De genuino sensu dicti Iohan.14. vers. 12. *Qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipse faciet, & maiora his faciet*, dicetur alibi.

2. Quod non resurrexerit virtute propria.

95. Negant etiam hi Antichristi, Christum propria virtute ex mortuis surrexisse p.313. vbi vocant hanc sententiam in Ecclesia receptam *insignem errorem. Primò dicunt Scripturam passim id tribuere Deo Patri, quòd Filium suum ex mortuis excitauerit*, Act.5.v.30. 31.Rom.4. v.24. & c.8.v.11. *Respon.* subordinata non sunt sibi inuicem opponenda, vtrumque asserit Scriptura, vtrumque fidei obedientia est acceptandum, quòd Pater Filium suum ex mortuis suscitauerit, & quòd Filius propria virtute resurrexerit: ratio est, quia Patris & Filij, vt est vna Deitas, ita etiam vna virtus & agendi potentia: *quæcunque Pater facit*, ταῦτα καὶ ὁμοίως *agit Filius*, Iohan.5.v.19. quod surdis ipsorum auribus perpetuò est occinendum. Vrgemus ergo hæc Scripturæ dicta, Christus ἠγέρθη *surrexit* Matth. 28. vers.6. num eo modo, quo puella Iairi, viduæ in Nain Filius, & Lazarus surrexerunt? Minimè verò. ἐγερῶ *excitabo illud*, Iohan.10.v.17. *Nemo tollit animam meam à me, sed ego pono eam à meipso: potestatem habeo ponendi eam, & potestatem habeo iterum sumendi eam*: ideò disertè concludit Apostolus, *quòd Christus in resurrectione* ἐκ δυνάμεως *declaratus Dei Filius* Rom.1.v.4. Actor.15.v.33. & Petrus dicit, *Christum esse mortificatum carne, viuificatum autem Spiritu*, id est, Deitate, 1. Pet.3.v.18. Vt ergo vtrumque Scriptura asserit, quòd *Pater Filium pro nobis tradiderit*, Rom.8. v.32. & vicissim, quòd *Filius seipsum tradiderit* Galat.2.v.20. quod *Pater fecerit miracula* Iohan.14.v.10. & vicissim, quod *ipse Filius miracula fecerit* Act.10.v.38. *& suam gloriam in eis manifestauerit* Ioh.2.v.12. quod *Pater ipsum collocarit ad dextram suam* Ephes.1. v.21. & quod *ipse consederit ad dextram Dei* Marc.16.v.19. ita etiam, quod *Pater ipsum excitauerit, & quòd ipse propria virtute resurrexerit propter vnam eandemque* Patris & Filij potentiam, quę in, cum & per assumtam Filij carnem talia efficit.

1. Contra locum Iohan. 2. vers.19. Excitabo templũ corporis.

96. Contra locum Ioh.2. v.19. vbi Christus seipsum excitaturum corporis sui templum asserit, hoc modo excipiunt p.314. *Primò dicunt generaliter hoc sciendum, quòd pauciora & obscuriora illa dicta, quæ testantur Christum propria virtute resurrexisse, explicanda sint ex pluribus & clarioribus illis, quæ Patri hoc tribuunt. Resp.* nulla in illis dictis obscuritas, nisi quam hæretica prauitas & præconceptus error sibi in illis fingit. Explicanda quidem dicta Scripturę pauciora ex pluribus, obscuriora ex clarioribus, interim non neganda sunt ea, quæ disertis verbis, præsertim in articulis fidei, Scriptura docet, qua de re egimus in disp. de Interpret. Scriptur. & ostendimus liquidissimè, articulos fidei sibi non esse inuicem ex præconcepto stultæ rationis iudicio opponendos. *Secundò dicunt, vocem* ἐγερῶ *reddi posse, erigam templum illud: Christus enim à Patre resuscitatus erexit suum corpus. Respon.* quemadmodum alibi Scriptura dicit, quòd Christus ἠγέρθη Mat.28.v.6. ita hoc loco Christus pronunciat, ego ipse ἐγερῶ templum corporis mei, vt intelligamus, ipsum vt vnum cum Patre & Sp.S. Deum seipsum secundùm corpus erexisse & suscitasse. Notetur etiam oppositio, λύσατε templum hoc, & in trib. diebus ἐγερῶ αὐτὸ, si vel maximè corporis mei templum destruetis, mihi tamen potentiam illud suscitandi, & quasi reparandi non adimetis, opponit illorum destructionem & suam suscitandi actionem. Quando ergo de Deo dicitur, quòd Christum ἤγειρεν ἐκ νεκρῶν Act.3.v.15.c.4.v.10.c.5.v.30.c.10.v.40.cap.13.v. 30. & 37. Rom.4. v.24. & alibi passim, non intelligendus est solus Pater excluso Filio & Spiritu S. quia disertè h. l. seipsum includit Filius & eadem voce ἐγερῶ vtitur: ac disertis verbis testatur, *quòd omnia, quæ facit Pater,* ὁμοίως *etiam faciat Filius*. Probare debebant idoneo exemplo, quod corporis templum ἐγεῖραι significet viuificatum ab alio se erigere, proprium hoc est ipsorum figmentum. *Tertiò dicunt, in figuratis locutionibus non esse vrgendum* τὸ ῥητὸν, *præsertim si quid absurdum & reliquis Scripturæ locis contrarium ex eo sequatur. Resp.* quod ex hoc loco colligimus, absurdum non est, nisi in mente præconceptis erroribus fascinata, & figuratam hanc locutionem Christi Euangelista ipsemet interpretatus est de templo corporis Christi. v.20. tutò ergo huic explicationi insistimus. *Quartò dicunt*, Luc.17. versicul. 33. haberi, *quòd is*, qui amittat animam suam, viuificet eam, *nec tamen ex eo posse colligi, quod seipsum à morte sit suscitaturus. Resp.* illud ζωογονήσει exponitur per σώσει, εὑρήσει, φυλάξει. Matth.10.v.39. Marc.8.v.35. Luc.9.v.24. Ioh.12.v. 25. *Nomina enim & verba apud Hebræos sæpè ponuntur pro contrariis negatis*, nocere apud illos est non prodesse, odisse est non amare, &c. sic h.l. viuificare est in vita conseruare, vt vsurpant LXX. Interpp.1.Sam. 27. v.11. sed hæc explicatio in illis dictis, quæ de Christo dicunt, quod seipsum suscitauerit, locum habere planè nequit, verè enim mortuus est, vt homo, verè suscitauit & viuificauit se vt Deus.

4. Contra locum Ioh. 10.v.18. Habeo potestatem iterum sumendi animam.

97. *Contra locum Ioh.10.v.18. vbi Christus dicit*: Se habere potestatem iterum sumendi animam suam, ita excipiunt pag.316. *etiam de reliquis fidelibus dici, quod Deus* potestatem illis dederit, filios Dei, *id est, immortales* fieri, sensum igitur loci hunc, esse *Sicut in vestra potestate non est me occidere, ita nec in vestra potestate erit, me in morte detinere, sed hæc est voluntas Patris, vt postquam animam meam posuero, perueniam ad resurrectionem ex mortuis & à Patre accipiam vitam æternam. Resp.* 1. Christus hoc loco nullam facit Patris mẽtionem, sed seipsum dicit habere potestatem iterum sumendi animam suam. Vt ergo in priore membro dicit, *nemo tollit animam meam à me, sed ego pono eam à meipso, potestatem habeo ponendi eam*: ita in posteriore membro subiungit, *se itidem habere potestatem iterum sumendi*, ideò membri vtriusque oppositio ostendit, liberę voluntatis & potestatis vtrumque fuisse, mortem scilicet & resurrectionem Christi. 2. Longè igitur diuersa ratio est, quando credentibus dicitur data potestas, vt fierent Filij Dei, & quando Christus dicit se habere potestatem animam suam iterum sumendi, quia Christus vt Deus per æternam generationem habet illam potestatem, credentes autem per adoptionem in Dei filios ex gratia. 3. Imò ipse Christus dicitur dare credentibus hanc potestatem, vtique ergo nulla potest institui inter hæc loca comparatio, sed ex loco Ioh.1.v.12. colligitur, quòd Christus singulari quadam ratione μονοτρόπως καὶ ἐξαιρέτως sit Dei Filius & diuinam obtineat potestatem, nimirum quia est μονογενὴς, ὁ ὢν εἰς τὸν κόλπον τοῦ πατρὸς, vt exponitur v.18. 4. Et repetendum est hoc loco ex superioribus, quòd Christus sit *ipsa vita*, & *Dux vitæ*, quòd *habeat vitam in semetipso*, Ioh.5.v.26. qui locus apprimè notandus. Si enim Filius habet

vitam

vitam in semetipso, quomodo non habuit potestatem seipsum ex mortuis suscitandi? num mors vitæ potuit dominari eamque tenere captiuam? verè Petrus Act.2.v.24. *impossibile fuisse, Christum à morte captiuum teneri*, quare hoc? *quia est sanctus ille.* v.27. *est autor vitæ* Act.3.v.15. *est verus Deus & vita æterna.* 1.Ioh. 5.v.20.

3. Contra locum 1.Pet. 3.v.8. Viuificatus Spiritu.

98. *Contra locum 1.Pet.v.18. vbi Christus dicitur viuificatus Spiritu*, ita excipiunt p.317. *non dici, quòd suo Spiritu sit viuificatus, intelligendum igitur esse Spiritum, id est virtutem Dei. Resp.* 1. Notamus oppositionem, Christus dicitur *mortificatus carne & viuificatus spiritu.* Vt ergo per carnem intelligitur ipsius propria caro, in qua passus & mortuus: ita per Spiritum vi oppositionis intelligendus proprius ipsius Spiritus, id est, diuina eius Natura. 2. Conferimus loca similia. Rom.1. v.3. *Filius Dei est natus ex semine Dauid secundùm carnem.* v.4. ὁρισθέντος *demonstratus Dei Filius in virtute secundùm Spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum.* 1.Cor. 15.vers. 46. *Factus est primus homo Adam in animam viuentem: nouissimus vero Adam in Spiritum viuificantem* [Christus secundùm humanam Naturam personaliter τῷ λόγῳ vnitam vnctus est plenitudine Spiritus S. vt ex ipso vitam spiritualem haurire possimus, sicut ex Adamo naturalis & animalis vitæ reddimur participes.]

4. Opus redemtionis.

99. *Quarto* tribuitur Filio opus redemtionis, quod itidem est opus diuinum, solius veri Dei proprium. Psal.49.v.8. *Fratrem redimendo non redimet quispiam, nec dabit Deo precium redemtionis eius.* v.9. *nam preciosa est redemtio animæ ipsorum, & desinet in seculum.* Esai.59.v. 16. *Vidit Iehouah, quod non esset vir, & admiratus est, quod non esset, qui intercederet: itaque salutem fecit ipsi brachium eius, & iustitia eius ipsa confirmauit eum*, vers.17. *& induit se iustitia, vt lorica, &c.* Esai.35.v.4. *Deus vester venit & saluabit vos* [solus Deus poterit vobis auxiliari.] Esai. 45.v.17. *Israel saluatus est in Iehoua salute sua.* Esai.63. v.3. *Torcular calcaui solus, & ex gentibus non est vir mecum.* vers.5. *aspexi & non erat auxiliator: & admiratus sum, quod non erat qui fulciret: saluauit itaque me brachium meum, & ira mea ipsa me fulciuit.* Actor. 20. vers. 28. *Deus suo sanguine redemit Ecclesiam* [requirebatur Dei sanguis ad opus redemtionis] 2. Corint. 5. 19. *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi ipsi.*

4. Contra locum 1.Ioh. 1.v.18. Habeo potestatem emendi animam.

Neo-Samosateniani negant Redemtionem per Christi factam.

100. Vident hoc Antichristi, quod redemtionis opus sit diuinum & solius Dei proprium, ideò negant p.261. *Christum morte sua æternam nobis salutem peperisse & pro peccatis nostris satisfecisse.* Ibi iam apparent vngues Diaboli & ipsius intentio, quòd totum salutis nostræ fundamentum per hos Antichristos euertere satagat. Negata enim redemtione per Christum facta, quid solatij, imò quid fidei Christinæ nobis amplius reliquum? Exurgat ergo Christus & cœlesti fulmine, imò verò infernali igne hasce aduersariorum suorum blasphemias vindicet.

101. Quid in Scriptura frequentius repetitur & inculcatur, quàm quòd Christus Mediator & Redemtor noster sit, qui torcular *iræ diuinæ nostro loco calcauit* Es.63. v.3. Apoc.19. v.13. *qui Patri nos reconciliauit*, Rom.5. v.10.2. Cor.15 v.18. Col.1.vers.20. *qui purgationem peccatorum nostrorum fecit per semetipsum* Hebr.1.v.3. *qui sanguinem suum effudit in remissionem peccatorum* Matth.26.v.28. *qui peccata nostra in se recepit* Esa.53.v.4. *qui à maledicto legis nos liberauit* Gal. 3.v.21. *qui ab omnibus inimicis nostris nos sibi asseruit*, Luc. 1.v.71. *qui conculcauit caput infernalis serpentis.* Gen.3. v.15. 1.Ioh.3.v.8. *qui à morte nos liberauit* Os.13.v.14. Ro.5.v.6. 1.Cor.15.v.54. Heb.2.v.14. *qui infernum destruxit*, Os.13.v.14. *& ab ira ventura nos liberauit* 1.Thes. 1.vers.10. &c. Dies nos deficeret, si plura ad hanc Christianæ fidei & omnis nostri solatij acropolin muniendam afferre velimus, fiet autem id suo loco.

5. Ecclesiæ collectio.

102. *Quinto*: Constitutio ministerij & collectio Ecclesiæ est opus solius Dei proprium (requiritur enim ad illud efficax cordium immutatio, & contra omnes hostes etiam infernales, potens defensio) Ps. 68.v.12. *Dominus dedit sermonem & Euangelizantium exercitum copiosum.* Psal.147. v.15. *Deus mittit verbum suum terræ* v.19. *annunciat verbum suum Iacob, statuta sua Israëli.* Esa.6. v.8. *Audiui vocem Dei dicentis: Quem mittam, & quis ibit nobis?* Esa.41. v.27. *Ipse Ierusalem dabo Euangelistas*, &c. Atqui opus hoc, videlicet constitutio Ministerij & collectio Ecclesiæ tribuitur Filio Dei. Matth.10.v.5. Marc. 6. v.7. suos discipulos in Iudæam & Samariam mittit. Luc.10.v.1. septuaginta discipulos ablegat. Matth.28.v.19. Marc.16.v. 15. *in omnem terram* Apostolos suos ire iubet, & in genere dicit Ioh.20. v.22. *sicut Pater me misit, ita & ego mitto vos.* Actor.9.v.15. vocat Paulum. Ephes.4.v.10. *ascendit Christus super omnes cœlos.* vers.11. *& dedit alios Prophetas, alios Apostolos, alios Euangelistas, alios Doctores, &c.* v.12. *vt sancti præparentur ad opus ministerij.* Mittit autem Christus, vt *Dominus Messias* Matth.9. vers. 38. confert illis quos mittit Spiritum sanctum Ioh. 20.vers.23. efficax est in cordibus hominum per verbum suorum Legatorum, ipse est sponsus, cui animæ hominum adducendæ & despondendæ sunt 2.Cor. 11.v.2. reliqui verò sunt *Amici Sponsi*, Ioh.3.v.29. &c.

6. Missio Spiritus sancti.

103. Sextò tribuitur Filio missio Spiritus sancti Luc.24.v.49. Ioh.15. v.16.c.16.v.7.cap.20. v.23. qui ob id dicitur Spiritus Christi. 1.Pet.1.v.11. & alibi passim: iam verò missio Spiritus sancti est opus diuinum, soli DEO proprium, siquidem Spiritus sanctus est verus Deus, vt suo loco comprobatum dabimus. Quamuis verò credentes in primitiua Ecclesia per impositionem manuum Apostolicarum accipiebant Spiritum sanctum Act.8. v.17. nusquam tamen Scriptura dicit, Apostolos misisse Spiritum sanctum: missio in tempore, est manifestatio processionis sine tempore: à nullo igitur Spiritus sanctus in tempore mittitur, nisi à quo ab æterno procedit. Vtique ergo in missione Spiritus sancti Filius se verũ Deum esse comprobat. *August.*15. de Trinit.c.26. *Quomodo Deus non est, qui dat Spiritum sanctum? imò quantus Deus est, qui dat Deum! Neque enim aliquis discipulorum eius dedit Spiritum sanctum; orabant quippe vt veniret in eos, quibus manum imponebant, non ipsi eum dabant.*

7. Missio Angelorum.

104. *Septimo*: Missio Angelorum est opus verè diuinum, quia Angeli sunt creaturæ omnium nobilissimæ, solo creatore inferiores, reliquis creaturis omnibus præstantiores, vtique ergo eorum missio nulli alij nisi vni vero Deo conuenit: inde est, quòd Scriptura Angelorum missionem passim tribuit Deo, nusquam autem hominibus Genes. 19. vers.13. dicunt Angeli: *Misit nos Deus ad perdendos Sodomitas.* Gen.24.v.7.& 40. *Deus mittet Angelum suum tecum.* Coniunge 1.Paral.22.vers.15.2.Paralip.32.v.21. Dan.6.vers.22.cap.10.v.11. Zachar.1.v.10. Luc.1.vers. 19.26. Actor.12.v.11. Iam verò Angelorum missio tribuitur Filio Dei. Matth.13.v.41. *Mittit Filius hominis Angelos suos*, quod repetitur cap.24.v.31. Marc.13. vers.27. Sic Apoc.1.v.1. *Hæc est apocalypsis Iesu Christi, &c. quam misit per Angelum suum seruo suo Iohanni.* cap. 22.vers. 6. *Dominus Deus sanctorum Prophetarum misit Angelum suum.* vers.16. *Ego Iesus misi Angelum meum,*

quo pertinent dicta, quæ Christo ad dextram Patris exaltato etiam *Angelos subiectos esse* testantur, Eph. 1.v.21. 1.Petr.3.v.22.Heb.1.v.4.

3.*Remissio peccatorum.* 105. *Octauò*: Remissio peccatorum *est opus solius Dei*, illi enim *soli peccamus* Psal.51.v.6. ipse est, qui remittit nobis peccata. Psal.103.v.3:*Ego, ego* dicit Dominus Es. 43.vers.25.*deleo iniquitates tuas propter me, & peccatorum tuorum non recordor amplius*: hinc Pharisæi dicunt Luc. 5.v.21. *Quis peccata remittere potest, nisi solus Deus?* quo pertinent omnia dicta, in quibus Deus remissionem peccatorum promittit, in quibus sancti à Deo precantur peccatorum remissionem, in quibus Deus opere ipso hanc suam promissionem complet. Iam verò Filio Dei tribuitur peccatorum remissio Matt. 9.v.2. Marc.2.v.14. Luc.5.v.18.c.7.v.48. quò pertinent dicta, in quibus Christus prædicare iussit in *nomine suo peccatorum remissionem* Luc.24.v.47. & potestatem dedit Apostolis suis remittendi peccata Ioh. 20.v.23.&c.

Obiectio. 106. *At, inquis*, si ex mandato Christi etiam Apostoli, *ac fideles ipsorum successores remittunt & remittere possunt peccata, remissio illa non erit amplius opus diuinum, solius Dei proprium. Resp.* Christi remissio est authentica, Apostolorum verò ministerialis. Christus peccatorum remissionem confert, vt Mediator, qui eam precioso sanguinis sui λύτρῳ promeruit: sed Apostoli & Ministri Ecclesiæ remittunt *Christi nomine*, tanquã dispensatores boni alieni, 1. Cor. 4. v.1. Annunciant peccatorum remissionem per Christum, Act.13.v.38. *Christus purgationem peccatorum nostrorum fecit per semetipsum* Hebr.1.v.3. hinc poterat Apostolis *præcipere, vt in nomine suo prædicarent pœnitentiam & remissionem peccatorum* Luc.24.v.47. iisdemque potestatem remittendi peccata conferre Ioh.20.v.23. *Per Christum sumus Deo reconciliati*. Rom.5.v.10. ideò *ministerium reconciliationis poterat* instituere 2. Cor.5. v.19. Ex quo discrimen euidens inter Christi & Apostolorum remissionem apparet. Christus hunc thesaurum promeruit, & est Dominus illius domus, (Ecclesiæ) in qua distribuitur, Hebræor.3. vers. 36. Apostoli non promeruerunt eum, & sunt tantummodò ministri *per quos Deus nobiscum agit*, quibus claues tradidit, &c.

107. *Nonò*: defensio Ecclesiæ *contra omnes hostes est* opus verè & merè diuinum, quia portæ inferorum insurgunt contra Ecclesiam, illis non potest nisi diuina vis opponi. Præterea ad defensionem Ecclesiæ requiritur, scire hostium consilia, eademque facere irrita, iam verò solus Deus nouit cordium humanorum recessus, inde est, quod Scriptura soli Deo passim Ecclesiæ protectionem transcribit. Gen.15. v. 2.& 13.Exod.15.v.13.Deuter.32.v.10.11.Psal.29.v.11. Esa.51.v.16.Zach 2.v.5.&c. Iam verò Christo tribuitur hoc opus defensionis. Matth.16. v.18. *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferorum non præualebunt aduersus eam.* Ioh.10.v.28. *Nemo rapiet oues meas ex manu mea.* Ex Psal.110.v.1.1.Cor.15.v.26. *Oportet Christum dominari, donec ponet inimicos scabellum pedum suorum.* Pertinent huc omnia dicta de perpetuitate regni Christi.

Obiectio. 108. *At, inquis*, Christus Apostolos & eos, qui per verbum ipsorum in ipsum erant crediturі, *cœlesti Patri commendat, eique partes hasce seruãdi quasi resignat.* Ioh.17.v.11.*Resp.* ex Aug.tract.107. in Io. *Non hoc tàm carnaliter debemus accipere, velut vicissim nos seruent Pater & Filius, amborum in nobis custodiendũ alternante custodia, quasi succedat alius, quando discesserit alius, simul enim nos custodiunt Pater, Filius & Spiritus S. qui est vnus, verus & beatus Deus: sed Scriptura nos non lenat, nisi ad nos descendat. Intelligamus, cùm ita loquitur, personas eum distinguere, non separare Naturas.* Et paulò post: *Custodiendos quando filius homo accepit, custodiæ paternæ eos non abstulit, & cùm Pater Filio custodiendos dedit, non dedit sine ipso, cui dedit, sed dedit homini Filio, non sine Deo, eodem ipso vtique filio.* Hæct. Aug. Sic ergo habendum, *oues Christi non solùm* in manibus Patris, *sed &* ipsius Christi *sunt*, Ioh.10.v.28. ipse adest suis omni tempore Mat.28.v.20.& regnum eius æternum est, Daniel. 7.v.14. quòd Patri suos commendat, id agit vt Mediator, cui secundùm humanam Naturam omnia in manus eius sunt à Patre tradita, ideò eos vicissim Patri commendat, quippe à quo accepit illam potestatem, qua suos conseruat. Coniunge vers.c. 9. rogo pro his, quos dedisti mihi, quia tui sunt, vers. 10. & mea omnia tua sunt, & tua omnia mea sunt.

10.*Resuscitatio mortuorum.* 109. *Decimò*: Resuscitatio mortuorum *est opus verè* diuinum, quia non minoris virtutis est corpus ex puluere terræ resuscitare, quàm ex terræ gleba primitùs illud formare, hinc soli Deo vnicè vtrumque Scriptura tribuit. Esa.26.v.19.mortui tui viuent, &c.Ro.4.v.17. Deus resuscitat mortuos,& vocat ea, quæ non sunt, vt sint. Coniunge visionem Propheticam Ezech 37.Iam verò tribuitur Filio resuscitatio mortuorum. Ioh.19. vers.25. Scio, quod Redemtor meus viuit, & ex puluere terræ me suscitabit, &c. (meus גֹּאֲלִי Goël, qui propinquitate generis ratione assumtæ carnis me attingit, & amissam hæreditatem mihi reparare poterit Leu.25.) Iohann.5. vers.21. Sicut Pater mortuos excitat & viuificat, ita & Filius viuificat, quos vult. v.28. Venit hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem eius.v.29.& procedent,&c.Ioh.6.v.39. Hæc est voluntas eius, qui misit me, Patris, vt omne, quod dedit mihi, non perdam ex eo, sed resuscitem illud in nouissimo die. v.40. Qui videt Filium, & credit in eum, habet vitam æternam, & ego resuscitabo eum in nouissimo die, quod v.44.& 54.*itidem repetitur.* Ioh.11.v.25. dicit Christus: Ego sum resurrectio & vita (per me olim mortui resurgent) 1. Cor.15. vers.21. Per vnum hominem resurrectio mortuorum. v. 22. vt in Adamo omnes moriuntur, ita in Christo omnes viuificantur. 1.Thes.4.v.14. Deus per Christum eos, qui dormierunt, adducet cum eo, v.16. ipse Dominus descendet de cœlo, &c. Pertinent hûc exempla eorum, quos Christus in diebus carnis suæ ex mortuis suscitauit, sunt enim illi vades & obsides quasi futuræ olim Vniuersalis resurrectionis.

Obiectio. 110. Nec obstat huic argumento, quod & viri Dei iampridé *mortues suscitarũt*, vtpote *Elias filium Sareptanæ* 1.Reg.17.v.22.*Elisæus filiũ Sunamitidis* 2.Reg. 4.v.33.*Ossa Elisæi tangens redit ad vitam*, 2.Reg.13.v.12. *Petrus excitat Tabitham.* Act.9.v.40. *Paulus Eutychum*, Act.20.v.10. Etenim nõ sua, sed aliena virtute isti egerũt: quicquid egerũt, Christus autem propria virtute mortuos suscitauit & suscitabit, ideò satis pro imperio dicit: Tibi dico, surge Mat.9.v.25.Lu.7.v.15.Io.11. v.43. quo ipso sese *Victorem & Dominum mortis demonstrat*, qui habeat claues mortis & inferni Apoc.1.v.18. eo modo atque ea forma nemo Sanctorum in resuscitatione mortuorum legitur vsus. Præterea omnes illæ fuerunt quorundam mortuorum resuscitationes particulares, sed Christo tribuitur Vniuersalis omnium mortuorum resuscitatio.

11.*Iudicandi potestas.* 111. *Vndecimò*, Vniuersale iudicium *in nouissimo die* exercendum est opus diuinum, requirit enim interiorum cogitationum notitiam & potentem iudicij executionem, quò pertinent omnia Scripturæ dicta,

dicta, quæ soli Deo tribuunt, quòd sit iudex totius mundi. 1. Sam. 2. v. 10. Psal. 7. v. 12. Psal. 9. v. 10. Psalm. 96. v. 1. Psal. 98. v. 10. Act. 17. v. 31. Rom. 2. v. 16. 2. Cor. 4. v. 4. & 5. Hebr. 12. v. 23. Iac. 5. v. 9. iam verò potestas exercendi Vniuersale iudicium tribuitur Filio Dei Gen. 18. v. 25. ad Filium Dei tùm sibi apparentem dicit Abraham: tu es iudex omnis terræ. Esa 45. v. 23. per meipsum iuro, mihi curuabitur omne genu, id Rom. 14. v. 10. & 11. ad Christum refertur Matth. 25. v. 31. Filius hominis in sede gloriæ suæ apparebit, & congregabuntur ante eum omnes populi. Io. 5. v. 22. Pater non iudicat quenquam, sed omne iudicium dedit Filio. v. 17. Pater dedit Filio potestatem exercendi iudicium, quia est Filius hominis. Act. 10. v. 42. Christus constitutus est à Deo iudex viuorum & mortuorum. c. 17. v. 31. Posuit Deus diem in quo iudicaturus est orbem terrarum in iustitia, per virum in quo statuit. Rom. 2. v 16. Iudicabit Deus occulta hominum per Iesum Christum. 2. Tim. 4. v. 1. Testificor cotam Deo & Iesu Christo, qui iudicaturus est viuos & mortuos. Apocal. 1. v. 7. Ecce venit cum nubibus, & videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt. cap. 22. vers. 12 Ecce venio citò, & merces mea mecum.

112. Nonnè verò Apostolis ex æquo tribuitur potestas exercendi iudicij, quando ipsis promittitur à Christo Matt. 19. v. 28. quòd sessuri sint super duodecim sedes, & iudicaturi duodecim tribus Israël? *Resp.* Non eo modo iudicabunt Apostoli, quo Christus, siquidem thronus gloriæ Christi hoc ipso loco manifestè distinguitur à sedibus Apostolorū. Thronus gloriæ & maiestatis Christi est dextra omnipotentiæ ac maiestatis diuinæ, in hunc thronum, nec ipsi Angeli collocati sunt, vel collocabuntur, nedum homines: cui enim Angelorum vnquam dixit: Sede à dextris meis? Heb. 1. v. 13. Ex plenaria illa potestate, & iuxta diuinam illam maiestatem sibi, vt homini, datam Iohan. 5. v. 27. Christus sententiam pronunciabit, abscondita in lucem proferet, & quod iustè iudicatum, potenter executioni dabit; hoc certè modo Apostoli neutiquam iudicabunt, sedebunt nihilominus & ipsi super sedes iudiciarias, (id quod verbis huius seculi dictum est, perinde vt assessores iudicis latus cingere, & contiguas illi sedes habere in hoc seculo solent) iudicabunt autem 1. voce doctrinæ suæ, vt exponitur Dan. 7. v. 10. Apoc. 20. v. 12. Ro. 2. v. 16. quo sensu etiam Christus dicebat Io. 12. v. 48. Sermo quem locutus sum, iudicabit vos in nouissimo die. 2. iudicabunt per exemplum, suæ namque fidei obedientia condemnabunt incredulos, vt exponitur Luc. 11. v. 19. 31. 32. Matth. 12. v. 41. 42. 3. Iudicabunt per approbationem, definitiuam enim iudicis sententiam suo calculo, lætaque acclamatione comprobabunt, vt exponitur Apocal. 15. v. 3. quo sensu etiam accipiendum, quod 1. Cor. 6. v. 2. dicitur, An nescitis, quoniam Sancti mundum iudicabunt? & vers. 3. Nescitis, quoniam Angelos iudicabimus?

113. Denique *saluare* & summæ beatitudinis participem facere est opus verè diuinum, solius Dei proprium. Esa. 43. vers. 11. Ego, ego Iehouah, & extra me non est Saluator. quod repetitur c. 45. v 21. Os. 13. v. 9. dicit Dominus: Ex me tantùm salus tua Israël: quò pertinent Dicta omnia, in quibus Deus dicitur *Saluator* 1. Tim. 1. v. 1. c. 2. v. 3. c. 4. v. 10. Tit. 1. v. 3. c. 2. v. 10. Iam verò tribuitur Filio opus saluationis, quò pertinent Dicta omnia, in quibus dicitur Iesus, cuius nominis explicationem cœlitùs allatam dat Angelus Matth. 1. v. 23. Saluum faciet populum suum à peccatis ipsorum, in quibus dicitur Salutare Gen. 49. v. 18. Psal. 98. v. 3. Esa. 52. v. 10. c. 62. v. 11. Ioh. 4. v. 23. Act. 28. v. 28. Saluator Zach. 9. v. 9. Luc. 2. v. 11. & 30. Iohan. 4. v. 42. Act. 5. v. 31. &c. imò disertè dicitur, quod extra ipsum non sit salus. Act. 4. v. 12.

114. Nec infringi poterit hoc Deitatis Filij argumentum, ex eo, quòd 1. Epist. 4. v. 16. Apostolus ad Timotheum scribit: hoc faciens teipsum saluabis & eos, qui te audiunt: Etenim Christus longè alio & diuerso modo saluat, quàm ministri: ipse est fons salutis, qui ex propria potestate saluat, Esa. 35. vers. 4. Ecce Deus vester venit, & saluabit vos; *ipse dat* cuibus suis vitam æternam. Ioh. 10. v. 28. ipse est causa salutis omnibus sibi obedientibus. Heb. 5. v. 9. *est* ὁ ἀρχηγὸς καὶ τελειωτὴς τῆς πίστεως εἰς σωτηρίαν Heb. 12. v. 2. sed ministri nec se, nec alios saluant propria virtute, sed tantū οἰκονομικῶς, & vt ita loquar, ministerialiter ὑπηρετικῶς 1. Cor. 4. v. 1. quatenus tractant verbum, quod est potentia Dei ad salutem omni credenti Roman. 1. vers. 16. Fides enim est ex auditu Roman. 10. vers. 18. finis autem fidei est vita (& salus) æterna. 1. Pet. 1. vers. 9. *Obiectio.*

115. Exposuimus hactenus tertiam argumentorum classem, ex quibus vera Filij Deitas comprobari potest: quarta & vltima sequitur, quam suppeditat nobis diuinus honor, & cultus soli Deo debitus, nec tamen Filio denegatus, *vbi sic concludimus*: Quicunque diuino honore affici, & cultu soli Deo debito honorari iubetur, is est verus Deus. Atqui Filius Dei diuino honore affici, & cultu soli Deo debito honorari iubetur. Ergo Filius Dei est verus Deus. Maiorem comprobant Dicta omnia, quæ testantur, *non esse habendos Deos alienos*, (id quod fit modo etiam eo, si honor soli Deo debitus ad alios transfertur) Deum gloriam suam non daturum alteri, Es. 42. v. 8. soli Deo diuinum honorem deberi, *vnum verum Deum à Sanctis diuino cultu honorari, &c.* Obserua autem, quòd Maior propositio expressam faciat mentionem voluntatis diuinæ. Etsi enim diuinos honores cœca hominum superstitio quandoque creaturis tribuit, id tamen voluntati & iussui diuino non congruit. *Deitas Filij probatur ex cultu diuino.*

116. Minorem comprobant primò generalia Dicta, quæ diuinum honorem & gloriam Filio tribuunt, secundò specialia Dicta, quæ Filio Dei seruiendum, confitendum, eundem super omnia amādum, timendum, adorandum, in eo sperandum, ipsum celebrandum, ipsi gratias agendas esse, per nomen eius iurari posse, denique in nomine eius baptizandum esse, luculentè testantur. Ad priorem classem pertinet classicus ille locus Ioh. 5. v. 22. Pater non iudicat quenquam, sed omne iudicium dedit Filio. v. 23. vt omnes honorent filium, sicut honorant Patrem. Qui Filium non honorat, is nec Patrem honorat. Manifestè docetur, eundem honorem, qui ab omnibus Patri defertur & debetur, eundem, inquā, etiam Filio deferendum. Æqualitas honoris æqualitatem arguit essentiæ. Si vel minima dignitatis & Naturę inæqualitas statuitur inter Patrem & Filium, vtique statim negatur, Filium honorandum esse, καθὼς pari & eodem planè honore, quo honoratur Pater. Ex fonte promanauit veterum δοξολογία, Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto. Deinde referenda sunt hûc omnia Dicta, quę testantur, Filio Dei secundùm humanam Naturam diuinam gloriam in tempore datam esse, id enim nihil aliud est, quàm Filium Dei diuinam suam gloriam, quàm vt Deus habet naturalem, & sibi propriam, *in carne, cum carne, & per carnem* exeruisse, vt loquitur *Athan.* dial. 5. contr.

Apollin. ac proinde, quando ὁ λόγος per carnem diuinæ suæ gloriæ radios exerit, tùm gloriam suam non dat alteri, cùm Natura assumta non sit alter, nec persona à λόγῳ separata, aut separatim subsistēs, sed tantùm singulari ἐνεργείᾳ modo vtitur, quo ante incarnationem non fuit vsus. De hac diuina gloria & honore Christo secundùm Naturam humanam dato, agetur in loco de persona Christi. Coniunge interim Ps.8.v.6.Dan.7.v.14.Heb.2.v.7.& 9 c.5.v.5.2.Pet.1. vers.17. Apocalyp. 4. vers.9. 11.cap.5. vers.13. cap.7. v.10.11.

117. In specie diuinum cultum & honorem Filio Dei tribui ac tribuendum esse ita demonstramus. Cuicunque diuino modo 1. seruiendum, & 2.confidendum, 3. qui est super omnia diligendus, 4. & timendus, 5. in quem sperandum, 6. qui est adorandus, 7. & celebrandus, 8. cui agendæ gratiæ, 9. per quem potest iurari, & 10. in cuius nomine baptizamur, illi etiam diuinus cultus & honor soli Deo debitus tribuitur ac tribuendus statuitur. Atqui Filio Dei 1. seruiendum, 2. confidendum, 3. idem super omnia diligendus, 4. & timendus, 5. in eum sperandum est. 6. idem est adorandus, & 7. celebrandus, 8. eidem agendæ gratiæ, 9. per ipsum potest iurari, & 10. in eius nomine baptizamur, Ergo Filio Dei diuinus cultus & honor soli Deo debitus tribuitur ac tribuendus asseritur. Vtriusque propositionis membra sigillatim sunt confirmanda.

118. Antequam verò ad confirmationem Maioris accedamus, monendum, quòd particula illa diuino modo per omnia illius membra sit deducenda: cuicunque diuino modo seruiendum, qui diuino modo diligendus, & timendus, & celebrandus, &c. hoc est, cui ea seruitus, illa dilectio, ille timor, illa laus tribuitur, quam Deus in prima Decalogi tabula sibi soli vendicat, ille diuino honore afficitur. Etsi enim hominibus etiam homines seruiunt; homines se inuicem diligunt, timent, celebrant, &c. tamen illa seruitus, illa dilectio, ille timor, & laus illa non pertinet ad primam, sed ad secundam Decalogi tabulam; quod ipsum si memori mente tenueris haud facile turbari poteris obiectionibus aduersariorum, quas contra hanc propositionem formant.

Soli Deo esse seruiendū.

119. Singula ergo maioris propositionis membra ita confirmamus. 1. Soli Deo seruiendum, id iisdem verbis dicitur Deut.9.v.13. Matth.4.v.10, vocula עבד, quæ in Hebræo habetur, tribuitur quidem hominibus, non autem res ipsa, neque enim eo modo seruimus hominibus, quo Deo; siquidem in seruitute Deo præstita agnoscimus ipsum esse αὐτοκράτορα, summum principium, Dominum dominantium, &c. ideoque LXX. Interpp. & Christus Matt. 4 vers.10. reddunt hoc per λατρεύειν, & addunt exclusiuam τῷ μόνῳ Θεῷ λατρεύσεις: pertinent huc omnia dicta, quæ Deo seruiendum esse præcipiunt. *Fulgent.* lib. de fid. orth. 5. *Si Filius Dei creatura esset, seruiendum ei Scripturarum sacrarum autoritas non iuberet, sed potiùs prohiberet. In primo enim Decalogi Præcepto, sicut vnius Dei cultura, seruitusque manifestissimè præcipitur: ita omni creaturæ adoratio ac seruitus à fidelibus exhibenda vehementissimè prohibetur.*

2. Confidendum.

120. *Secundò*, soli Deo est confidendum, & in ipsum credendum. Ierem.17. vers.5. Maledictus, qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum, vers.17. Benedictus vir, qui confidit Iehouæ, & est in Iehoua fiducia eius; quò pertinent reliqua dicta omnia, quæ fiduciam in Deum requirunt. Psal.11.v. 1. Psal.25. vers.2. Psal.57. vers.2. & alibi passim. Contrà verò grauiter reprehenduntur, *qui confidunt* in Principibus Psalm.146. vers.3. in arte Medicorum 2. Paral.16. vers.12. in diuitiis Prouerb.11. vers.28. &c. *Obiiciunt noui Samosatenitani* p.44. *coniungi in timore & fiducia Deo debita tales personas & res, quæ planè ad ipsius essentiam non pertinent.* 1. Reg.13. vers.18. Omnis populus timebat Deum & Samuelem. Exod.14. vers.31. *Crediderunt Iehouæ & Mosi seruo eius.* Actor.20. vers.32. *Commendo vos Deo & verbo gratiæ eius.* Ephes.6. vers.10. *Roboramini in Domino, & in virtute roboris eius*, quæ duo posteriora loca eo referunt, vt probent, coniungi Deo quasdam res diuinas, quæ tamen non sint distinctæ personæ nec pertineant ad ipsius essentiam.

Obiectio nostrorum aduersariorum.

121. Primus locus non habetur 13. sed 12. capite primi Regum, cuius sensus minimè is est, quòd eodem modo populus timuerit Samuelem, quo Deum, sed timor ille respectu Dei fuit cultus primæ tabulæ, vt exponitur v.24. *Timete Iehouam, & seruite ei in veritate toto corde vestro*: Timor autem ille quo Samuelem timuerunt, fuit reuerentia quædam erga ipsum, agnoscebant enim Deum adesse Samueli, cuius preces efficaces esse animaduertebant. Reuerebantur ergo & timebant Deum in Samuele. Longè autem diuersa ratio est, quando Christum timere iubemur, tunc enim requiritur à nobis talis timor, qui est cultus primæ tabulæ, id quod euidenter colligitur ex eo, quia etiam reliquæ species diuini cultus, quas prima Decalogi tabula requirit, Christo tribuuntur.

122. Alter locus Exod.14. vers.31. *Crediderunt* (Israëlitæ) *Iehouæ & Mosi seruo eius*, non agit de fide, quatenus est cordis fiducia, sed quatenus est notitia & assensus, quo fidem habemus illis, quæ Dei nomine nobis annunciantur. Neque enim cordis sui fiduciam ita diuidebat populus, (vel diuidere debebat) vt partem eius in Deum, partem in Mosen collocaret, siquidem in vnum solum verum Deum omnis nostra fiducia debet recumbere; sed credebat Iehouæ & seruo eius Mosi, id est, fidem habebat illis, quæ nomine Iehouæ Moses ipsis nunciabat. Proinde etsi in Hebræo habetur וְבְמֹשֶׁה בַּיהוָה יַאֲמִינוּ *Credebant in Iehouam & Mosen*, tamen rectè exponitur ב pro ל posita, credebant Iehouæ & Mosi, ideò LXX. sic reddiderunt, ὅτι ἐπίστευσαν τῷ Θεῷ καὶ Μωϋσεῖ, Ioh.5. vers.46. *Si crederetis Mosi*, neque enim Hebræi accuratè obseruant illud discrimen inter credere Deo, & credere in Deum. Quando autem Scriptura iubet in Christum credere, cordis fiduciam in ipsum ponere iubet.

123. Tertium locum Act.20.v.32. quidam ad Christum referunt, eumque nomine τῷ λόγου χάριτος significari dicunt, cùm proximè sequatur τῷ δυναμένῳ ἐποικοδομῆσαι καὶ δοῦναι ἡμῖν κληρονομίαν. Hanc interpretationem (quæ cum fidei analogia nullo modo pugnat) si recipiamus, in fumum abit aduersariorum obiectio. Si verò nomine *verbi gratiæ* intelligamus doctrinam gratiæ, videlicet Euangelium, vt ita denotetur, quo medio nos Deus ad salutem conseruet, iterum nihil decedit vel veritati vel robori nostri argumenti, neque enim quando Apostolus auditores suos verbo gratiæ commendat, cultum aliquem primæ tabulæ verbo isti tribuit, sed Deo per verbum & in verbi veritate eos conseruandos commendat.

124. Denique quod Ephes. 6. vers.10. tale quid Deo coniungi dicunt, quod ad essentiam eius neutiquam pertineat, in eo & veritati & sibimetipsis contradicunt. Veritati ideò, quia robur fortitudinis diuinæ

uinæ nihil aliud est, quàm ipsa diuina essentia, vt suo loco ostendimus: Sibimplis ideò contradicunt, quia pag 30. quærunt, *Quæ sint ista, quæ Dei essentiam concernunt, & quorum notitia ad salutem necessaria?* ac subiiciunt, *scire quod Deus sit, quod vnus sit, quod æternus, perfectè iustus, perfectè sapiens & perfectè potens. Si dicant*, coniungi hîc Deo robur siue potentiã, cùm tamen potẽtia illa non sit distincta persona, perinde igitur rem se habere, quando Patri coniungitur Filius. *Resp.* Personalem Filij à Patre distinctionem suo loco euidenter comprobabimus, sufficit nobis h. l. ex Scripturis ostendere. quod diuinus cultus & honor nemini tribuatur, nisi sit verè & essentialiter Deus, id quod allatis illis locis nondum euertere potuerunt, aut in æternum poterunt.

Obiectio Mosis Senioris Samosatenorum.

2. Solus Deus super omnia diligendus.

125. Progredimur igitur ad membrum tertium: Solus Deus est super omnia diligendus Deut. 6. v. 5. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, ex tota anima, &c.* Matth. 22. vers. 37. quò pertinent innumera Scripturæ dicta, quæ Deum à nobis diligendum esse præcipiunt. Quamuis verò liberi, parentes, mariti, vxores, & vere pij sese inuicem diligant ac diligere debeant, tamen illa dilectio non est cultus in prima Decalogi tabula requisitus, & dilectio illa semper subordinatur vel subordinari debet diuinæ; ideò diligimus parentes, quia Deum præcipientem amorem parentum diligimus; præterea ita amandus est genitor, vt præponendus tamen sit creator.

4. Et timendus.

5. In Deum sperandum.

126. *Quartò*: Solus Deus est timendus, quò pertinent Dicta omnia, quæ timorem Dei nobis præcipiunt, Leu. 19. vers 14. c. 25. vers. 17. Deut. 6. v. 2. & alibi passim. *Quinto*: *in solum Deum sperandum*, quò pertinent Dicta, quę spem illam in Deum viuum commendant: Psal. 4. vers. 6. Psal. 7. vers. 2. 1. Tim. 6. vers. 17. & alibi passim. Fundamentum timoris Dei est iustitia & potentia diuina, ideo enim timemus Deum, quia est iustus iudex, & potentissimus Dominus:: Fundamentum spei nostræ est misericordia & veritas diuina, ideò senim speramus in Deum, quia est misericors & promissa sua fideliter seruat.

6. Idem solus adorandus.

127. *Sextò*: *Solus Deus est adorandus & inuocandus* Psal. 50. vers. 15. *Inuoca me in die tribulationis.* Ps. 50. vers. 1. *Inuocate nomen eius*, & alibi passim: nusquam enim vel hominibus vel Angelis tribuitur in Scripturis inuocationis honor, imò cùm Iohannes caderet ante pedes Angeli, prohibetur ab eo. Apoc. 19. vers. 9. c. 22. v. 9. cum hac generali regula: *Deum adora*. Manifestum autem est quare soli Deo hic honor competat, quia is, quem adoramus, debet scire gemitus cordis, omni loco adesse, & ad auxilium ferendum sufficienti robore pollere, id verò soli Deo competit.

Neo-Samosatenianorum exceptio.

128. *Concedunt Samosateniani* pag. 171. Christum *in omnibus necessitatibus à nobis inuocari posse, adeò vt negent eos esse Christianos, qui Christum non adorant.* pag. 177. sed addunt, *diuinam Filij Naturam ex eo minimè deduci posse, cùm omnis ille honor Christo exhibitus ad Deum se referat, & cùm in eo Christus sit Deo subordinatus* pag. 176. *Respon.* Immota perstat propositio: Quicunque adoratur, est verus Deus, quam nulla ἐνέργεια in æternum infringent. Quod addunt, honorem Christo exhibendum ad Deum sese referre, verissimum est, quia Christus est vnus cum Patre & Spiritu sancto Deus, ideoque vna adoratione cum Patre & Spiritu sancto adorandus; & qui adorat Filium, is simul adorat Patrem, quia Filius est in Patre, & est vnum cum Patre. Sed, Antichristi illi hoc negant, ideoque ἔμοια ὧν λαλοῦσι, ἀνύμετα ὄ φρονοῦσι, suspecta ergo nobis sint ipsorum verba, occultant enim in illis hanc explicationem, quòd Christus in tempore demum, non autem per æternam à Patre generationem diuinam potentiam & maiestatem acceperit, ac proinde si à nobis adoratur, quod tunc adoratio ad ipsum Deum hoc modo referatur, quo sensu etiam accipiendum, quòd *Christum dicunt esse Deo subordinatum*, id est, inferiorem, & non vnum cum Patre & Spiritu sancto Deum. Atqui vna eademque & non diuisa adoratione Patrem, Filium & Spiritum sanctum in Scripturis adorare iubemur, vt paulò pòst in confirmatione assumtionis ostendemus.

7. Et celebrandus.

8. Eidem agendæ gratiæ.

129. Septimò: *Solus Deus est celebrandus tanquam primus autor & fons omnis boni*: Octauò, *soli Deo tanquam summo bonorum datori agendæ gratiæ.* Intelligimus enim illam celebrationem & gratiarum actionem, qua profitemur ex ipsius manu omnia ad nos bona descendere, ipsum esse summum bonum, &c. quò pertinent omnia dicta, quę laudem & gratiarum actionem Deo tribuunt, ac à nobis tribui præcipiunt. Quoties in Psalmis Deum laudare, eidem psallere & gratias agere iubemur? &c.

9. Per nomẽ eius iurandum.

130. Nonò: Per nomen solius Dei iurandum est Exod. 23. versicul. 13. Per nomen alienorum Deorum non iurabitis. Deuter. 6. vers. 13. Per nomen Dei iurabis, quod repetitur cap. 10. vers. 20. Sic Esai. 65. vers. 16. Qui iurauerit in terra, iurabit in Deo veraci, quò pertinent exempla omnium Sanctorum, qui per solum Deum iurabunt. Quod *Iosephus* per vitam Pharaonis iurat Genes. 42. vers. 15. *Moses* per cœlum & terram Deuter. 4. vers. 26. & 30. vers. 19. *Dauid* per animam Ionathæ 1. Sam. 20. vers. 3. &c. de his & similibus dicimus non esse iuramenta religiosa, quibus Deus in testimonium veritatis, quæ latet, & in vindictam periurij inuocatur, sed obtestationes ciuiles & vehementes asseuerationes, quibus ad faciendam fidem nostræ assertioni res nobis carissimas, veluti pignora interponimus. *Vide D. Gesnerum* Theol. præstantiss. Præcept. nostrum sup. cap. 42. Gen. & *D Rauchbar.* ICtum eximium, consobrinum optimè de nobis meritum quæst. Iur. Ciuil. & Sax. q. 2. n. 46. præsertim verò *Megalandrum Lutherum* sup. 42. Gen.

Obiectio.

10. In ipsius nomen baptizamur.

131. Denique in cuius nomen baptizamur, ille est verus Deus. Quemadmodum enim circumcisio in Veteri Testamento erat fœdus inter verum Deum & inter hominem circumcisum, Genes. 17. vers. 7. ita Baptismus, qui in Nou. Testam. successit in locum circumcisionis Colos. 2. vers. 11. est συνεὶδησεως ἀγαθῆς ἐπερώτημα εἰς θεὸν 1. Pet. 3. v. 21. *Vt ergo baptizamur, ita adoramus: vt adoramus, ita credimus, videlicet in vnum verum Deum Patrem, Filium & Spiritum sanctum*, vt loquitur M. Basilius Epistol. 78. *Excipiunt Samosateniani* pag. 44. *non posse necessariò concludi, quòd is, in cuius nomine baptizamur, sit verus Deus, cùm* Israëlitæ in Mosen dicantur baptizati 1. Corinth. 10. vers. 2. *& quidam* discipuli dicuntur in Baptisma Iohannis baptizati Actor. 19. vers. 5. cùm tamen Moses non sit Deus, nec Baptisma Iohannis sit persona.

Neo-Samosatenianorũ exceptio.

132. Respondemus disertè. In primo loco 1. Cor. 10. v. 2. baptizari in Mosen non significat in nomine Mosis Baptismum accipere, quemadmodum in N. T. baptizari in Christum vel in nomine Christi intelligendum est (quippe cùm baptismus nondum

fuerit institutus) sed phrasin istam ex termino relati intelligendam esse quidam statuunt: sicut nos per Baptismum in nomen Christi obligamur ad fidem & ad confessionem nominis eius: ita Israëlitæ miraculo & beneficio præuntis nubis & deductionis per mare (quæ erat typus Baptismi) obligati sunt, vt crederent Mosi celestem doctrinam & mãdata Dei nomine ipsis promulganti, Exod.14. vers.31. quæ interpretatio colligitur ex eo, 1.quod nomen Baptismi (vti dictum) non potest accipi in illa significatione, quæ est Nou.Testam.propria. 2. quia non simpliciter dicit Apostolus, quod Israëlitæ in Mosen baptizati: sed addit in nube & mari.Aug.12. contra Faustum cap.29. *Nubes & mare rubrum, Baptismus vtique Christi sanguine consecratus: hostes sequentes à tergo, moriuntur peccata præterita.* 3. quia si Baptismus accipitur pro Sacramento Nou.Test. ne quidem in Pauli nedum vllius alterius nomine baptizati possumus 1. Corinth.1. vers.13. *Alij explicant* locum de ministerio Mosis, etenim syncategorema ב in Hebræo sæpè significat instrumentalem causam & vocibus Latinis, In, Cum, Per, aut similibus exponitur, vnde Augst. in enarr. Psalm. 77. legit *per Mosen.*tract. 11. in Iohan. *in Moyse*, vbi Erasmus in marg. notat.al. *per Mosen.*

133. Quod Act.19.v.3. quidam discipuli dicuntur in Baptisma Iohannis baptizati, id pari ratione non potest ita accipi, quemadmodum in Christum vel in Christi nomine dicimur baptizari, sed significat Iohannis baptismate tingi, in Christum venturum baptizati, vt ostendit vers. 4. Proinde aliud est in nomen Iohannis baptizari, aliud verò in Baptisma Iohannis; siue, quod idem est, baptismo Iohannis: prius nusquam Scriptura asserit, quin potius contrarium dicit 1.Cor.1.vers.13. ne quidem in Pauli nomine nos baptizari, sunt autem Paulus & Iohannes hac in re pares, vterque enim est minister. Plura de Baptismo Iohannis dicemus in explicatione Articuli de Baptismo.

134. Perstat igitur inuictum, ex eo, quod baptizamur in Christum vel in Christi nomen, euidenter colligi, quod vna cum Patre & Sp.S. diuino cultu & honore afficiatur. Complectitur enim hæc phrasis 1.diuinam institutionem, quod scilicet ex institutione & mandato Christi Baptismus administretur. 2. Baptismi virtutem, quod ea tota consistat in Christi merito & virtute. 3. Fœdus diuinum, quod tota SS. Trinitas nobiscum in Baptism. init. 4. Nostram obligationem, quod nomen demus Christo, eidemque ad seruitium & cultum diuinum nos obligemus. Ergo non absre Veteres hoc argumentum ex formula Baptismi petitum contra Christomachos & Pneumatomachos vrserunt quàm maximè. Et conferenda est illa institutio Baptismi nostri cum historia Baptismi Christi Matth.3.Marc.1.Luc.3.Ioh.1. baptizamur enim in nomen Dei, qui est vnus in essentia, & trinus in personis, quod non solùm tria illa nomina Patris, Filij & Sp. S. arguunt, sed & illustris illa θεοφάνεια in Baptismo Christi.

2. Christo seruiendum.

135. Transimus ad confirmationem minotis propositionis. Primò igitur Christo seruiendum esse comprobant hæc dicta 1. in quibus iubemur seruire Christo Psalm.72.v.11. Dan.7.v.14.Ioh.12.v.26.&c. 2. in quibus Angeli dicuntur ipsi seruire.Matth.4. v. 11. 3. in quibus credentes *dicuntur* ministri Christi Matth.10.v.24.c.25.v.14.Ioh.12.v.26.Luc.12 v.37.1. Cor.7.v.22.&c. 4. in quibus Christus dicitur Dominus noster, vtique ergo ex Natura relatorum ipsi seruiendum. Obserua autem diuino modo esse Christo seruiendum, 1. quia omnes gentes iubentur Christo seruire, est ergo παντοκράτωρ, Dominus dominantium. 2. quia Angeli seruiunt tanquam duci exercitus cœlestis. 3. quia dicitur ὁ Κύριος, magnus ille Dominus, verus Iehoua, &c.

136. At, inquis, Christus dicitur Dei seruus. Esai. 42.vers.1.cap.52.vers.13.cap.53.vers.11.&c.quomodo ergo est omnium Dominus? *Respon.* Christus secundùm diuinam Naturam est Dominus & Deus à Patre ante secula natus: secundùm humanam Naturam in tempore est *factus Dominus* Actor.2.vers.36. seruus fuit in statu exinanitionis, cùm enim esset in forma Dei, non rapinam arbitratus est esse æqualem Deo, sed semetipsum exinaniuit & serui formam assumsit, Phil. 2. v. 7. nostri loco obediens factus est Patri, vt nos, qui Natura sumus peccati serui, liberaret Ioh.8. v.34.postquam autem ingressus est in gloriam suam, non amplius est seruus, sed omnium Dominus Act. 10. v.36.cùm omnis potestas in cœlo & terra ipsi data sit Matth.28.v.18. Obiectio

137. Secundò debemus in Christum credere & ipsi confidere, quò pertinent dicta Scripturæ innumera. Psal. 2. vers. 12. Esai.28. vers.16. Iohan.6. vers. 29.c.16.vers.9. &c. Obserua autem singulariter vno fidei actu nos in Patrem & Filium debere credere Iohan.14.vers. 1. Creditis in Deum, etiam in me credite, per fidem illam in Christum nos participes fieri *remissionis peccatorum* Act. 10.vers.43 ὑποθέσεως Ioh.1. vers.12.*iustitiæ* Rom.3.vers.22. *salutis & vitæ æternæ* Io. 3.vers. 16.&c. vtique ergo Christus est *verus Deus & vita æterna* 1. Iohan.5.vers. 20. Pertinet huc symbolum Apostolicum (quod hi Antichristi se amplecti simulant pagin. 54.) in quo pari ratione in Patrem, Filium & Spiritum sanctum nos credere profitemur. 2. In Christ credendo

138. Tertiò iubemur Christum diligere. Ioh. 8. vers.42. cap.15.vers.14. & seqq.cap.21.v.15. & disertè pronunciat Apostolus 1.Corinth.16.vers.22. Si quis non amat Dominum nostrum Iesum Christum, sit anathema maran atha. Obserua autem modo diuino Christum diligendum, ita enim comparatus esse debet amor ille quo Christum complectimur, vt propter ipsum domum, fratres, sorores, parentes, vxorem, filios, agros, imò animam nostram relinquere debeamus Matth. 19. v. 29. id quod est proprium amoris soli Deo debiti, solus enim Deus super omnia diligendus est. 3. Christ diligend

139. Quartò debemus Christum reuereri & timere, filiali scilicet obseruantia, non autem seruili timore 1. Corinth. 10. vers.9. non tentemus Christum vers. 22. an æmulamur Dominum? &c. Cæterum timorem illum debere esse diuinum comprobamus ex eo, quia Luc.12.vers.5.dicit Christus, timete eum qui, postquam occiderit, habet potestatem mittendi in gehennam, dico vobis, hunc timete: vbi de timore soli Deo debito agi manifestum est, tam verò Christus is est, qui habet potestatem in extremo iudicio adiudicandi improbos gehennæ, habet claues mortis & inferni. Apoc.1.v.18. 4. Christ timend

140. Quinto iubemur in Christum sperare Esa. 14.vers. 32. in ipso sperabunt pauperes. Matth. 12. v. 21. Rom.15.vers.12. 1.Corinth.15.v.19.Eph.1. vers.12. &c. quò pertinent dicta in quibus Christus dicitur Spes nostra Colos.1.vers.27.1.Thes.1.vers.3.1.Timot. 1. v.1. Porrò spes illa ita comparata est, vt à Christo speremus & expectemus diuina beneficia & ipsam vitam æternam, vtique ergo spes illa est cultus primæ tabulæ, vtique diuino modo speramus in Christum. 5. In Christ sperand

141. Sextò

6. Christus adorandus.

141. Sexto Christum debemus adorare & inuocare, quò pertinent Scripturæ dicta, quæ illam adorationem præcipiunt & approbant. Psal. 21. v. 27. Ps. 45. v. 12. Psal. 72. v. 11. & 15. Psal. 97. v. 7. qui locus ad Christum refertur Hebr. 1. v. 6. Act. 12. v. 16. 1. Cor. 1. v. 2. Philip. 2. v. 10. Hebr. 1. v. 6. Deinde exempla eorum, qui Christo hunc honorē exhibuerunt, quæ in Euangelicis Historiis passim sunt obuia. Matth. 15. v. 22. cap. 20. v. 30. Luc. 24. v. 52. Iohann. 9. v. 35. Act 7. v. 59. &c. Peculiariter obserua, quòd tota triumphans Ecclesia Christum adorat. Apoc. 5. *Neque obstat*, quòd Christus ipse passim dicitur orasse, quia vt verus homo in statu exinationis orauit, sibique vt Mediatori secundùm humanam Naturam omnia in manus suas tradita esse agnouit, adoratur autem in statu exaltationis, vt Deus & homo in vna persona, qua de re suo loco plura.

Exceptio Neo-Samosateniorū. 2. In Credendis

142. Excipiunt Neo-Samosateniani pag. 176. Deum *adorari & inuocari tanquam primariam causam salutis*, *Filium autem tanquam secundariam*, quò applicant illud Apostolicum 1. Cor. 8. v. 6. vnus est Deus, à quo omnia, & vnus est Dominus, per quem omnia. *Resp.* 1. In Apostolico dicto nullā statui Patris & Filij inæqualitatem ostendimus superiùs. 2. Vna & indiuisa adoratione inuocamus Patrem, Filium & Spiritum sanctum, neque cultum adorationis ita diuidimus, vt Filium tanquam inferiorem adoremus, debet enim Filius honorari ab omnibus, pari modo καθὼς honoratur Pater Ioh. 5. v. 23. 3. Christus dicitur ἀρχηγὸς πίστεως Heb. 12. v. 1. αἴτιος σωτηρίας αἰωνίου Heb. 5. v. 9. dicitur α & ω Apoc. 1. v. 8. principium & causa principalis, dicitur Salutare & Saluator noster, ergo vna eademque cum Patre operatione nos saluat. 4. Vrgemus verba Christi Ioh. 5. v. 19. Quæcunque Pater facit, ταῦτα καὶ ὁμοίως ποιεῖ (ὁ υἱὸς) similiter facit, non inferiori aliqua potentia, non vt causa secundaria. 5. Christus quidem est Mediator, in cuius manus omnia sunt tradita, & ex cuius plenitudine omnia ad nos descendunt bona, sed hoc nullam arguit vel essentiæ vel operationis inæqualitatem, quin potiùs diuinam potentiam officium illud Mediatoris prærequirit, vt suo loco ostendemus. 6. Quando igitur per Christum dicuntur omnia ad nos bona descendere, non denotatur quædam Patris & Filij in agendo inæqualitas, sed describitur officium Mediationis. Item, quod Christo vt Mediatori secūdùm humanam Naturam omnia sint data in vsum nostrū. 7. Vnam tantùm adorationem religiosam nouit Scriptura, vt est vnus Deus, ita vnum Dei verbum, ita est vna religiosa, pia & Christiana adoratio, qua de re vide Resp. Dn. D. Mentz, Theologi eximij, Præceptoris nostri honorandi, Apologeticam contra Martinium Herborn. pag. 254. & seqq. proinde absque vllo Scripturæ testimonio ita diuiditur adoratio, vt peculiaris & inferior aliqua adoratio competat Dei Filio 8. Sibimetipsis hi Antichristi contradicunt, quia fatentur tali, adoratione Christum honorandum, *quæ præcipitur in primo præcepto* pag. 170. *in omnibus omnino necessitatibus Christum inuocari posse* pag. 171. *cum plena fiducia auxilij Christum inuocandum esse* pag. 172. atqui hæc non possunt nisi de illa adoratione dici, quæ soli vero Deo competit. 9. Non possunt solidè refellere inuocationem Sanctorum, à qua tamen abhorrere videri volunt pag. 178. Si enim Christus adoratur, qui tamen ex ipsorum hypothesi non est verus Deus, vtique adoratio non est cultus soli Deo debitus. Vicissim si Christus ideo adorandus, quia eximia & diuina dona ex gratia accepit, vtique non minùs adorandi erunt Sancti (licet inferiori aliqua adoratione) qui itidem acceperunt dona diuina licet gradu inferiori. Ad hoc argumentum nunquam solidè poterunt respondere, stante illa hypothesi, quòd is, qui adoratur, non sit necessariò verus Deus.

7. Christus celebrandus.

143. Septimò iubemur Christum celebrare Psal. 72. vers. 15. 17. Rom. 9. vers. 5. quò pertinent exempla eorum, qui Christo laudem diuinæ maiestatis dederunt Matth. 21. vers. 16. ex Psal. 8. vers. 3. & Psal. 118. v. 26, Apoc. 5. v. 11. 13. 14. &c. *Octauò, iubemur Christo gratias agere* Col. 3. vers. 17. quo pertinent exempla, qui Christo gratias egerunt Luc. 17. vers. 26. Samaritanus, 1. Tim. 1. vers. 12. Paulus, Apoc. 17. vers. 11 & 12. Angeli & tota triumphans Ecclesia. Porrò quòd Christus diuina laude celebrandus, patet ex Esai. vers. 3. vbi canunt Angeli: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus *Zebaoth*, qui locus ad Christum refertur Ioh. 12. vers. 14. vna igitur & eadem eum Patre & Spiritu S. celebratione extollitur. Sic quòd Christo, vt verò Deo omnium bonorum authori agendæ sint gratiæ, patet ex Col. 3. vers. 17. & Apoc. 7. v. 11. & 12. vbi Pater & Christus in gratiarum actione coniunguntur, vna ergo eademque vtrique gratiarum actio debetur.

8. Gratia Christo agēda.

9. Per Christum iuratur.

144. Nonò per Christum iurat Apostolus Ro. 9. v. 1. Veritatem dico in Christo, testimonium mihi perhibente conscientia mea in Spiritu sancto. *Denique in Christum & in Christi nomen baptizamur*, Matth. 28. vers. 29. Actor. 2. vers. 38. cap. 10. vers. 48. cap. 19. vers. 5. Roman. 6. vers. 3. Galat. 3. vers. 27. vbi accuratè obserua, non baptizari nos in nomine Patris per Filium, sed in nomine Patris, Filij & Spiritus sancti; inuocatur ergo ibi non minùs Filius & Spiritus S. quàm Pater; virtus ergo baptismi à Patre, Filio & Spiritu sancto æqualiter dependet: obligatur ergo baptizatus ad cultum, seruitium & inuocationem Patris, Filij & Spiritus S. vnius veri Dei. In nomine (non in nominibus) Patris, Filij & Spiritus S. baptizamur, ergo vna est trium personarum essentia, & in vna indiuisa essentia sunt tres personæ modis omnibus æquales. Nicephorus lib. 16. c. 35. commemorat, aquam olim disparuisse, cùm Arianus quidam baptizaret in nomine Patris maioris, & Filij minoris.

10. in Christum baptizamur.

Neo-Samosateniorū argumenta contra Filij Deitatem.

145. Atque hæ sunt quatuor illæ classes argumentorum, quibus veram Filij Deitatem ex Scripturis comprobare possumus & debemus, perstant ea & perstabunt in æternum immota contra quoscunque Antichristorum insultus. Videamus quid *Neo-Samosatenani* pro sua sententia afferant. Ita ergo scribunt pag. 55. *Quod in Christo sit diuina Natura & recta ratio & Scripturæ aduersum est. Rationi propterea*

1. Diuinæ & humanæ Naturæ proprietates sunt sibi inuicem contrariæ.

1. Quia duæ essentiæ, in proprietatibus sibi inuicem contrarias, nullo modo possunt in vnam personam coniungi. Iam verò diuinæ & humanæ Naturæ proprietates sunt sibi inuicem contrariæ, vt esse mortalem & immortalem, habere principium & carere principio: mutabilem esse & immutabilem.

Ergo nō possunt in vnā personā coniungi.

2. Quia duæ Naturæ, quarum quælibet constituit personam, non possunt in vna persona vniri, aliàs enim forent duæ personæ & sic duo Christi. Si quis velit dicere diuinam & humanam Naturam ita in Christo vnitas esse, sicut corpus & anima constituunt vnum hominem, excipiunt pag. 57. *Esse rationem diuersitatis maximam, etenim ex nostra sententia duæ Naturæ ita sunt in Christo vnitæ, vt Christus sit Deus & homo, sed corpus & anima in homine ita sunt vnita, vt propriè loquendo, homo nec corpus sit nec anima, siquidem neutrum horum per se & seorsim constituit personam.*

Vt ergo diuina Natura in Christo constituit personam, ita quoque humana.

146. At ô miseros & miserabiles vel potiùs (si obstinatè ita pergunt) detestandos, qui fidem suam humanis hisce committunt ratiocinationibus. Ostendimus suo loco non esse audiendum corruptæ nostræ rationis iudicium, si veritati diuinorum pronunciatorum, expressis Scripturæ verbis expositorum, audacter velit obloqui. Promtissima enim ac purissima ad ἀπιστίαν via, credere nolle, quod non possis ratione attingere. *Quid Athenis & Hierosolymis?* ait Tertul. de præscrip. aduers. hæres. *Quid Academiæ & Ecclesiæ? quid Hæreticis & Christianis?* Rationis qui sequuntur tenebras, relicta verbi & doctrinæ cœlestis luce, non possunt non vehementer impingere & aberrare. Si cœcus ducit cœcum, nonne ambo cadent in foueam? Luc. 6. v. 39. Vide tract. de Interp. Script. §. 165.

147. Proinde si vel maximè ex lumine Naturæ non possent illę ratiocinationes dissolui, nullo tamen modo periclitaretur doctrinæ cœlestis veritas, quæ ex lumine gratiæ satis est perspicua & manifesta: nihilo tamen minùs ἐκ τῆς οὐσίας respondemus ad prius argumentum. 1. Quid à Deo fieri vel non fieri possit, nostris non æstimandum est conceptibus, aliàs negatur Dei omnipotentia, quam ita describit Apostolus Ephes. 3. v. 20. quòd Deus plura possit, quàm nos intelligimus, ex quo rectè concludit Hilarius, referente Biele 1. sent. dist. 19. q. 2. *Quod non est homini intelligibile, id Deo est possibile.* Diuina & humana Natura, propriè loquendo, non sunt contraria, quia teste Philosopho in Categor. c. περὶ οὐσίας: ὑπάρχει τῇς οὐσίας τὸ μηδὲν αὐτῇς ἐναντίον εἶναι. 3. Nec proprietates diuinæ & humanæ Naturæ, propriè loquendo, sibi sunt contrarię, si quidem quorum causæ non sunt contrariæ, eorum nec effecta sunt sibi inuicem contraria: iam verò diuina & humana Naturæ, quæ sunt proprietatum suarum causæ per emanationem, non sunt sibi inuicem contrariæ. Ergo nec ipsæ proprietates diuinæ & humanæ Naturæ erunt sibi contrariæ. 4. Rectè quidem dicit Philosophus l. d. ἡ οὐσία ἐν ᾧ ἐστιν τῷ ἀριθμῷ ὄν, δεκτικὴ τῶν ἐναντίων ἐστί, & Aug. de Nat. & grat. cap. 54. *Substantiæ non per seipsas, sed per suas qualitates dicuntur sibi esse contrariæ,* interim rectè monent Interp. ad contrarietatem propriè dictam requiri tria: primò vt ea, quæ dici debeant contraria, sint sub eodem genere, deinde vt sint res positiuæ, tertiò vt circa vnum idemque subiectum mutuò confligant: at hæc tria requisita non animaduertuntur in proprietatibus diuinæ & humanæ Naturæ. 5. Vnde verò demonstrabunt duas essentias secundùm proprietates realiter differentes non posse in vnam personam coniungi? an non corpus & anima sunt duæ essentiæ secundùm se & secundùm proprietates realiter differentes? nihilo tamen minùs ex corpore & anima vnus homo, vna persona constituitur, quod nulla veritatis specie negari potest. Ignis & ferrum sunt duæ essentiæ secundùm se & secundùm proprietates realiter differentes, tamen ex igni & ferro fieri potest vnum κατὰ συνδύασιν, vt docet exemplum ferri igniti. Repetant ergo suum argumentum. Proprietates animæ & corporis sunt sibi inuicem oppositæ, quia anima est intelligens, immortalis, sentiens, viua, &c. corpus est ἄλογον, mortale, insensile, carens vita. Ergo corpus & anima non poterunt constituere vnum hominem? Ferrum est graue, carens luce & calore: ignis est leuis, lucidus & calidus. Ergo ferrum & ignis non possunt vnum κατὰ συνδύασιν constituere?

148. Non minoribus vitiis laborat argumentum posterius. 1. Duas Naturas non posse vniri in vnam personã, dicit ratio, negat Scriptura, vtrius iudicium sequemur? 2. sumunt pro concesso, vtramque Naturam in Christo constituere personam: at hoc falsum est, quia Natura humana non fuit peculiariter & seorsim subsistens ὑφ' ἑαυτὸν, antequam à λόγῳ assumeretur, sed in incarnatione hæc tria simul facta, Naturæ humanæ προσληψις, ὕπαρξις καὶ ὑφωσις, Dam. 3. orth. fid. c. 12. ἅμα σὰρξ, ἅμα λόγος σὰρξ dicit alibi lib. 3. c. 2. 3. Post factam diuinæ & humanæ Naturæ in Christo vnionem itidem Natura humana non habet peculiarem, & à λόγῳ distinctam hypostasin, sed ἐν αὐτῷ τῷ λόγῳ subsistit. Augustin. de fid. ad Petrum cap. 17. *Verbum caro factum vnam habet diuinitatis, suæque carnis personam.* Dam. 3. Orth. fid. cap. 9. Natura humana Christi non est ἰδιοσύστατος, nec αὐθυπόστατος, nec ἀνυπόστατος, sed ἐνυπόστατος, ὑποστᾶσα scilicet ipsa τῷ λόγῳ subsistentia, qua de re plura suo loco. 4. Simile de anima & corpore ἀμόδιον μὲν, οὐ δὲ κατὰ πάντα. Pulcrè Damascen. 3. de orthodox. fide cap. 26. *Non necesse est paradigmata omni modo & absque defectu similia esse rebus ipsis, sed aliquid habere simile, aliquid verò dissimile.* Suo loco ostendemus, quomodo applicanda sit similitudo animæ & corporis ad incarnationis mysterium, vt & personalis vnio, & Naturarum distinctio in Christo per eam adumbretur, interim libenter fatemur, concurrere quandam dissimilitudinem. Ex anima & corpore in homine fit Natura quædam tertia, at non ita in Christo: partes hæ sunt imperfectæ, neutra per se constituit personam, solum corpus non est homo, nec sola anima est homo, at non ita in Christo, quia λόγος ante incarnationem fuit perfecta persona. 5. Admodùm ergo insciti arguunt, quia simile de anima & corpore in homine vnitis non quadrat per omnia cum vnione duarum Naturarum in Christo, ideò totum hoc mysterium negandum esse, quia fundamentum nostræ doctrinæ non constituimus in illa similitudine, sed declarationis solùm gratia eam adhibemus, & dissimilitudines ipsimet notamus. Epiphan. hær. 37. p. 433. edit. Græc. ὁ πᾶσι παραβολὴ ἐν τῇ γραφῇ ὅλη λαμβάνεται.

149. Atque hæc sunt argumenta illa, quibus probare voluerunt, rectæ rationi aduersam esse vnionem diuinæ & humanæ Naturæ in Christo. Pergunt pag. 57. atque idipsum Scripturæ aduersum esse dicunt. 1. *quia Scriptura vnum tantùm, qui est Natura Deus, nobis proponit. Respon.* Trinitas personarum non præiudicat vnitati essentiæ: Eadem Scriptura, quæ vnum esse Deum testatur, tres diuinitatis personas manifestat, ergo non solùm in vno, sed etiam in altero audienda est. Vide præced. Disput. th. 80. 2. *Quia Scriptura Christum verum hominem esse dicit, quo ipso Deitatem ei adimit. Respon.* falsum hoc & δεύσατον: vtrumque enim dicit Scriptura, Christum esse verum hominem, eundemque esse verum Deum, vt hactenus euidenter ostendimus. 3. *Quia Scriptura testatur, quicquid diuini est in Christo, id ex dono Patris ipsum habere,* Matt. 28. v. 19. Phil. 2. v. 9. 1. Cor. 15. v. 17. *Respon.* negamus dicerè, quia secùndùm diuinam Naturam per æternam à Patre generationem habet omnia: quæcunque Christo in tempore ex gratia data, ea ad humanam eius Naturam referenda sunt. 4. *Quia Scriptura testatur, frustraneam in Christo fore diuinam Naturam, siquidem Christus omnia sua diuina opera, non sibi vel diuinæ Naturæ suæ, sed Patri semper tribuit. Respon.* ad officium Mediatoris &

3. Duas Naturas non posse vniri in vnam personam, quia ratio, quia Scriptura, vtrius iudicium sequemur? Natura humana non fuit peculiariter & seorsim subsistens, antequam à λόγῳ assumeretur.

3. Scriptura vnum tantùm Deum nobis proponit.

4. Scriptura Christum verum hominem esse testatur.

5. Quicquid diuini, est in Christo ex dono Patris habet.

6. Christus opera diuina Patri tribuit.

Reden-

Redemtoris, quod Christo competit, necessariò requiri diuinam Naturam, suo loco ostendemus: ac si vel maximè Christus non esset Mediator constitutus, tamen nec dum Natura eius diuina fuisset frustranea, siquidem per eam vnà cum Patre & Spiritu S. omnia creauit, sustentat & gubernat, atque eadem omninò opera diuina efficit. Deinde vtrumque Christus facit, opera sua diuina Patri tribuit [ad testandam ὁμοουσίαν] & tamen se à Patre verè distinctam personam esse docet. Iohan. 5. vers. 17. Pater meus vsque modò operatur, & ego operor. v. 19. Quæcunque Pater facit, eadem similiter & Filius facit. c. 8. v. 16. solus non sum, sed ego & qui misit me Pater, &c. plura inferiùs.

150. Pag. 151. probare conantur, quòd negare diuinam *Christi naturam sit mysterium ad salutem vtile, quia aliàs negari debeat vera ipsius humanitas, cùm non sit verus homo, nisi qui habet personam humanam, si verò Christus non est verus homo, sequetur, quod nec verè resurrexerit: At fides illa* [inquiunt] *quod Christus sit tantùm homo, non autem verè Deus vehementer confirmat spem salutis nostræ, ex eo enim colligere possumus, etiam nos ad vitam olim exitandos esse, si vestigiis Christi fideliter insistamus. Respon. 1.* qua fronte abnegationem diuinitatis Christi vocant mysterium & fidem, cùm sit extrema ἀπιστία & blasphemia totius Christianæ religionis ruinam secum ducens? sed patiamur esse in numero mysteriorum, illorum scilicet de quibus Apoc. 17. v. 5. legitur. 2. Si negatur vera Christi Deitas, perit omnis nostra consolatio, negatur enim satisfactio & meritum Christi, negatur imputatio iustitiæ eius, negatur reconciliatio nostra cum Deo; breuiter negantur salutis nostræ media & morbi nostri remedia, vt paulò pòst ostendemus. 3. Quod asserunt, non esse verum hominem, qui non habeat personam humanam, id præterquam quod Scripturæ contrarium est, [quæ luculentè veram humanam Naturam Christo assignat, etiamsi propriam & à λόγῳ distinctam hypostasin illi humanę Naturę non tribuat] etiam rectæ rationi aduersatur, siquidem ad rei essentiam plenam & perfectam non requiruntur plura, quàm essentialia eius principia: iam verò hominis principia essentialia sunt corpus & anima, vbicunque ergo dantur illa, ibi etiam plenus & integer dabitur homo. Proinde licet assumta Natura humana Christi non sit ἀνυπόστατος, tamen nihil quicquam eius integritati & perfectioni decedit. Tho. p. 3. q. 2. art. 2. ad 3. *Non quodlibet indiuiduum habet rationem personæ, sed solùm id, quod per se existit: manus Socratis est indiuiduũ, non tamen persona, quia non per se existit, sed in quodam per sectiori, scilicet in toto.* Biel. 3. sent. dist. 5. q. vn. *Natura humana nihil aliud est nisi compositum ex materia & forma rationali, & omne tale compositum dicitur Natura humana, siue actu dependeat ad aliquid suppositaliter, vt in verbo: siue subsistat in seipsa, vt in Petro.* Philosophi distinguunt inter Esse & Existere, proinde veritatem essentialem Naturæ humanæ in Christo non abolet ὑπόστασις illa λόγικὴ, in quam est assumta Personale siue ὑποστατικὸν εἶδος assumtæ Naturæ in λόγῳ non tollit eius [carnis] essentiam, sed extollit: non interimit, sed perficit. 4. Miseram verò & fragilem spem illam esse oportet, quæ Christi vitam & passionem tantùm intuetur tanquam exemplum, non autem tanquam meritum: ipsa enim conscientia nostranos redarguit, nos non posse vestigiis Christi in hac vita perfectè insistere, tollitur ergo omnis spes & fiducia, quã in Christo habemus, cùm ex hypothesi ipsorum ea solùm nitatur ista conformatione nostri cum Christo.

151. Sed enim, vt reipsa appareat, quàm vtilis ἀναπεφάλαιωσις ad salutem notitia mysterij istius, quòd Christus non sit verus Deus, age colligemus ex libro ipsorum, breui quidem, sed erroribus benè multis referto, errores vel potiùs furores, quos contra cœlestis doctrinæ veritatem plusquam hæreticè proferunt. Contra orthodoxiam *articuli de Deo* vno in essentia, trino in personis negant *personarum Trinitatem* pag. 47. negant *Filij Deitatem* pag. 55. *generationem Filij dicunt esse planè impossibilem* pag. 65. negant *Spiritus sancti Deitatem* pag. 41. negant *Spiritum sanctum esse personam* pag. 245. asserunt *Spiritum sanctum esse tantùm Virtutem Dei* pag. 249. *nomine Spiritus* 1. Corinth. 2. vers. 9. 10. *Euangelium significari* nugantur pag. 241. *Spiritum sanctum* in cordibus credentium habitantem, *nihil aliud esse dicunt, quàm certam & firmam spem vitæ æternæ* pag. 243. negant *ad fidem requiri peculiarem Spiritus Sancti operationem* pag. 245. quin & negant *esse diuinam quandam in DEO iustitiam & misericordiam* pag. 266. Contra orthodoxian *articuli de Christo* negant *in Christo duas esse Naturas diuinam & humanam* pag. 55. negant *propria virtute Christum ex mortuis resurrexisse* pag. 216. & 313. negant *Christum morte sua pro peccatis nostris satisfeciss e, aut ad promerendam nobis salutem mortuum esse* pag. 261. negant *Christum nos Deo reconciliasse* pag. 274. negant *Christum ideò venisse, vt pro nobis impleret Legem*, quin potiùs *Christum noua præcepta Legi addidisse* dicunt pag. 164. 207. negant *Christum in ara crucis se pro nobis Deo obtulisse*, quinimò negant *Christum fuisse Sacerdotem, antequam ingressus esset cœlum* pag. 329. negant *per Christi sacrificium quicquam aliud intelligendum, quàm liberationem ex necessitatibus nostris* pag. 321. negant *Christum pro nobis propriè intercedere, & per intercessionem Christi nihil aliud intelligendum esse* dicunt, *quàm quod Christus, potentiam suam, qua agit, à Patre habeat* pag. 334. negant *Christum corpore suo in terris præsentem esse* pag. 219. sicque officium Christi Propheticum, Sacerdotale & Regium horribiliter conspurcant. Contra orthodoxian articulorum *de imagine Dei, de lapsu Protoplasti, & de viribus liberi arbitrij in homine adhuc reliquis*, negant *Adamum esse conditum in immortalitate* p. 21. *imaginem Dei post lapsum in homine adhuc reliquam esse* dicunt pag. 122. *eamque nihil aliud fuisse quam dominium hominis in reliquas creaturas* pag. 23. negant *Adamum etiam ante lapsum per se potuisse scire immortalitatis viam* pag. 26. negant *originale peccatum* δογμάτιον pag. 285. negant *per peccatum corrũpi potuisse dona naturalia Adæ, nedum posterorum* p. ead. dicunt *tàm in nostris viribus adhuc esse positum, vt obediamus Deo, quàm fuit ante lapsum* pag. 284. asserunt *in omnibus esse naturalem Deo obediendi voluntatem* pag. 288. *per auxilium Dei ad bonum nobis necessarium nihil aliud intelligendum esse dicunt, quàm ipsius minas & promissiones exteriùs homini positas* pag. 289. Contra orthodoxian *articuli de lege* asserunt *Christum peculiaria præcepta legi morali addidisse* pag. 207. & quidem duplicia: ita vt quædam pertineant ad mores, quædam ad ceremonias. Ad mores pertinere dicunt hæc tria: *seipsum abnegare, crucem Christi suscipere, & Christum sequi* pag. eadem. nihilominus ad τὸ sequi Christum referunt *dilectionem Dei & proximi* pag. 208. quam in lege Mosis præcipi, quo colore negabunt? ad Ceremonias dicunt pertinere cœnam Domini pag. 225. Atque vt distinctiùs ostendant, quid per Christum legi Mosaicæ additum sit, percurrunt singula præcepta, quæ eo ordine enumerant, vt præceptum de sculptilibus à primo seiungant. *Primo præcepto dicunt Christum duo addidisse, primò certam prædicandi formam, in*

errorũ Neosamosatenianorum.

Oratione Dominica præscriptam p.164. Deinde, vt Christū etiam pro vero Deo nostro, id est, pro tali qui diuinam in nos imperiū habet, agnoscamus, eum adoremus & inuocemus p.170. ita tamen, vt Deus inuocetur tāquam causa salutis primaria, Christus vt secūdaria p.176. & vt Patri subordinatus p.175. Secundò præcepto additum à Christo dicunt, vt non solùm idolū habeamus nullum honorem, sed nec eo in loco inueniamur, vbi sunt idola p.185. Tertio præcepto addita dicunt hęc duo, primò quòd etiam Christum vocare possimus in testimonium: deinde, quod nec in rebus veris liceat iurare, nisi Dei gloria nos cogat ad iuramentum pag.186. Quartum præceptum dicunt non additione completum, sed planè sublatum esse p.189. Quinto præcepto ea addita esse dicunt, quæ in Nou. Testam. de officio Magistratus & subditorum, dominorum & seruorum, mariti & vxoris extant. pag.192. Sexto præcepto de non occidendo addita dicunt hæc duo: primò quod non irascendum sit fratri, nec verbis asperis ipsemet ladendus sit p.196. deinde quòd omnis vindicta non solùm per nos sed etiā per Magistratus sit prohibita. pag.197. Septimo præcepto de non adulterādo addita dicūt hęc tria: Primò, ne quidem aspiciendam esse mulierem ad concupiscendum eam: Deinde, quod is, qui dimittit vxorem, & dimissam ducit, committat adulterium, pag.199. denique quod omnis scortatio & impuritas, quin & obscœna verba sint prohibita p.200. Octauo præcepto de non furādo dicunt esse additum præceptum de auaritia cauēda p.203. Nono præcepto additū dicunt hoc, quod omnium mendacium, etiam ex leuitate profectum, sit prohibitū p.205. Decimo præcepto de non cōcupiscendo additū esse dicunt, & corde non sit adherendum iis, quæ cōcupiscimus, etiāsi de impletione concupiscentiæ non cogitemus pag.206. Hæc sunt, quæ singulis præceptis à Christo addita esse existimant: negāt etiam legi Mosaicæ additam fuisse promissionem vitæ æternæ p.233. dicunt in V. Testam. licuisse fuisse consectari etiam ea, quæ ad voluptatem fuerunt comparata, quod in nouo hodie prohibitum pag.237. Contra orthodoxian articulorum de Euangelio, & de iustificatione dicunt in Vet. Testam. alium fuisse modum Iustificationis, quàm in Nouo. pag.308. negant fidem credentium in Vet. Testam. respectum habuisse ad Christum. pag.ead. fidem ita describunt, quòd non solùm fiducia in Deum per Christum, sed etiam obedientia erga legem & ea, quæ per Christum legi addita pag.281. dicunt in locis, quæ soli fidei tribuunt iustificationem, excludi quidem opera, sed non omnia, verùm ea tantum, quæ perfectam & perpetuam obedientiam in lege requisitam complectuntur, minimè ea, quæ à credentibus in Christum requiruntur pag.283. gratuitam Dei misericordiam, qua iustificamur, opponunt Christi merito p.266. Contra orthodoxian articuli de Sacramentis negant infantes esse baptizandos pag.255. negant Baptismum esse perpetuum N. Testam. Sacramentum p.ead. negant per Baptismum nos regenerari p.226. nullum aliū Baptismi finem agnoscunt, quàm quod in principio Christianismi conuersi hac externa Ceremonia profitebantur, se Christum agnoscere Dominum pag. 225. regenerationem cum renouatione confundunt, dicunt enim regenerationem nihil aliud esse, quàm mutationem mentis & voluntatis pag.226. negant Christi corpus in cœna accipi, ne quidem spiritualiter pag. 216. negant vsu sacræ cœnæ confirmari, vel omninò quicquam spirituali boni ibi percipi pag.217. dicunt verba cœnæ intelligenda typicè, hoc sensu: fractio & manducatio panis est significatio eius, quod corpori meo accidit: infusio & bibitio vini est significatio, per quam velut ob oculos ponitur, quid cum sanguine meo sit futurum pag.223. Denique contra orthodoxian articuli de Ecclesia, negant, Ecclesia notam esse doctrinæ sinceritatem pag. 337. & tamen fatentur esse veram Ecclesiam, in qua purè sonat cœlestis doctrina pag.336. parùm referre dicunt, vt de signis veræ Ecclesiæ simus soliciti p. ead. negant requiri peculiarem vocationem in Ministris Ecclesiæ pag. 344. Atque hi sunt errores primarij, quos in libello isto Racouiensi propugnant Antichristi, (vt silentio inuoluam horrendas deprauationes & detorsiones dictorum Scripturæ, quarum exempla in superioribus aliquammulta vidimus) eant nunc & dicant, notitiam huius sui ministerij (Christum non esse verum Deum) apprimè vtilem ad salutem æternam, quin potiùs compendiosa via est ad Mahometismum, & infernum: Res ipsa profectò liquidissimè ostendit, quòd colluuiem & sentinam variarum hæresium in vasa ista iræ exonerarit Christi & piorum aduersarius Satanas maledictus cum omnibus suis in æternum.

152. Antequam hinc abeamus, placet quædam ex priscis Ecclesiæ Doctoribus ad testandum in hoc cœlestis doctrinæ capite consensum in medium proferre, vt proterua illa aduersariorum calumnia retundatur, qua in præfatione venenati sui libelli pag. secunda fac. b. doctrinam de vera Filij Deitate vnà cum reliquis erroribus ab Antichristo Romano in Ecclesiam introductam esse statuunt. Contenti autem erimus testimoniis eorum, qui ante Concilium Nicænum vixerunt, de posteriorum namque consensu dubitari nullo modo potest. Ignat. in Epist ad Antioch. *Qui Christum dicit nudum hominem, maledictus est, cùm non in Deo confidat, sed in homine.* Ibid. *Omnis, qui annunciat vnum & solum Deum, vt tollat diuinitatem Christi, Diabolus est & hostis omnis iustitiæ.* In Epist. ad Phil. *Dominus mittens Apostolos ad docendum omnes gentes, præcepit illis, vt baptizarent in nomine Patris, Filij & Spiritus S. non in vnum trinominem, neque in tres incarnatos, sed in tres eiusdem honoris.* Clemens Rom. 8. const. c. 16. *Patrem immediatè ante omnia, quæ sunt, filium genuisse.* Ex Dionys. Alexan. refert Athanas. in lib. de sent. illius pag. 347. quòd *mendaces illos vocauerint, qui dixerint, ipsum negasse, Christum esse Deo consubstantialem.* Ex Dionys. Romano refert idem in lib. de decret. Syn. Nicenæ pag. 372. *quod dixerit, illos reprehendendos esse, qui credant Filium Dei esse opus.* Iustin. in expos. fid. *Vnus reuera est vniuersitatis huius Deus, qui in Patre, Filio & Spiritu sancto agnoscitur. Cùm namque ex substantia sua Pater Filium progenuerit, atque ex eadem Spiritum produxerit, iure optimo, quæ vnam eademque participant essentiam, vna eademque dignantur diuinitate.* Ibid. pag. 298. *quia Filio Dei hoc testimonium datur, quod à Patre sit natus, id sufficere ad coæternitatem & substantiæ identitatem.* In eod. lib. agnoscit personas Trinitatis distingui κατὰ τὸν τῆς ὑπάρξεως τρόπον, vnum verò esse κατὰ τὸν τῆς θείας λόγον. Iren. lib. 3. adu. hæres. c. 6. *Neque igitur Dominus, neque Sp. S. neque Apostoli eum, qui non esset Deus, definitiuè & absolutè Deum nominassent aliquando, nisi esset verus Deus, neque Dominum appellassent aliquem ex sua persona, nisi qui dominatur omnium, Deum Patrem & Filium eius.* Et paulò post: *Verè igitur cùm Pater sit Dominus & Filius verè sit Dominus, meritò Spiritus sanctus Domini appellatione signauit eos.* Clem. Alexandr. 1. pædag. c. 11. Christum vocat *Deum opificem.* Tertull. libr. 4. cont. Marcion. *in vnitate Trinitatem* agnoscit. Ex libro eius aduers. Praxeam egregium locum adduximus Disp. præced. th. 73. Origen. super 9. Rom. tom. 3. fol. 195. de Patre & Filio dicit, *vnus vterque est Deus.* Cyprian. in tract. de vanit. Idol. *Hic Deus noster, hic Christus est.* lib. 2. contra Iudæos cap. 5. Filij *Deitatem* demonstrat ex loco Rom. 9. vers. 5. *Ex quibus est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in secula.* Athenagoras in Apol. ad Antonin. *Ita agnoscēdus Deus Pater, Filius & Spiritus sanctus, quòd sint æqualis gloriæ & potestatis.*

Patrum testimonium consensus doctrina Filij Dei.

poteſtatiu. Greg. Mirificus in Confeſſione quam recitat Nicetas 2. th. orth. fid. cap. 32. *Filium nullo vnquam tempore Patri defuiſſe*, &c.

CAPVT V.

De perſonali Filij proprietate.

Perſonalis proprietas Filij Dei. Æterna Filij à Patre generatio producitur ex dicto.

153. Egimus hactenus ſatis prolixè de vera Filij Deitate: ſequitur, vt de perſonali eius proprietate ſiue τρόπῳ ὑπάρξεως (vt loquitur Iuſtin.) agamus. Eſt autem hæc perſonalis Filij proprietas, per quam à Patre & Spiritu S. perſonaliter in intima illa eſſentiæ vnitate diſtinguitur, *quod eſt* à Patre ab æterno genitus. Æternam illam Filij à Patre generationem comprobant hæc Scripturæ dicta. 1. In quibus dicitur Filius à Patre genitus. Pſal. 2. verſ. 7. *Narrabo ſtatutum Domini, quod dixit mihi: Filius meus es tu, ego hodie genui te* (יְלִדְתִּיךָ, γεγέννηκά σε,) Non poſſe hunc Pſalmum aliter quàm de Filio Dei intelligi, oſtendimus th. 41. יָלַד, propriè ſignificat *gignere*, quamuis verò metaphoricè etiam vſurpetur de creatione rerum naturalium inanimatarum, & de parturitione fructuum animi, tamen quia hoc loco additur, Filius meus es tu, ex eo immotè colligitur, propriè hîc vocabulum יָלַד de generatione accipiendum eſſe.) 2. In quibus dicitur ab æterno genitus. Omnia ſunt in tempore creata, ſed hic Dei Filius non eſt in creaturarum numero, *ſed ab æterno eſt à Patre genitus.* Pſal. 72. v. 17. *Ante Solem filiatur, per nomen filiationis naſcitur nomen eius* (Burgenſis ex comm. R. Aben Ezra. Porrò totus Pſalmus agit de Chriſto, cuius typus fuit Salomon, ea enim commemorantur in iſto Pſalmo, quæ non poſſunt ſalua veritate de Salomone intelligi) Prou. 8. ver. 24. dicit Sapientia, *nondum erant abyſſi*, (id eſt, ante creationem proinde ab æterno) *& ego genita ſum*, (חוֹלָלְתִּי LXX. γεγεννήμαι. Aquil. & Theod. ſignificantius ὠδινόθην. Vſurpatur vox חוֹלָלְתִּי, Pſal. 51. verſ. 5. vbi LXX. συνελήφθην & Iob. 15. v. 7. Mich. 5. v. 2. de Chriſto ſecundùm humanam naturam in Bethlehem nato dicitur, quòd adhuc altiorem (vt ita loquar) habeat natiuitatem. *Egreſſus eius à principio & à diebus æternitatis* (מִימוֹת עוֹלָם in numero multitudinis, cauſam reddit R. Haccados in Gale Razeija: *quia duo ſunt Meſſiæ egreſſus, vnus diuinitatis, alter humanitatis.* Obſerua autem 1. Hebræum vocabulum, quod hîc vſurpatur, ſæpius etiam alibi denotare natiuitatem Geneſ. 10. 14. Exod 21. verſ. 22. Deut. 28. v. 57. Iobi 1. verſ. 21. &c. LXX. reddiderunt ἔξοδοι. 2. Eandem vocem מוֹצָא vſurpari de temporali natiuitate Chriſti in Bethlehem.

In quibus dicitur ab æterno genitus.

Neo Samoſateniorum exceptiones.

154. Quid contra hæc teſtimonia Solis radio ſcripta tenebriones excipiant, diſcuſſimus ſuperiùs theſ. 42. & ſeqq. Quod attinet locum Pſal. 110. verſ. 3. Ex vtero ante Luciferum genui te, quem Euſeb. lib. 1. Eccleſ. hiſt. cap. 1. Epiphan. lib. 2. adu. hæreſ. contra Paulum Samoſaten. & alij ex Patribus ititidem de Filij generatione explicant, ſecuti verſionem LXX. Interpp. ἐκ μαζοῦ πρὸ ἑωσφόρου ἐγέννησά σε, fatemur Hebræum textum commodiùs exponi poſſe de fidelibus Chriſti, qui ipſi perinde vbertim & magna copia naſcuntur, atque ex aurora ros matutinus prouenit, eamque ob cauſam iuuentus Chriſti dicuntur. Vox יַלְדוּתֶךָ, remotis punctis ſubnotatis eodem modo legi poteſt, ſicut Pſalm. 2. v. 7. ideò LXX. etiam verterunt ἐγέννησά σε.

3. In quibus dicitur Dei Filius.

155. Pergamus ad tertiam claſſem teſtimoniorum de æterna Filij à Patre generatione. Hæc complectitur ea loca, in quibus ὁ Λόγος, ſecunda Trinitatis perſona dicitur Dei Filius, ideò enim & inde ſic dicitur, quia eſt ab æterno à Deo Patre genitus. Cæterum quia talium locorum, in quibus Chriſtus dicitur Dei Filius, magnus eſt numerus, ideò docendi cauſa in haſce claſſes poterunt diſtribui. *Dicitur Chriſtus Dei Filius.* 1. à Patre cœleſti 2. Sam. 7. verſ. 14. 1. Paral. 7. v. 13. cap. 22. v. 10 cap. 28. v. 6. *Ego ero illi in Patrem, & ille erit mihi in Filium*, qui locus ad Chriſtum refertur Hebr. 1. v. 5. Matth. 3. v. 17. Marc. 1. v. 11. Luc. 3. verſ. 22. in Baptiſmo Chriſti Matth. 17. v. 5. Marc 9. v. 7. Luc. 9. v. 35. 2. Petri 1. verſ. 17. in transfiguratione Chriſti. 2. Chriſtus *ſeipſum nominat Dei Filium*, Matth. 11. v. 27. Luc. 10. verſ. 22. & in Iohanne ſingulis ferè capitibus. 3. Spiritus Sanctus *ipſum vocat Dei Filium* in ſcriptis Prophetarum & Apoſtolorum, ſiquidem *illi Spiritus Sancti impulſu ſunt locuti*, 2. Petr. 1. v. 21. 4. Angeli *eum ita vocant*, Luc. 1. v. 31. 35. 5. Prophetæ Pſ. 2. v. 7. Prou. 30. v. 4. 6. Euangeliſtæ Marc. 1. v. 1. Ioh. 20. v. 31. & alibi paſſim. 7. Apoſtoli Petrus Matth. 16. verſ. 16. *Tu es Chriſtus Filius Dei viui*, reliqui vnanimi conſenſu, Ioh. 1. v. 14. cap. 6. verſ. 69. Petrus in Actis & Epiſtolis, Iohannes in ſuis Epiſtolis paſſim. 8. Iohannes Baptiſta Ioh. 1. v. 18. 34. cap. 3. v 35. 36. 9. Paulus in ſuis Epiſtolis ſæpiſſimè Rom. 1. v. 3. 9. cap. 5. v. 10. &c. Act. 9. v. 20. 10. Credentes reliqui Matth. 14. v. 33. Matth. 27. v. 54. Marc. 15. v. 39. Ioh. 1. v. 49. cap. 11. v. 27. Act. 8. v. 37. 11. Diabolus ipſe Chriſtum Filium Dei eſſe confeſſus eſt, quæ teſtimonia non eo fine attingimus, quaſi Spiritus ille mendax teſtimonium dare poſſit veritati, ſed vt oſtendamus, lucem diuinæ veritatis adeò luculentam eſſe, vt ne ipſe quidem Diabolus eam negare auſus fuerit Matth. 4. v. 3. & 6. c. 8. v. 29. Marc. 3. v. 11. c. 5. v. 7. Luc. 4. v. 3. c. 4. v. 41. &c.

Exceptiones aduerſariorum.

156. Quid contra hæc teſtimonia aduerſarij excipiant, diſcuſſimus ſuperiùs, vbi iuſſimus accuratè obſeruare, quod Chriſtus dicatur μονογενὴς, & ἴδιος Dei Filius, proinde non eſt in numero reliquorum Dei filiorum, qui per adoptionem tales ſunt, hic autem per generationem. Eſtque emphaſis in repetitione articuli: σὺ εἶ ὁ χριστὸς ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ τοῦ ζῶντος Matth. 16. ver. 16. & alibi paſſim: Tu es ille Chriſtus promiſſus Meſſias, ille Dei Filius vnigenitus & proprius Dei illius veri & viuentis.

4. In quibus prima perſona Trinitatis dicitur Pater Filij

157. Quarta claſſis teſtimoniorum, quæ hûc pertinent, continet ea Scripturæ loca, in quibus Deus Pater prima perſona dicitur Pater Filij, Pſal. 89. v. 27. *vocabit me Patrem*, quod ad Chriſtum refertur Heb. 1. v. 5. in Euangeliſtis paſſim. Obſerua autem Deum dici ἴδιον πατέρα, quia ſingulari modo eſt Pater Chriſti, videlicet per & propter æternam ex ſua eſſentia generationem: ideò quoties Chriſtus Deum dicebat Patrem ἴδιον, colligebant ex eo Iudæi, quòd ſe *Deo æqualem* faceret, Ioh. 5. verſ. 18. ſeque *Deum eſſe* profiteretur, Ioh. 10. v. 33. Pertinent hûc omnia Scripturæ dicta, quæ teſtantur, *nos per fidem in Chriſtum fieri Dei filios*, Ioh. 1. v. 12. Gal. 3. verſ. 26. Eph. 1. verſ. 5. id enim ideò & inde fit, quia Chriſtus ſecundùm diuinam Naturam eſt vnigenitus & proprius Dei Filius, ab æterno ex Patris ſubſtantia genitus.

5. In quibus Filius dicitur ὁ Λόγος

158. Quintò referenda ad hunc locum illa Scripturæ dicta, in quibus Filius Dei dicitur ὁ λόγος, Gen. 1. v. 2. Pſal. 33. v. 6. Pſal. 107. v. 20. Ioh. 1. verſ. 1. & 14. 1. Ioh. 1. v. 1. & 3. cap. 5. v. 7. Hebr. 11. v. 3. Apoc. 19. v. 13. Huius loci eſt obſeruatio illa, quod paraphraſis Chaldaica in Pſalmis & Prophetis paſſim Filium Dei vocat Meimera da Iehouah, id quod ex primo capite Geneſeos deductum eſt, & ex illis locis deſumſit Iohannes Euangeliſta illam appellationem, quòd Meſſiam Filium Dei in Euangelio ſuo vocat Λόγον: nam poſt reditum ex captiuitate Babylonica Thargum

Chaldaicum Iudæis fuit in vsu quotidiano & summę apud ipsos autoritatis.

159. Neue ampliùs dubium sit, cur appellationem τῦ λόγυ ad proprietatem personalem Filii exprimendam referamus, ideò ex priscis Ecclesiæ Doctoribus disseremus de causis, cur Filius dicatur ὁ ΛΟΓΟΣ. In homine est λόγ@ ἐνδιάθετ@, est etiam λόγ@ προφορικὸς: Lact. 4. Instit. cap. 9. λόγος *& sermonem significat & rationem.* Hiero. Epist. 1. ad Pauli. Λόγος *Græcè multa significat, nam & verbum est, & ratio, & supputatio, & causa cuiusque rei, per quam sunt singula, quæ subsistunt.* Dicunt ergo veteres, Filium dici λόγον respectu habito vel ad Patrem vel ad creaturas. *Respectu Patris.* 1. Quia ἐκ τῦ πατρὸς ὥσπερ ἐκ πηγῆς ὁλκὸς: Basil. super 1. Ioh. inde canit Ecclesia, *Corde natus ex parentis, Alpha & O cognominatus.* Sicut ex mente nostra cogitatio nascitur: ita ex substantia Patris Filius est genitus, 2. ἀφ' τῦ ἀπαθῶς τῆς γεννήσεως. Gregor. Nazianz. Orat. 2. de Fil. p. 164. *Sicut absque vlla passione & dolore cogitatio procedit à mente, ita quoque Filij generatio à Patre est ἀπαθὴς & doloris expers.* 3. Quia Filius est εἰκὼν τῦ γνήσιον@, ὅλον ἐν ἑαυτῷ δεικνὺς τὸν γεννήσαντα, ὃλὴν ἐκεῖθεν ἀποστείλας καὶ τέλει@ ὑπάρχων καθ' ἑαυτὸν, ὡς ὁ ἡμέτερος λόγος ὅλῳ ἡμῶν ἀπεικονίζει πῶς οὐσίαν. Basil. Id. Vt mentis animique character est oratio, ita Filius est imago & character Patris. 4. ἀφ' τῦ σωματος: Naz. d. l. Vt mens non est absque λόγῳ præsertim ἐνδιαθέτῳ, nec λόγος absque mente: ita nec Pater est sine Filio, nec Filius sine Patre. Vide Aug. 9. de Trin. c. 10. Luth. super 1. Gen. Pulcrè Hilarius lib. 2. de Trin. *Sermo cogitationis æternus est, cùm qui cogitat, æternus est.*

160. Absit verò, vt quisquam statuat, eandem omninò esse generationis Filij à Patre rationem, quæ est nostræ cogitationis à mente, manet enim immensum ac infinitum discrimen. Nostra cogitatio & oratio est res euanescens, caue id ad Filium accommodes. Ignat. Epist. 3. ad Magn. χριστὸς ἐστι λόγος, ὁ ἡητὸς ἀνὴρ σιωπῆς, ὃς οὐδὲ τῆς λαλίας ἐναφρον φώνημα, ἀπ' ἐνεργείας θείης ὑσία γεγονὼς. Ac proinde Damasc. 1. orth. fid. c. 6. ostendit non solùm cõuenientiam, sed etiam discrimen inter Verbum illud Dei & Verbum oris humani. 1. Verbum Dei subsistit in propria ὑποστάσει à Patre distinctum proprietate peculiari principij & finis expers, ac Patri συναΐδιον: nostrũ non per se subsistit, neque personali singularitate discernitur, sed est in aere, tanquam accidens in subiecto, incipitque proferendo & desinit quiescendo. 2. Verbum diuinum ex Patris substantia est genitum, illique ὁμοούσιον: nostri sermonis nulla generatio est substantialis. 3. Verbum Dei semper intimum est & Patri immanens, extra quem nec gignitur nec subsistit: nostrum ad exteriora prodit, & foras effertur. 4. Verbum Dei nulla successione fluidum semper viuit, imò vita est æterna: nostri oris Verbum euanidum est & fluxum. 5. Verbum Dei omnia habet, quæ Pater: nostri oris Verbum non sortitur proprietates mentis formatricis, nec habet ea, quæ sunt mentis.

161. Respectu ad creaturas Filius Dei dicitur ὁ λόγος: primò generatim, quia per ipsum tanquam substantialem suam virtutem Pater omnia creauit. Aug. lib. 83. qu. Deinde speciatim, respectu ad Ecclesiam habito, quia Pater per ipsum reuelauit suæ volũtatis de salute nostra mysterium, idque sub figuris in V. T. in propria autem humanitate post incarnationem in N. Test. ideò Nazianz. l. d. addit filium dici λόγον ἀφ' τῦ ἐξαγγελικὸν. Iren. lib. 4. cap. 14. *Filius est Verbum, quia agnitionem Patris facit.* lib. 3. cap. 18. *Dei Filius semper adest humano generi.* Epiphan. hæres. 73. pag. 385. *est interpres voluntatis diuinæ.* August. de fide & Symb. c. 3. *per ipsum innotescit Pater.* Has rationes appellationis τῦ λόγυ breuiter complexus est Iohannes cap. primo Euangelij: vocat enim Filium Dei λόγον ἐν ἀρχῇ ver. 1. cùm adhuc nulla existeret creatura, vtique ergo respectu Patris, deinde dicit *per hunc λόγον omnia esse facta.* vers. 3. denique addit, *quòd enarrarit nobis consilium Dei de salute nostra.* v. 8.

162. Sextò ad proprietatem personalem Filij exprimendam accommodamus dicta illa, in quibus dicitur ὁ εἰκὼν & χαρακτὴρ τῦ πατρὸς. 2. Cor. 4. v. 4. *Christus est εἰκὼν τῦ θεῦ.* Col. 1. v. 15. *Filius est εἰκὼν τῦ θεῦ ἀοράτυ.* Heb. 1. v. 1. *Filius est χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως τῦ πατρὸς.* Sap. 7. v. 26. Sapientia Dei est speculum sine macula maiestatis diuinæ, & imago bonitatis illius, ἔσοπτρον ἀκηλίδωτον τῆς τῦ θεῦ ἐνεργείας καὶ εἰκὼν τῆς ἀγαθότητος αὐτῦ. Dicitur autem Filius Dei imago Patris, non solùm respectu nostri, quia Dei voluntatem nobis manifestat, & Deum quasi visibilem nobis facit, vt Caluinus super 1. Colos. & 1. Hebr. nimis ieiunè scribit, sed etiam respectu Patris, quia est substantialis imago Patris, perfectè referens Naturam eius, quippe cui est ὁμοούσιος. Imago relucet in speculo, & exprimit, cuius est imago, & à quo oritur: ita Filius ab æterno à Patre genitus essentiam eius perfectè exprimit. Caue tamen existimes simile hoc κατὰ πάντα conuenire, siquidem Filius Dei non est res euanida & mortuum quoddam εἴδωλον, vt sunt imagines in speculo, sed est substantialis & per se subsistens imago. Nazianz. Orat. 1. de Filio: *Sicut imago sigillo expressa prototypon per omnia refert: ita Filius est imago Patris.* Basil. serm. de Trinit. *Filius est imago totum in se Patrem ostendens, splendet enim in Filio æterna Dei Patris Deitas, potentia, sapientia & maiestas.* Rupertus 2. de Trinit. cap. 2. *Filius dicitur figura substantiæ Patris, quia sicut substantia quælibet ex conspecta figura sua cognoscitur, sic Deus per Verbum suum, quod est Filius.* Monet Flacius in Clau. Script. in voce imago, quod apud Latinos imago ferè tantùm quippiam vmbratile ac vanum, & quod tantùm qualicunque specie repræsentet rem ipsam, denotet: at Hebræis realissimam conuenientiam & summam substantiæ ipsius similitudinem: id quod multis exemplis ibidem confirmat.

163. Denique conferimus hûc locum Hebr. 1. v. 3. vbi Filius dicitur ἀπαύγασμα τῆς δόξης τῦ πατρὸς, quod traductum videtur ex Sap. 7. v. 25. Sapientia est ἀτμὶς τῆς τῦ θεῦ δυνάμεως, καὶ ἀπόῤῥοια τῆς τῦ παντοκράτορος δόξης εἰλικρινής: vers. 26. ἀπαύγασμα ἐστι φωτὸς ἀϊδίυ, &c. Nazianz. Orat. 1. de Filio: Splendor Solis à Sole nascitur, simul cum Sole emergit, & lucem Solis ad amussim exprimit: sic Filius à Patre genitus ipsi est συναΐδιος καὶ ὁμοούσιος. Symbol. Nicæn. Filius est genitus *Deus de Deo, lumen de lumine.* ἀπάυγασμα refulgentiam & respledescentiam notat, adumbratur igitur in ea voce Filij à Patre generatio; sed vti diximus, adumbratur tantùm, quia Filius non est splendor transiens & mutabilis, sed lux substantialis. Pertinent huc omnia loca, in quibus Filius dicitur *illa lux, vera lux,* &c. Ioh. 1. v. 4. 8. 9. cap. 3. v. 19. cap. 8. 9. 12. &c. id enim fit propterea, 1. Quia est verus Deus, qui est lux æterna. 1. Ioh. 1. v. 5. 2. Quia à Patre genitus est, vt lumen de lumine nascitur. 3. Quia est nostra lux, erroris & peccatorum tenebras dispellens. Non inscitè appellationes hasce, quibus secunda Trinitatis persona in Scripturis insignitur, complectitur Biel. sent. dist. 27. q. 3. *Vt ipsa generatio seu natiuitas ostendatur connaturalis Patri: secunda persona dicitur Filius: vt ostendatur coæternus, dicitur splender Patris: vt ostendatur omninò similis & æqualis, dicitur imago Patris: vt ostendatur immaterialiter*

Aduersariorum argumenta contra generationem Filij Dei.

6. In quo dicitur imago Patris.

Filius imago Patris dicitur.

Filius dicitur Lux.

Æterna Filij generatio inexplicabilis.

materialiter genitus, dicitur Verbum.

Aduersariorum argumenta contra generationem Filij Dei.

164. Atque hæc iuxta Scripturæ manuductionem de æterna Filij à Patre generatione balbutire possumus, de qua antequam vberiùs agamus, prius audiemus, *quid contra eam aduersarij proferant. Ita ergo scribunt* p.63. *Scias generationem ex Dei essentia esse omnibus modis impossibilem. Si enim Christus ex substantia Patris genitus esset, aut ex parte eius aut ex tota genitus foret: non illud, quia essentia Dei est simplicissima & indiuisibilis: neque hoc, quia Pater non amplius esset Pater, cùm essentia Dei sit numero vna, ac proinde non possit esse pluribus communis. Resp.* audimus iterum argumentum non ex Schola Christi, sed ex principiis humanæ rationis. Dicimus ergo 1. Quando articulus fidei propriis & perspicuis verbis in Scriptura proponitur, non sunt vrgenda contra illum principia Philosophica, quantumuis plausibilia, vt ostendimus in Disput. de Inter. Script. 2. Principium illud, cui tota argumenti structura incumbit, tùm demum locum habet quando essentia est finita, sed falsum planè est, vbi datur essentia infinita & immensa. Pater gignendo communicat filio totam suam & eandem numero essentiam, nec tamen ea vel communicatione deperditur, vel quicquam ei decedit, nimirum quia est infinita & immensa. 2. quid quod ne quidem in rebus naturalibus per omnia principium hoc valere potest? Homo generat hominem, lumen accenditur à lumine, neque tamen per generationem homini, vel per accendendi actum lumini quicquam de sua essentia decedit. Non quidem in Patre & Filio inter homines est vna numero essentia, sicut in Patre & Filio in diuinis, cuius ratio est, quod Dei essentia sit infinita & immensa, hominis v. finita. Si hominis essentia foret itidem infinita, vtique eandem numero essentiam absque sui deperditione vel diminutione homini ex se genito communicaret. *Sic ergo procedimus.* Essentia diuina est simplicissima, perfectissima, immensa & infinita: est in gradu summo, vt ita loquar, vnitissima vna, ex qua vnitate & simplicitate diuinæ essentiæ promtè colligimus, quòd non sit composita, nec diuisibilis, quod enim nulla ratione est compositum, illud etiam nulla ratione est diuiduum, omnis diuisio præsupponit compositionem, siquidem nihil diuidi potest, quod non aliquo modo compositum. Vna ergo in Patre, Filio & Spiritu S. est diuina essentia, non tres essentiæ: tota diuina essentia est in Patre, Filio & Sp. Sancto: non pars essentiæ, in Patre, pars in Filio, pars in Spiritu S. Omnis plenitudo Deitatis seu diuinæ essentiæ est in Patre, omnis plenitudo Deitatis est in Filio, omnis plenitudo Deitatis est in Spiritu. S. Quare quando dicimus Patrem gignendo totam suam essentiam Filio communicare, nihil aliud dicimus, quàm eandē diuinam essentiam, quę in Patre est ἀγεννήτως, in Filio esse γεννητῶς. Neque enim cogitare debemus, quasi Persona Patris sit quædam per se subsistens substantia, ab essentia ipsa diuina realiter diuersa, cui substantiæ porrò insit diuina illa essentia, vt sint duæ substantiæ simul vnitæ & compositæ. Absint hæ cogitationes, sed intelligimus essentiam diuinam certo subsistendi modo, videl. ἀγεννήτως esse in Patre, eandem numero essentiam dicimus Filio per æternam à Patre generationem communicatam, & sic itidem totam esse in Filio, certo scil. subsistendi modo γεννητῶς. Idem iudicium esto de Spiritu Sancto, in quo tota & eadem numero est essentia diuina cum certo subsistendi modo, scilicet ἐκπορευτῶς.

Æterna Filij generatio inexplicabilis.

165. De hac Filij à Patre generatione, vt dicamus vberiùs, operæ videtur precium. Profitemur autem ἀῤῥήτως in ipso statim limine, modum eius in hac vita esse planè ἀόρατον, ἀόρατον λόγον, ὡς καὶ πάλιν. Quamuis enim superiùs quasdam ex Scriptura proposuerimus similitudines, eæ tamen modum huius generationis neutiquam plenè & perfectè explicant, sed rem ab omnium apprehensione & intellectu remotam rudi planè & valdè dissimili exemplo adumbrant atque delineant. *Ambros.* de fide ad Gratian. *Impossibile est generationis scire secretum mens deficit, vox silet, non mea tantùm, sed & Angelorum.* Nazianz. lib. 3. de Theol. *Quid magni haberet Dei generatio, si angustiis intellectus tui comprehenderetur, qui tuam ipsius generationem vel in totum nescis, vel quandam cognitionem eius ita exiguam habes, vt dicere etiam sit pudor?* Et paulò pòst: Θεοῦ γέννησις σωπῇ πιάσθω. *Sanè quod generatus sit, didicisse te magnum quiddam fuerit, verùm quomodo generatus sit nosse, ne Angelis quidem fuerit, verùm quomodo generatus sit nosse, ne Angelis quidem ipsis, nedum tibi datum esse concesserò. Porrò si isto tuo Quomodo, nisi responso accepto discedere non potes, respondeo, sic generatum esse Filium, vt nouit, & qui genuit Pater, & qui genitus est Filius.* Idem in orat. de S.S. εἰπέ σου πρὸς ἀγεννησίαν τὸ Πατρὸς, καὶ ἐγώ σοι πρὸς γέννησιν τὸ ἐκ φυσιολογήσω τοῦ πρὸς ἐκπόρευσιν τὸ Πνεύματος, καὶ παραπλησόμεν ἀμφω εἰς τὰ τοῦ Θεοῦ μυστήρια ἀποκύπτοντες. Epiph. contr. Anom. γέννησις τοῦ ἐκ ἀποκλεῖ πᾶσαν συλλογιστικὴν αἰτίαν, καὶ ὑφ' εἷς ἀνάγεται συνεξέτασιν καὶ πάντα λογισμὸν, μᾶλις ἁφαρτῶν αὐθρώπων. Damasc. lib. 1. orth. fidei c. 2. inter ἀκαταλήπτα & ἄῤῥητα refert πρὸς τὸ ἐκ γέννησιν καὶ πρὸς τὸ Πνεύματος ἁγίου ἐκπόρευσιν. Veteres hûc accommodant quod Esa. 53. v. 8. de Christo dicitur: דּוֹרוֹ, πρὸς γενεὰν αὐτοῦ τίς διηγήσεται, Generationem eius quis enarrabit? vbi tamen de æternitate regni Christi propriè agitur. Res ipsa verò certa est, nimirum generationem illam Filij à nemine enarrari aut explicari posse. Enarrent nobis curiosi illi, qua ratione geniti sint, tumque liceat de Filij generatione percontari: Exponant, cur & quomodo Spiritus pulset in arteriis, tumque in Spiritus S. processionem inquirant.

Theoremata de Filij generatione.

1. *Generatio Filij differt à creatione.*

166. Quicquid de illa Filij generatione balbutire possumus, complectimur his theorematis. Generatio Filij 1. Differt à creatione. 2. Est vera & propriè dicta generatio. 3. nec tamen physica. 4. est æterna & 5. ex substantia Patris; ex quibus talis colligitur Generationis istius descriptio, quòd sit æterna Filij ex substantia Patris productio. Singula membra declaratione vlteriori indigent. Primò dicimus. *generationem differre à creatione*, quod à posteriori facilè potest probari, quia genitum ab æterno Patre Filium Scriptura dicit, creatum esse negat. A priori tale constituitur discrimen. 1. Gignere est ex substantia sua aliquid producere simile secundùm essentiam. Creare est ex nihilo aliquid facere diuersum à substantia creantis. Item 2. gignere est naturæ, creare autem voluntatis; ac proinde 3. generatio est ab æterno, creatio autem fit in tempore. *Cicero* quidem & alij Scriptores gentiles dicunt de rerum vniuersitate, *Deum genuisse omnia*, atque ita generationem cum creatione confundunt, sed Ecclesia non ita loquitur. Iob. 38. vers. 28. & 29. itidem metaphorica significatione generatio vsurpatur pro creatione: Quis est Pater pluuiæ & stillas roris quis genuit? אֲגֻלֵּי טָל מִי הוֹלִיד, τίς ἔστιν ὁ πατὴρ τῆς δρόσου, ex cuius vtero prodiit glacies, מִבֶּטֶן מִי יָצָא קָרַח, ἐκ γαστρὸς τίνος ἐκπορεύεται ὁ κρύσταλλος: sed ibi manifestum est poetica quadam libertate & grandiloquentia generationis vocem metaphoricè vsurpari. At in doctrina de Filio Dei accuratum discrimen inter creationem & generationem exactissimè tenendum, ideò Damasc. lib. 1. orth. fid. c. 8. dicit: *quòd Filius quidem sit* ἀγέννητος

increatus, sed non ἀγέννητος, hoc est, ingenitus, vbi homonymian vocabulorum istorum explicat, quod repetit lib. 4. c. 7. idque desumsit ex Athan. dial. 1. de Trin. p. 152. & dial. 2. p. 171. γέννητον ἐστι τὸ πατέρα ἔχον, γεννητὸν δὲ γενεσιουργόν.

Generatio Filij est vera & propria.

167. Secundò dicimus, generationem Filij esse veram & propriã: Qualis generatio, talis etiam filiatio, siquidem in generatione fundatur filiatio & ex generatione denominatur. Vicissim, qualis filiatio, talis etiam generatio, propter mutuum respectum principij, & principiati: Jam v. secunda Trinitatis persona verè & propriè est Dei Patris Filius, ἴδιος καὶ μονογενὴς ὁ υἱός. Ergo etiam verè & propriè est à Patre genitus. *Thom.* p. 1. q. 27. art. 2. *Generatio accipitur dupliciter, 1. communiter ad omnia generabilia & corruptibilia, & sic generatio nihil aliud est, quàm mutatio à non esse ad esse. 2. propriè in viuentibus, sic generatio est origo alicuius viuentis à principio viuente coniuncto, nec tamen omne huiusmodi dicitur genitum, sed propriè quod habet rationem similitudinis, vnde capillus non habet rationem geniti: nec sufficit quæcunque similitudo, vermes qui generantur in animalibus non habent rationem geniti: sed requiritur, quòd procedat secundùm rationem similitudinis in Natura eiusdem speciei, sicut homo procedit ab homine: hæc omnia sunt in processione diuina.* Hact. *Thom.* quibus addendum, quòd generatio verior & perfectior sit in Deo, quàm in homine, quia Deus Pater generat Filium sibi consubstantialem, cui non specie, sed numero eandem essentiam communicat: homo verò generat hominem, cui eandem specie tantùm essentiam communicat.

168. Neutiquam ergo probare possumus, quòd quidam scribunt, *Generationem Filij esse metaphoricam.* Si enim generatio non est vera & propria, vtique nec Filiatio erit vera & propria. Rectiùs Athanas. in Epist. ad Serapion. p. 357. *Pater propriè est Pater, & Filius propriè est Filius.* Damasc. lib. 1. orth. fid. c. 9. *Nomina paternitatis, filialitatis & processionis non sunt ex nobis ad beatam illam Diuinitatem translata, sed contra inde ad nos traducta.* Biel. 1. sen. dist. 9 q. 2. *In generatione æquiuoca semper est aliquid in genito, quod est distinctum realiter à quolibet, quod est in generante: sed nihil est in Filio (puta ratione essentiæ) quod realiter distinguitur ab essentia, quæ est in Patre, Item in generatione æquiuoca generans & genitum non sunt vna essentia.*

3. Generatio Filij non est Physica.

169. *Tertiò dicimus, generationem non esse Physicam.* Obseruanda enim hoc loco vtilissima regula, quam ex veteribus proponit Zanchius lib. 5. de tribus Elohim p. 1. c. 7. & alibi. *Cùm de Deo prædicantur ea vel nomina vel verba, quæ etiam de nobis aliisue creaturis, tunc quicquid in illu rebus & actionibus per nomina & verba significatis continetur, aut significatur perfectionis, totum illud dandum est Deo, idque modo perfectissimo: contra quicquid in iis continetur aut significatur imperfectionis, id à Deo remouendum.* Applicamus hoc ad præsentem Quæstionem. Filius dicitur à Patre genitus: quicquid ergo perfectionis reperitur in nostrorum filiorum generatione, illud totum attribuendum est Dei Filio in sui generatione, & quidem modo perfectissimo: quicquid verò imperfectionis in nostrorum filiorum generatione occurrit, id à Dei Filio remouendum. Perfectionis est, quod qui generat, 1. sibi Natura simile generet. 2. quòd è sua substantia generet. Imperfectionis est, 1. Quòd non tota substantia communicatur Filiis. 2. Quòd generatio fit χρονικῶς. 3. Quod sit κατ' ῥεύσιν nostræ substantiæ, & κατ' ἀπορροίαν. 4. Quòd geniti sunt extra parentes, ita vt non solùm ab illis distincti, sed etiam separati sint. 5. Quòd sint tantùm ὁμοιούσιοι, non autem ὁμοούσιοι. Omnes ergo hæ & si quę occurrunt alię imperfectiones remouendæ à generatione in Deo, & solæ perfectiones modo perfectissimo illi relinquendæ, ita vt dicatur Filium esse ex propria Patris essentia genitum (non ex aliena substantia factum) ita ita vt tota Patris essentia sit Filio communicata, (non vt pars essentiæ in eum transfusa) idque ab omni æternitate (non in certo tempore) modo perfectissimo, & planè ineffabili (non κατ' ῥεύσιν, vel ἀλλοίωσιν) ita vt semper sit & maneat in Patre (non vt sit genitus extra Patrem atque ab ipso separatus) verè Patri ὁμοούσιος (non tantùm ὅμοιος & similis.)

170. *Si quis ergo velit inferre hoc modo: Generatio Filij est vera & propria, Ergo Physica.* Resp. Distinguendum inter proprietatem vocis Grammaticam, & inter proprietatem rei Physicam, qualis est in rebus creatis. *Thom.* p. 1. q. 33. ar. 2. id sic effert, *Generatio per prius dicitur de Deo, quàm de creaturis, quo ad rem significatam, licet non quoad modum significandi.* Generatio speciem accipit à termino, qui est forma generati, & quâtò hic fuerit propinquior formæ generãtis, tantò verior & perfectior est generatio, sicut generatio vniuoca est perfectior æquiuoca, nam de ratione generãtis est, quòd generet sibi simile secundũ formam, vnde hoc ipsum, quod in generatione diuina est eadem, forma (essentia) generantis & geniti, in rebus autem creatis non eadem numero, sed specie tantùm, ostendit, quod generatio per prius in diuinis.

171. Ex hoc principio refelli possunt & debent omnes argutiæ, quæ à Physica generatione ad oppugnandam diuinam generationem ducuntur. *Iustin.* in expos. fid. p. 177. dicit Filium genitum ὑ κατ' ἐκτομὴν, ἢ ῥεύσιν, ἢ διάστασιν, *Euseb.* lib. 4. δόσεως συναγγ. dicit Filium genitum ὑ κατ' ἀφαίρεσιν, ἢ διαίρεσιν, ἀῤῥήτως δὲ καὶ ἀνεπιλογίστως ἡμῖν, &c. *Damas.* l. 1. orth. fid. c. 8. genitus est Filius ἀπαθῶς, ἀχρόνως, ἀῤῥεύστως, ἀχωρίστως. Quotquot igitur ex proprietatibus humanæ generationis contra diuinam argumentantur, viam sternunt Mahometismo, cùm in Alcoran. azoar. 29 itidem tale proponatur argumentum: *Deus non habet coniugem. Ergo nec Filium.*

172. Quartò dicimus, generationem Filij esse æternam, cuius rationem petimus 1. ex dictis Scripturæ superiùs enumeratis §. 40. quæ testantur, Filium esse æternum. 2. Ex relatione inter Patrem & Filium. Prima persona est Pater æternus, Ergo etiam secunda persona Filius est æternus. 3. Quia aliàs Patris essentia statueretur mutabilis, si in tempore cœpisset Filium gignere. Ex hoc principio varia refutari possunt Sophismata hæreticorum. *Deus* (inquiunt) *genuit Filium aut existentem, aut non existentem.* Resp. Non procedit hoc in æterna generatione, quæ omnem temporis cogitationem excludit, Patri Filius est ὁμοούσιος καὶ συναΐδιος. Ergo æuum Patris non antecedit æuum Filij. *Aristot.* 4. Physic. cap. 12. cont. 117. φανερὸν, ὅτι τὰ ἀεὶ ὄντα, ἢ ἀεὶ ὄντα ἐξ ἀνάγκης ἐν χρόνῳ, ἢ οὐδὲ περιέχεται ὑπὸ τοῦ χρόνου.

173. Aut genitus est Filius (inquiunt) aut adhuc gignitur. *Resp. Semper gignit Pater, & semper nascitur Filius. August.* Epist. 147. ad Pascent. vt non cœpit, ita nec desinet Pater gignere. Æternitas præteriti & futuri nomina excludit, æterna est generatio, ergo nec cœpit, nec desinet. Vicissim Filius *ab æterno à Patre genitus est*, vt loquitur *Symbol. Nicen.* quia non cogitanda est in ista generatione motus vel temporis successio, perfecta est ab æterno generatio, perfecta ab æterno persona per generationẽ producta. *Thom.* p. 1. q. 42. art. 2. *Aliquid ex principio existens posterius esse suo principio, potest contingere ex duobus: primò ex parte agentis, in voluntariis propter electionem temporis: in naturalibus,*

Obiectio hæretici.

4. Generatio Filij est æterna.

ralibus, quia perfectio virtutis ei aduenit post aliquod tempus. Secundò ex parte actionis, quia est successiua. Iam verò Pater non generat Filium voluntate, sed Natura, quæ ab æterno perfecta, nec generatio illa successiua, quia nec materialis est, nec cum motu. Proinde ad significandam præsentialitatem & permanentiam æternitatis potest dici, quod semper nascitur Filius, vt Origenes dixit: sed vt Greg. & Augustin. dicunt, Melius est, quod dicatur semper natus, vt semper designet permanentiam æternitatis, natus perfectionem geniti. Hact. *Thom.* sed vt ostendimus, etiam hac formula loquendi *Augustinus* vtitur, quòd semper gignat Pater, semper nascatur Filius.

174. Porrò locus Gregorij, quem Thomas allegat, extat 29. moral. c. 1. vbi improbat hanc phrasin: *Semper nascitur Filius*, ne imperfectio generationis introduci videatur. Locus Origenis extat tom. 2. homil. 6. in Ien. vbi sic scribit: *Saluator noster est Sapientia Dei, Sapientia verò est splendor æternæ lucis, Saluator ergo noster est splendor claritatis. Splendor autem non semel nascitur & desinit, sed quoties ortum fuerit lumen, ex quo splendor oritur, toties etiam oritur splendor claritatis.* Vide plura apud *Lombard.* 1. sent. dist. 9. Concludimus verbis *Nazianzeni* l. 3. de Theol. *Neque Deus Pater ita generat, vt nondum perfectè genuerit, neq; Pater genuit Filium, vt generare desierit: illa enim locum habent in iis duntaxat, quæ temporum mutationibus sunt obnoxia: verùm in Deo semper est natiuitas, sed perfecta: semper enim Filius Dei nascitur, sed perfectus.*

5. Generatio est ex substantia Patris.

175. *Denique Filium dicimus esse ex substantia Patris genitum*, ratio pendet ex definitione veræ generationis. *Symb. Nicen. Credo in Filium Dei vnigenitum*, γεννηθέντα ἐκ τοῦ πατρὸς. *Symb. Athanas.* Deus est ἐκ τῆς οὐσίας τοῦ πατρὸς *ante secula genitus*: ideò *Damascen.* lib. 1. orth. fidei c. 8. hæc duo coniungit: *Ex ipso* (Patre) *id est, ex Patris substantia astruimus Filij generationem. Concil. Ephesin.* in Epist. ad Nestorium. *Profitemur, quòd ipsum vnigenitum Dei verbum natum ex ipsa Patris essentia.*

Quæstio: An essentia generet essentiam diuinis?

176. Ex quo colligi potest, quid respondendum ad Quæstionem: An essentia generet essentiam in diuinis? *Lombard.* 1. sent. dist. 5. concedit in negatiuam, quem sequuntur *Thom.* p. 1. q. 39. ar. 5. *Occam*, *Biel* & alij sup. *Lomb.* Contrarium propugnant *Richar.* de villa noua & *Ioach. Abbas* Florent. cuius etiam mentionem facit *Thomas* loco dicto. Antequam ad quæstionem respondeamus, referemus hûc quæ *D. Lutherus* de ea disputat tom. 1. Ienens. lat. p. 533. th. 15. *Magister sententiarum non satis rectè docuit, essentiam diuinam nec generare nec generari*, th. 16. *Sed rectè à Ioach. Abbate reprehenditur, quod in diuinis quaternitatem asseruerit.* th. 17. *nec quicquam facit c. Firmiter de Trinitate, probans Magistrum & damnans Abbatem* th. 18. *cùm enim negare ex Augustino non potuit Magister, substantiam de substantia, sapientiam de sapientia generari.* th. 19. *nullo modo potuit negare, essentiam de essentia, & quicquid de Deo vero tàm simile dici potest.* th. 21. *Metuit, (vt videtur) Magister, ne duæ vel tres essentiæ dicerentur, si vna de alia nasceretur.* th. 22. *at similiter illi metuendum fuit, ne duo vel tres Dij fierent, si vnus de alio generaretur.* th. 23. *Concedimus, essentiam in creatura non dici relatiuè (vt Augustini verbis vtar) sed absolutè tantùm.* th. 24. *Sed cùm substantiam, sapientiam, Naturam & similia in diuinis apud Augustinum & Hilarium accipi relatiuè videret.* th. 25. *Non erat, cur essentiam negaret relatiuè dici, & ob vnum vocabulum tantas turbas moueret.* th. 26. *Vnde & Cardinali Cameracensi doctissimo inter Scholasticos ista determinatio non iniuria valde displicuit. Hactenus D. Luth.*

177. Sic ergo procedimus. Rectissimè & tutissimè dicitur: Pater gignit Filium, persona producit personam. Iam v. persona est substantia individua, intelligens, incommunicabilis, non sustentata in alio, vt ostendimus suo loco: proinde vocem personæ non accipiamus pro nudo ὑπάρξεως exclusa essentia, sed essentiam diuinam cum certo subsistendi modo nomine personæ denotari statuamus. Proinde si nomen essentiæ accipitur absolutè, prout est tribus personis communis, rectè negatur, quòd essentia generet essentiam: si verò accipitur, vt certo subsistendi modo cuilibet personæ est appropriata, incautè negatur, quòd essentia determinatè (cum certo ὑπάρξεως τρόπῳ in Patre considerata) gignat essentiam (itidem determinatè cum certo ὑπάρξεως τρόπῳ in Filio consideratam.)

178. Quid enim est Pater aliud quàm hæc essentia? (h. e. essentia diuina cum certo ὑπάρξεως τρόπῳ videl. ἀγεννησίᾳ.) at Patet generat, Ergo hæc essentia generat. Pater gignendo totam suam essentiam Filio communicat, id est, quemadmodum essentia diuina est in Patre ἀγεννήτως: ita eadem numero essentia diuina est in Filio γεννητῶς, id quod illa Filij à Patre generatio denotat. Quando ergo dicitur, Essentia (determinatè accepta) gignit essentiam (itidem determinatè acceptam) id sic exponimus: essentia Patris per æternam generationem communicatur Filio, quę posterior locutio non ita exposita est deprauationi, sicut prior: nam in mysterio Trinitatis vt plurimùm essentiæ nomine intelligimus essentiam, prout est tribus personis communis.

Filius an αὐτοθεὸς & αὐτόθεος.

179. Ex his patere potest, quid respondendum sit ad quæstiones illas: Quæritur 1. *An Filius sit* αὐτοθεὸς & ἀυτόθεος? *Resp.* Græci Doctores solum Patrem vocant αὐτόθεον καὶ ἀυτόθεον, non propter essentiæ perfectionem maiorem, quàm sit in Patre & Filio, sed quia est ἀγέννητος & à seipso non per generationem vel spirationem habet Deitatem. *Bucanus* loco 1. de Deo p. 6. ita respondet: *Filius est à seipso, quatenus Deus: à Patre, quatenus Filius*; quòd desumsit *ex Calumo*, qui lib. 1. cap. 13. sect. 25. sic scribit: *Filium quatenus est Deus, fatemur ex seipso esse sublato personæ respectu, quatenus verò Filius est, dicimus esse ex Patre, ita essentia eius principio caret, persona verò principium est ipse Deus.* Sed hæc probare non possumus, quin potiùs cum *Symb. Nicen.* fatemur, *Filium esse à Patre genitum, Deum de Deo, lumen de lumine*, & consideramus dictum Christi Iohan. 5. v. 26. Sicut Pater vitam habet in semetipso, ita & Filio dedit vitam habere in semetipso, Prou. 8. v. 24. dicitur Sapientia genita. Merito ergo à Præceptore hîc discedit *Zacharias Vrsinus*, scribens in Catech. p. 2. q. 25. p. 179. *Filius à Patre est genitus, hoc est, habet essentiam diuinam sibi à Patre ineffabiliter communicatam.* m. *D. Lobech.* disp. 3. in August. Confess th. 26. dicit: *Essentiam considerari duplicitèr, aut quoad se, seu quoad suum Esse, aut quoad sui communicationem: quod ad suum Esse, nullum sui habet principium; quod verò ad sui communicationem attinet, dicimus essentiam principium habuisse à Patre in Filio, nam est à Patre Filio communicata.*

Filius an αὐτοῦ ἐξ ἀναρχος. αὐτοῦ ἐκ αὐαρχος.

180. Quæritur secundò: An Filius sit αὐτοῦ & ἄναρχος *Damasc.* lib. 1. orth. fid. c. 13. esse αὐτοῦ competere Patri, esse ἀπατὸν competere Filio & Spiritui Sancto. Sed enim satiùs est abstinere ab istis vocibus, quòd Filius sit causatum, ne ὁμοουσία Patris & Filij labefactetur. Latini Doctores magis propriè dicunt, quòd Filius *sit principium de principio*, quod Pater *sit persona prima origine, non duratio, &c.*

An Filius sit essentiatus.

181. Quæritur tertiò: An dicendum sit, quòd Filius sit essentiatus. *Resp. Euseb.* lib. 4. demonstr. Euang. ita loquitur, quòd Filius περὶ πάντων αὐτῶν ὧν τῆς θεότητος τὸν Πατέρα αἰτιᾶται καὶ ἀπεργάζεται βουλῇ καὶ δυνάμει ὑπόστασιν

μων: sed abstinendum est ab hac voce, ne labefactetur Patris & Filij ὁμοουσία. *Valent. Gentilis* & complices Tritheitæ asserunt, *Patrem tanquam essentiatorem esse eminentiorem cæteris duabus personis Filio & Spiritu Sancto tanquam essentiatis.* Vide *Gentil.* lib. antidotorum antid. 3. ergo non solùm ab ipsorum blasphema sententia, sed & vocibus abstinere debemus.

CAPVT VI.

De personali Filij à Patre & S.S. distinctione.

Filium esse peculiarem in Trinitate personam.

182. Atque hæc dicta sunt de personali Filij proprietate, quæ est ab æterno à Patre esse genitum: proinde comprobata Filij Deitate, & expositâ personali eius proprietate, restat, vt demonstremus, Filium esse peculiarem in Trinitate personam, à Patre & Spiritu Sancto verè & realiter distinctam: id verò demonstramus. 1. ex personali eius proprietate, quę est à Patre ab æterno genitum esse. Ex eo enim euidenter colligitur, quòd alia persona sit Pater, qui gignit, alia persona Filius, qui generatur. Item, quia S.S. à Filio procedit, ergo alia persona est Filius, qui cum Patre vna spiratione spirat Spiritum Sanctum, alia verò persona S.S. qui à Patre & Filio procedit. 2. Ex opere incarnationis. Filius personali fœdere sibi vniuit humanam Naturam assumtam, non Pater, nec Spiritus Sanctus: vtique ergo Filius est verè & realiter distincta persona à Patre & Spiritu Sancto. *Damasc.* lib. 4. de orth. fid. c. 6. *Tota diuinitas, sed in vna sui ipsius ὑποστάσεων vnita est assumtæ Naturæ*, qua de re plura suo loco. 3. Ex missione. Pater mittit Filium, ergo alia persona est Pater, qui mittit: alia persona est Filius, qui mittitur. Sic Filius vnà cum Patre mittit: alia ergo persona est S.S. qui mittitur. 4. Ex insigni θεοφανείᾳ Matt. 3. v. 16. Marc. 1. v. 10. Luc. 3. v. 21. Ioh. 1. v. 32. Patris vox de cœlo sonat: Filius in assumta carne baptizatur: S.S in specie columbæ descendit. Sic Matth. 17. v. 5. Mar. 9. v. 7. Luc. 9. v. 34. Filius in assumta carne transfiguratur, Patris vox auditur è cœlo: S.S. in nube lucida se manifestat. Vtique ergo Filius, qui baptizatur & transfiguratur, est alia & distincta à Patre & Spiritu Sancto persona. 5. Ex insigni loco Ioh. 5. v. 31. Si testimonium perhibeo de me ipso, testimonium meum non est verum. v. 32. Alius est, qui testimonium perhibet de me, & scio, quia verũ est testimonium, quod perhibet de me. v. 37. Qui misit me Pater ipse testimonium perhibuit de me; cum quo coniungimus locum Ioh. 8. v. 17. In lege vestra scriptum est, quia duorum hominum testimonium verum est. v. 18. Ego sum qui testimonium perhibeo de me ipso & testimoniũ perhibet de me, qui misit me Pater. Hìc Christus manifestè Patrem vocat alium, id est, aliam personam; ac Patris, & suum testimonium vocat testimoniũ duorum, nisi per insignem absurditatem quis dicere velit, inconuenienter Legem Mosaicam à Christo allegatam. 6. Ex locis illis, qui testantur, Deum esse in Christo 2. Cor. 5. v. 19. cum Christo Ioh. 3. v. 28. Act. 10. v. 38. Patrem esse in Filio & Filium in Patre. Ioha. 10. v. 38. c. 14. v. 10. & 11. Patrem esse cum Filio. Ioh. 8. v. 18. Filium esse πρὸς τὸν θεὸν Ioh. 1. v. 1. Patrem esse παρ' ᾧ Ioh. 16. v. 32. his siquidem dictis ostenditur, Filium non solùm esse Patri ὁμοούσιον, sed etiam distinctam à Patre & Filio personam. 7. ex dictis appellationibus, quæ Filio tribuuntur, vocatur enim Filius ὁ Λόγος, Imago, ἀπαύγασμα, μονογενὴς, &c. his siquidem appellationibus personalis ipsius proprietas, & per consequens realis distinctio à Patre & Filio, exprimitur. 8. Denique referenda huc ea omnia, quæ in genere trium personarum Diuinitatis verum & reale discrimen comprobant, & quæ in specie ostendunt, Patrem esse à Filio distinctam personam, Filium esse à Spiritu S. realiter distinctam personam, ex eo enim vi oppositæ relationis sequitur Filium esse à Patre & Spiritu Sancto verè & realiter distinctam personam.

CAPVT VII.

Antitheſis errorum circa hanc doctrinam.

183. Hactenus veram & orthodoxam Ecclesiæ Christianæ de secunda persona Trinitatis sententiam exposuimus, saris quidem copiosè, sed vt spero, non omninò absque fruge. Restat, vt in antitheſi ad certas classes referamus erroneas hæreticorum χριστομάχων opiniones vel potiùs blasphemias. De illis, qui vel humanam Christi Naturam vel personalem diuinæ & humanæ Naturę in ipso vnionem directè vel obliquè labefactant, suus erit dicendo locus, hac vice res nobis erit cum illis, qui πρὸς τὸν Λόγον θεότητα allatrant, quos secuti ductum Dn. D. Mentzeri, Præcept. sequenti ratione distinguimus.

Errones Filio Dei pinientes.

Ebion.

184. Quidã ex illis negant & oppugnant Filij Dei diuinam Naturã simul & personam, asserẽtes τὸν Λόγον esse ἀνυπόστατον, non esse peculiarem personam: aut tantùm negant eius diuinam Naturam. Diuinam eius personam simul & Naturam negant, primò generatim quicunque negant tres verè & realiter distinctas in vnitate essentiæ diuinæ personas; *vt Iudæi recentiores, Praxeas, Sabellius, Samosatenus, Noëtiani, Patripassiani, Photiniani, Mahometistæ, Seruetus & omnes Anti-Trinitarij*, de quibus in Disputatione præcedente diximus: Deinde speciatim, qui dicunt Christum esse ψιλὸν ἄνθρωπον, communem tantùm hominem, in quem Pater inspirarit Λόγον, *vt Cerinthus, Ebion, Samosatenus, Photinus, Mahometus, Seruetus.*

Cerinthus.

185. De Cerintho videatur Irenæus lib. 1. c. 25. vbi sic scribit: *Cerinthus quidam in Asia docuit, Iesum non ex virgine natum (impossibile enim hoc ei visum est) fuisse autem eum Ioseph & Mariæ Filium similiter, vt reliqui omnes homines, & plus potuisse iustitia, & prudentia, & sapientia præ omnibus; & post baptismum descendisse in eum Christum ab ea principalitate, quæ est super omnia, figura columbæ, & tunc annunciasse incognitum Patrem & virtutes perfeciſſe, in fine autem reuolasse iterum Christum de Iesu, & Iesum passum esse, resurrexisse: Christum autem impassibilem perseueraſſe existentem spiritualem.* Eadem tradit de Cerintho Eusebius lib. 3. Hist. Eccles. c. 25. Epiphanius lib. 1. contr hæres. tom. 2. hæres. 28. p. 53. in Græco scribit, Cerinthum docuisse: ἐκ Μαρίας τὸν ἐκ σπέρματος Ιωσὴφ τὸν χριστὸν γεγονῆσθαι καὶ τελευτῆσαι τὸν χριστὸν εἰς αὐτὸν, τουτέστι τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐν εἴδει περιστερᾶς ἐν τῷ Ιορδάνῃ, καὶ ἀποκαλύψαι αὐτῷ καὶ διὰ αὐτὸ τοῖς μὴ εἰδόσιν τὸν ἀγνωστον πατέρα, καὶ ὅτι τοῦτο ἐπειδὴ ἦλθεν ἡ δυνάμις εἰς αὐτὸν αὔξειν δυνάμεις ὅλας ἐτετελεκέναι, καὶ αὐτὸ πεπονθότα· τὸ δὲ θεῖον ἀπ' αὐτοῦ ἀναπτῆναι ὅτι δὲ τὸν Ιησοῦν, καὶ πάλιν ἐγηγερμένον, χριστὸν δὲ τὸν ἄνωθεν ἐλθόντα εἰς αὐτὸν ἀπαθῆ ἀναπαύσασθαι· ὅθεν τὸ κατελθὸν ἐν εἴδει περιστερᾶς, καὶ τὸν Ιησοῦν ἔχειν. Hæc Epiphan. quæ per omnia consentiunt cum Irenæi narratione. Ibid. p. 54. tradit Epiphanius, Cerinthum ἄνθρωπον καὶ ἀνόητον διδάσκαλον docuisse, χριστὸν πεπονθέναι καὶ ἐσταυρῶσθαι, μὴ πεπονθέναι δὲ ἐγηγέρθαι, μέλλειν δὲ ἀναστάσεσθαι, ὅταν ἡ καθόλου γένηται νεκρῶν ἀνάστασις. pa. 55. Κηρινθιάνους etiam dictos esse, Μηρινθιάνους, ἤτοι ἀπὸ

Mahometus.

(Κηρινθος

(Κήρινθος) ἢ Μήνιθος, ἢ ἄλλος τις αὐτῷ συνεργὸς τὰ ὅμοια αὐτῷ φρονῶν καὶ συμπαραπίπων, καὶ τὰ ἴσα, οὐδὲν διαφέρει. Auguſt. de hæreſ. ad Quoduult. tom. 6. hæreſ. 8. *Cerinthiani à Cerintho, iidemque Merinthiani à Merintho, Ieſum hominem tantummodò fuiſſe, nec reſurrexiſſe, ſed reſurrecturum aſſeuerantes.* Plures Cerinthi errores vide locis allegatis, Iren. lib. 3. contra hæreſ. cap. 3. commemorat, Polycarpum talem recitaſſe Hiſtoriam de Iohanne Apoſtolo & hoc Cerintho hæretico, *quòd Iohannes Domini diſcipulus in Epheſo iens lauari, cùm vidiſſet intus Cerinthum, exilierit de balneo non lotus, dicens, quòd timeat, ne balneum concidat, cùm intus eſſet Cerinthus inimicus veritatis.*

Ebion. 186. De Ebione ita ſcribit Irenæus lib. 1. cap. 26. *Ea, quæ ſunt erga Dominum non ſimiliter, vt Cerinthus & Carpocrates, opinantur* (Ebionæi) lib. 3. c. 24. *Ebionæi ex Ioſeph Chriſtum generatum eſſe dicunt*, lib. 4. cap. 59. *Iudicabit Chriſtus Ebionitas, quomodo enim poſſunt ſaluari, niſi Deus eſt, qui ſalutem illorum operatus eſt ſuper terram? & quemadmodum homo tranſiet in Deum, ſi non Deus in hominem?* lib. 5. non longè à principio pag. 539. *Vani ſunt & Ebionæi, vnitionem Dei & hominis per fidem non recipientes in ſuam animam, &c.* Quibus conformia tradit Euſebius lib. 3. Hiſt. cap. 24. & 27. Epiphan. lib. 1. contra hæreſ. tom. 2. hæreſ. 30. pag. 59. in Græc. Ebionem vocat πολύμορφον τέρας τῶν μυθολογουμένων πολυκεφάλων ὕδρας ὁμοίως μορφὴν ἐν ἑαυτῷ αὐτὸν πεπλασμένον. Eſt poſtea: Σαμαρειτῶν ἔχει τὸ βδελυκτὸν, Ιουδαίων δὲ τὸ ὄνομα, ὀσαίων δὲ τῆς Ναζαρηνῶν τῶν γνώμην, Χριστιανῶν δὲ τοῦ εἴδους, Καρποκρατιανῶν τὴν κακοτροπίαν, καὶ χριστιανῶν βάλλεται ἔχων τὴν θεοσηβείαν, &c. ἐκ παρθενικῆς καὶ ἀπείρου τοῦ ἀνδρὸς, τοῦτέστι τὸν Ιωσὴφ τὸν χριστὸν γεγονὼς ἤδεται ἐλεγχόμενος. pag. 60. πάντες οὖν αὐτῶν (τῶν Ἀδὰμ τὸν Χριστὸν εἶναι) παθητὰ τε καὶ ἐμφυσητὰ ὑπὸ τῆς τοῦ Θεοῦ ἐπιπνοίας. ὅμοιοι δὲ ἐν αὐτοῖς λέγουσιν, ἀΐδιον μὲν ὄντα, ὡς πατὴρ ὁ ἐν κλιδεῖ τὰ πάντα πνεῦμα ὄντα, ὡς καὶ ἀγγέλους ὄντας, παθητὰ τε κυρίως ὄντα, καὶ χριστὸν λέγουσι, τὸν οἰκείοις δὲ αἰῶνα πεκληρωθῆναι ἔρχεσθαι δὲ ἐν τοῖς καθ' ἡμᾶς βεβλέπειν. ὡς καὶ ἐν τῷ Ἀδὰμ ἦλθε, καὶ τοῖς πατριάρχαις ἐφάνη τοῖς προφήταις τε σῶσαι, ὡς Ἀβραὰμ τε ἐλθὼν καὶ Ἰσαάκ, καὶ Ἰακώβ, ὁ αὐτὸς ἐπ' ἐσχάτων τῶν ἡμέρων ἦλθε, καὶ αὐτὸ τὸ σῶμα τὸ Ἀδὰμ ἐνεδύσατο, καὶ ὤφθη αὐτοῖς, καὶ ἐσταυρώθη, καὶ ἀνέστη. καὶ ἀνῆλθεν. πάλιν δέ ἐστε βάλλονται, λόγῳ καὶ ἔργῳ εἰς αὐτὸν ἦλθε τὸ πνεῦμα, ὅπερ ἐστὶν ὁ χριστὸς καὶ ἐνεδύσατο αὐτὸν τὸν Ιησοῦν καὶ λαλεῖν. Καὶ πολλὴ παρ' αὐτοῖς σκότωσις, ὡς δὴ ἄλλως καὶ ἄλλως αὐτὸν ὑποδεδυκότος. Hæc Epip. ex quibus colligi poteſt, quare Ebionem in principio capitis nominet πολύμορφον, nimirum, quia ipſe & aſſeclæ eius (more hæreticorum omnium) inconſtantes fuerint in ſua ſententia, Auguſt. de hæreſ. ad Quoduultd. hæreſ. 10. *Ebionæi Chriſtum tantummodò hominem dicunt.*

Mahometus. 187. De Samoſateno & Photino diximus ſuperiori diſputatione. Mahometus in ſuo Alcorano (quem circa An. 610. tempore Herachi, vſus opera *Sergij Monachi Neſtoriani, & Iohannis Antiocheni* & Iudæi cuiuſdam *Selam Aſtrologi*, compoſuit & in 124. azoaras ſeu capitula diuiſit) affirmat *Chriſtum eſſe magnum Prophetam & Legislatorem, cui DEVS ipſe animam ſuam inſpirarit, ſed tamen non eſſe verè Dei Filium.* Natus eſt autem hic Mahometus in Itraripa, quæ ad Metropolin Arabiæ Mecham pertinet, ex humili proſapia, Patris nomen fuit Abdela, matris Emina, in puericia venditus eſt à mangonibus Abdimenepli mercatori ditiſſimo, cuius viduam poſtea in matrimonium duxit, & acquiſitis hac ratione ingentibus diuitiis poſt modùm Principis cuiuſdam Arabici filiam matrimonio ſibi iungi curauit. Subiugatis prouinciis compluribus & hac ratione Iudæis, Chriſtianis atque Ethnicis in poteſtatem ſuam redactis communem aliquam & omnibus conuenientem religionis formam eis præſcribere voluit in ſuo Alcorano, quem à Gabriele Angelo ſibi dictari nugabatur impoſtor peſſimus.

188. De *Seruето* diximus itidem ſuperiùs, cuius diſcipuli ſunt recentiores illi ſiue *Ebionitæ*, ſiue *Samoſateniani*, ſiue *Photiniani* in Polonia & Tranſſyluania, quorum de Chriſti perſona blaſphemam doctrinam *in Catecheſi ſua Racouienſi*, non ita pridem expoſitam, hactenus ſatis copioſè refellimus. Reſtat igitur, vt tranſeamus ad illos hæreticos, qui concedunt quidem filio Dei perſonam ante incarnationem, ſed negant diuinam eius Naturam. Sunt autem illi in duplici differentia, quidam id faciunt directè & expreſsè, quidam obliquè. Directè Naturam diuinam Filij negabat *Arius Presbyter* Alexandrinus circa annum Chriſti 320. Cùm enim Patres in Synodo Antiochena Samoſateni errorem ſolidè refutaſſent, Arius inſtinctu Satanæ aliam ingreſſus eſt viam: conceſſit λόγον eſſe ὑπόστατον ſiue certam perſonam, ſed negauit Patri eſſe ὁμοούσιον. De Hiſtoria & Doctrina Arij extant integri libri & tractatus *Euſebij, Epiphanij, Athanaſij, Auguſtini, Baſilij* & aliorum. Damnatus autem eſt Arius in Synodo Vniuerſali Nicena Anno 325. in qua 318. Epiſcopi congregati erant. Porrò, vt de Arij hæreſi rectiùs iudicare poſſimus, in certas quaſdam hypotheſes *D. Rungius* Theol. clariſſ. in diſp. de Arianiſmo eam contraxit. Prima erat: Chriſtus ſiue λόγος eſt mera creatura, donis autem ac virtutibus omnem tùm humanam, tùm Angelicam Naturam ſuperantibus exornata. 2. Chriſtus propter dona ac virtutes iſtas Filius Dei in Scripturis appellari meruit. 3. λόγος creatus eſt ἐν μὴ ὄντων, quanquam nonnulli ex ſchola Arianorum λόγον ex præexiſtente quadam materia creatum eſſe affirmabant. Aug. 3. contra Max. cap. 14. 4. λόγος non eſt Natura Filius Dei, ſed tantùm factus. Theod. l. 1. Hiſt. c. 4. 5. Filius Dei non eſt ὁμοούσιος Patri, ſed ἑτερούσιος diuerſæ Naturæ & eſſentiæ à Patre. 6. Filius Dei non eſt Patri coæternus, neque ſemper fuit cum ipſo, ſed fuit aliquando tempus, cùm non eſſet Filius. Baſil. orat. 1. de Fil. 7. Filius Dei nullam habet poteſtatem, niſi ex creatione & donatione acceptam. Athan. orat. contr. Arian. 8. Filius Dei non perfectè agnouit Patrem, neque nouit arcana Patris, niſi quando Pater ei reuelat. 9. Filius Dei in carne non eſt adorandus. 10. Filius Dei libertate voluntatis ſuæ in bonum & malum proclíuis fuit. Theod. lib. 1. c. 9. 11. Filius Dei in ſua eſſentia paſſibilis fuit & mortalis. Filius Dei habet regnum cum hoc mundo interiturum. De miſerabili interitu Arij vid. *Ruffin.* lib. 10. cap. 12. & 13. *Theodor.* lib. 1. cap. 14. *Socrat.* lib. 1. cap. 37. & 38. *Niceph.* lib. 8. cap. 5. *Tripart.* lib. 3. c. 10. *Sozom.* lib. 2. c. 29.

Seruetus. Arius.

189. Eunomius Aëtij Ariani Notarius, & diſcipulus poſtea Cyzizi Epiſcopus, *corpore & animo leproſus*, vt ait *Ruffinus* circ. ann. 354. docuit, Filium eſſe Patri diſſimilem in potentia & operatione, vnde ſectatores eius Ἀνόμοιοι, Aëtiani, & Eunomiani dicti ſunt. *Socrat.* lib. 2. cap. 35. *Tripart.* lib. 5. cap. 13. & ſeq. *Niceph.* lib. 11. cap. 11. Latè diſſerit de Aëtio & eius aſſeclis Anomæis *Epiph.* tom. 1. lib. 3. contra hæreſ. p. 388. & ſeq. vbi inter cætera dicit, quòd Aëtius fuerit Ἀρειανὸς βαθύτατος, ac docuerit τὸν υἱὸν ἀνόμοιον τῷ Πατρὶ ὑπάρχειν, καὶ ἐκ πάντων ἕξ) τὴν θεότητα πρὸς τὸν πατέρα, &c. *Aug.* tom. 6. de hæreſ. ad Quoduultd. hæreſ. 54. *Aëtiani ab Aëtio ſunt vocati, iidemque Eunomiani ab Eunomio Aëtij diſcipulo, quo nomine magis innotuerunt, Eunomius quippe in Dialectica prævalens, acutiùs & celebriùs defendit hanc hæreſim, diſſimilem per omnia Patri aſſerens*

Eunomius. Aëtius.

Filium & Filio Spiritum Sanctum.

Valentinus Gentilis.

190. Obliquè diuinam τὸ λόγε Naturam impugnant Tritheitæ, inter quos præcipuus est *Valentinus Gentilis*, qui docuit, *tres esse numero Deos essentiis inter se diuersos: Patrem vocauit essentiatorem, Filium Dei & Spiritum S. dixit essentiatos.* Vide libr. antid. ipsius antid. 3. & Prothesi 11. & seqq. vbi scribit: *Patrem solum esse ipsam veram essentiam & Naturam diuinitatis: Filium & Spiritum S. non esse essentiam diuinam, sed essentiæ proles, & quidem ipsa essentia longè inferiores pro modulo generationis vel propagationis definitas & circumscriptas.* Supplicio affectus est Bernæ Heluetiorum Ann. 67. dum in carcere seruabatur, gloriari consueuerat, *Martyres cæteros pro Christi gloria mortuos, se autem primũ omnium pro eminentia Dei Patris mortem oppetere:* at vbi nuncium mortis accepit, ita expauit, atque expalluit, vt omnes supplicij euadendi vias quæsiuerit. *Ab hu & similibus furoribus Ecclesiam suam liberet & defendat Iesus Christus, qui cum Patre & Spiritu S. viuit ac regnat vnus verus Deus in secula benedictus, Amen.*

DE SPIRITV SANCTO.

I.

Connexio cum loco præcedente.

EGIMVS hactenus de Deo Patre & Filio ab æterno à Patre genito: restat, vt de Spiritu sancto tertia Sacrosanctę Trinitatis persona, qui ab æterno à Patre & Filio procedit, pari perspicuitate & diligentia disseramus, eiusdemque 1. Veram cum primis Deitatem. 2. Deinde personalem proprietatem. 3. Denique personalem à Patre & Filio distinctionem, eodem, quo in superioribus vsi sumus, ordine, ex Scripturis sanctis proponamus & demonstremus.

CAPVT I.

De variis significationibus vocis Spiritus.

2. Antequam verò rem ipsam aggrediamur, προγινωσκόμενον loco hæc duo erunt exponenda, primò ambiguitas vocis Spiritus discutienda erit, secundò demonstrandum, Spiritum sanctum esse non primam, nec secundam, sed tertiam in diuinitate personam. *Prioris membri* ἐρμηνείαν ipsa necessitas cum vtilitate non mediocri coniuncta à nobis requirit: ἀναίτιον τὴν ἀβασανισίαν ἀοριστως ἔχειν, ἂν τις πρὸ διαιρεμένω πολλαχῶς ὡς ἀδιαιρέτω χρῆται, ἄδηλον γὰρ ποίαν φύσιν αὐτῷ συμβαίνει τὸ λεχθέν, ait *Philosophus* 1. de cœlo ca. 11. text. 110. *perturbatus ac confusus nominum vsus rerum quoq; confundit notitiam*, teste *Galeno* 3. de simpl. med. facult. ca. 12. ὅθεν ὀνομάτων τῶν μὲν σοφιστὴ χρήσιμοι ὁμωνυμίαι, τοῖς δὲ παῦσαι γὰρ κακοῖς, ait iterum *Philosophus* 3. Rhetor. c. 2. id quod etiam hoc loco accidit, quia totum delirtum τῶν πνευματομάχων fuit fallacia figuræ dictionis, hoc est, abutebantur illis locis, vbi vocabulum *Spiritus* in alia significatione vsurpatur, teste *D. Chemnit.* p. 1. loeor. p. 228. *Posterioris membri* expositio ordinis rationem manifestabit.

πολυσημία vocabuli Spiritus.

3. *Augustinus* de cognitione veræ vitæ c. 4. (modò is autor sit istius tractatus) de πολυσημία vocabuli Spiritus ita disserit. *Sex modis in Scripturis Spiritus substantialiter dici non nescio à vobis sciri. Primò summus omnium Deus Spiritus appellatur, vt ibi:* Spiritus est Deus, *Ioh. 4. Secundò Angeli Spiritus dicuntur, vt ibi:* Qui facit Angelos suos Spiritus *Psal. 103. Tertiò animæ Spiritus nuncupantur, vt ibi:* Exibit Spiritus eius, & caro reuertetur in terram *Psa. 145. Quartò vita brutorum animalium Spiritus vocatur, vt ibi:* Quis scit, si Spiritus iumentorum descendat deorsum? *Eccl. 3. Quintò venti dicuntur Spiritus, vt ibi:* Spiritus procellarum, *Psal. 10. Sextò aër scribitur Spiritus, vt ibi:* Os meum aperui & traxi Spiritum, Psal. 118. Idem ferè repetitur 12. *de Genesi ad lit. cap. 7. Spiritus dicitur aër iste, vel flatus eius, id est, motus eius Psal. 148. dicitur etiam Spiritus anima siue pecoris, siue hominis. Eccl. 3. dicitur Spiritus & ipsa mens rationalis, vbi est quidam tanquam oculus animæ Eph. 4. dicitur Spiritus etiam Deus Ioh. 4. Vide etiam Epist. 174.* li. 4 de anim. & eius orig. c. 22. &c.

4. Plenius enumerat varias huius vocis significationes *D. Chemn.* parte 1. locor. comm. loc. 3. de S.S. ca. 11. Vocabulum *Spiritus* (inquit) primo in genere significat *Naturam seu vim agitantem.* Vt Ezech. 1. v. 20. cap. 37. v. 7. 2. Significat *ventos* Psa. 147. v. 18. Ps. 11. v. 6. 3. Significat *vitam seu animam hominis* Matth. 27. v. 50. Act. 7. v. 59. Luc. 8. v. 55. Iacob. 2. v. 26. Psa. 146. vers. 4. Eccl. 3. v. 21. 4. Significat *Angelos* Hebr. 1. v. 14. Ps. 104. v. 4. Hebr. 12. v. 9. Luc. 24. v. 37. & 39. Luc. 11. vers. 26. 5. Significat *motus seu impetus hominum creatos seu bonos seu malos.* Ps. 76. v. 13. Prou. 17. v. 22. Esa. 19. v. 14. Oseæ 4. v. 12. Exod. 31. v. 3. 6. Est nomen commune Patri & aliis personis diuinitatis Iohan. 4. v. 24. 7. Est nomen peculiare & proprium tertiæ personæ diuinitatis. 8. Sæpè etiam *pro donis Spiritus* non pro persona ponitur. 2. Reg. 2. v. 9. Num. 11. v. 17.

De operibus gratiæ.

Vox Spiritus & litera.

Vsurpatur 1. De Deo.

5. Sed enim vt distinctiùs hac de re agamus, ita procedimus. Vocabulum *Spiritus* accipitur 1. De Deo & diuinis operationibus. 2. De Angelis. 3. De hominibus. 4. De creaturis aliis irrationalibus & inanimatis. *Quando de Deo vsurpatur vox Spiritus*, indicatur vel essentia Dei, vel ipsius operationes Si essentiam Dei notat, tripliciter id accidit. 1. Exprimit essentiam tribus Diuinitatis personis communem. Ioh. 4. vers. 24. *Deus est Spiritus:* quò referri posse videtur locus Esa. 31. v. 3. *Ægyptus homo est, non Deus: equi ipsorum caro, non Spiritus*, vbi oppositio hominis & Dei, carnis & Spiritus docet Deum esse Spiritum. 2. Notat diuinam Naturam Filij. Rom. 1. v. 4. *Christus est demonstratus Filius Dei in virtute secundùm Spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum* (resurrexit Christus virtute propria diuinæ suæ Naturæ, ideò in resurrectione se Dei Filium potenter ostendit: potest tamen etiam locum habere hæc explicatio, quòd Christus post suam ex mortuis resurrectionem & ascensionem miserit Spiritum sanctum, qui per verbum in toto terrarum orbe Christum glorificat, & Filium Dei esse testatur) 1. Petr. 3. v. 18. *Christus mortificatus carne, viuificatus Spiritu.* Disputiendum erit, an huc referri possit locus 1. Cor. 15. v. 46. *factus est primus homo Adam in Spiritum viuentem: nouissimus Adam in Spiritum viuificantem* (sicut ex Adamo generis nostri origine vitam naturalem participamus, ita ex Christo spiritualem, cùm assumta humana Natura Christi diuinæ personaliter vnita & plenitudine Spiritus sancti vncta sit, vt ex ipsius plenitudine accipere possimus. Ioh. 1. v. 16.) 3. notat tertiam sacrosanctæ Trinitatis personam, in qua significatione hoc loco à nobis accipitur.

De diuinis operationibus.

6. Quando vox *Spiritus* de diuinis operationibus accipienda est, significat 1. *Iram Dei*, vt enim in vehementi iræ commotione homo fortiùs ducit Spiritum Act. 9. v. 1. σαῦλος ἔτι ἐμπνέων: ita ἀνθρωποπαθῶς

Dei

Dei ira vocatur *Spiritus*. Iob.4.v.9. *Flatu Dei pereunt, & Spiritu furoris eius* deficiunt. Psal.139.v.6. *Quò ibo à Spiritu tuo, & quò fugiam à facie tua?* (nec tamen improbamus, si quis cum veteribus hunc locum ad tertiam personam Trinitatis referre velit, vox faciei ἐξηγητικῶς addita confirmat priorem explicationem) Esa.4.v.4. *Deus abluet sordem filiarum Sion in Spiritu iudicij & Spiritu excisionis* (Christus zelo iudicij exardescet aduersus hostes. Confer Es.63.v.4. Mal.3.v.2.) Esa.29.v.10. *Miscuit vobis Deus Spiritum soporis*, hoc est, in ira sua vos excœcauit, confer 2.Thess.2.vers.11. Sic Mich.2.v.7. domus Iacob ita dicit: *nunquid abbreuiatus est Spiritus Iehouæ?* Deus non est tàm breui Spiritu, tàm pronus ad iram, sed est longanimis, non ergo puniet nos, ita dicunt securi homines, & hac ratione μακροθυμίᾳ Dei abutuntur ad sui perniciem. Rom.4. vers.5.) 2. *Pœnas diuinas*, quæ sunt indicia & effecta iræ. Psalm.55.vers.9. *Festinarem eruere me à Spiritu, qui excitatur à turbine*. Esa.27.vers.8. Ierem.4.v.12. Ezech. 13.v.13. 3. *Opera gratiæ*, quæ Spiritus Sanctus in hominibus efficit.

De operibus gratiæ.

7. Quando voce Spiritus opera gratiæ in hominibus exprimuntur, illud fit vel generaliter vel specialiter. *In generali significatione* vox Spiritus 1. opponitur carni, vbi denoat renouationem & motus illos spirituales, quos in credentibus & regeneratis efficit Spiritus sanctus Ezech.11.v.19. *Dabo vobis Spiritum nouum*. c.18.v.31.cap.36.v.26. Matth.26.v.41. *Spiritus promptus, caro autem infirma*. Luc.9.v.55. Ioh.3.vers.6. *Quod de carne natum, caro est: quod de Spiritu natum, Spiritus est*. c.6.v.63. *Spiritus est, qui viuificat, caro non prodest quicquam*. Rom.8.vers.1.4.10.14. Gal.5.v.17.c.6.v.8. Ephes. 4. vers. 23. 2. Opponitur literæ, vbi quidem plerique veterum nomine literæ intelligunt sensum literalem, nomine Spiritus sensum allegoricum, quem ob id vocant Spiritualem, sed Scriptura nusquam (quod ego sciam) ita loquitur, vt per Spiritum intelligat allegorias. Rom.7.v.14. *Lex* dicitur *spiritualis*, vbi non agitur de Ceremonialibus vel Leuiticis legibus, quòd illæ sint allegoricè exponendæ, sed de lege morali, quæ dicitur spiritualis, quia interiorem & exteriorem obedientiam, ac spiritualem hominem requirit. Sed quando Scriptura opponit literam & spiritum, nomine literæ intelligit legem quæ vocatur *litera occidens* 2.Cor.3.v.6. quia præcribit quidem homini, quid agendum, quid omittendum, sed non dat Spiritum & virtutem perficiendi, non renouat hominem, ideoque est & manet litera mortua; quin imò non solùm hominem nec renouat, nec consolatur, sed etiam *peccatum arguit* Rom.3.v.20. *& sic iram operatur* Rom.4.v.15. hoc est, iram Dei homini denũciat, ac proinde non est solùm mortua, sed etiam *occidens litera*, quod Apostolus Rom.7. v.8. & seq. pulcerrimè explicat. Nomine autem *Spiritus* intelligitur doctrina Euangelij, per quam Spiritus S. hominem erigit, & legem Dei in cor eius scribit Ier.31.v.33. hoc est, renouat eum, *vt delectetur lege Dei secundum interiorem hominem*. Rom.7.v.22. hinc ergo intelligi poterunt Scripturæ loca. Rom.1.v.27.28.c.7.v.6. 2.Cor. 3.v.6.7. Phil.3.v.3. quò referri etiam possunt Ioh. 4. v.23.cap.6.v.63.

Vox Spiritus vsurpata 1. De Do

Spiritus & litera.

8. Porrò si de oppositione literæ & Spiritus in genere dicatur, facilè concedimus, nomine literę intelligi posse exteriorem illum legis corticem, quando legis moralis præcepta accipiuntur de externis tantùm operibus, quę etiam homo nondum renatus præstare potest, item quando leges Ceremoniales tantùm secundùm sensum literalem exponuntur: nomine autem Spiritus verum illum & interiorem legis sensum, quem Spiritus sanctus intendit, quòd scilic. non solùm exteriorem qualemcunque, sed etiam interiorem & spiritualem cordis obedientiã requirat, quodque in Leuiticis Ceremoniis præfiguretur Christus. Deinde hominibus carnalibus & Lex & Euangelium est & manet litera, quamdiu enim securè obtemperantur concupiscentiis carnis & Spiritui sancto pertinaciter resistunt, nec Legis nec Euangelij doctrina eis prodest. Denique nomine literę intelligi potest externa illa obedientia, quam etiam nondum renati præstant, & sic in vetustate literæ seruiunt: nomine Spiritus intelligi potest interior illa & spiritualis obedientia, quam renati præstant, & sic in nouitate Spiritus Deo seruiunt, quæ significatio valdè affinis est ei, in qua Scriptura literam & Spiritum opponit.

9. Ad generalem illam vocis *Spiritus* pro operibus gratiæ, quæ Spiritus S. efficit, significationem etiam hoc referri potest, quòd Spiritus nomine 3. intelligitur prædicatio verbi vel in genere, vel in specie prędicatio Euangelij, quæ est *ministerium Spiritus* 2.Cor.3. v.6. Sic Esa.11.v.4. de Messia prædicitur, *quòd percussurus sit terram virga oris sui, & Spiritu labiorum suorum interfecturus impium* (potest tamen etiam rectè exponi de tertia Trinitatis persona, verbum enim & Spiritus S. sunt coniuncta) 2.Thess.2.v.8. *quòd Spiritu oris interfecturus impium*.

10. In specie vox *Spiritus* pro operibus gratiæ vsurpatæ denotat. 1. Varia illa χαρίσματα, quæ in credentibus operatur Spiritus sanctus, de quibus 1. Cor.12. v.4. & seqq Sic Esa.11.v.2. *mentio fit Spiritus sapientiæ, intellectus, consilij, fortitudinis, cognitionis, timoris*, non quasi tot sint Spiritus, sed quia tot sunt vnius Spiritus distinctæ operationes: Num.5.v.14. *Spiritus Zelotypiæ*: Esa.28.v.6. *Spiritus iudicij*. Malach.2.vers.15. *Abraham erat magni Spiritus*, id est, magnis donis Spiritus ornatus. Luc.1.ver.80.cap.2.v.40. *Spiritu crescere*. 1.Corin. 4.vers.21. Gal.6. vers.1. *Spiritus mansuetudinis*. 2.Cor. 4.v.13. *Spiritus fidei*. Ephes.1.v.7. *Spiritus sapientiæ & reuelationis*. 2.Tim.1. vers.7. *Spiritus roboris, dilectionis & modestiæ*. Apocal.1.v.4. mentio fit *septem Spirituum* (numerus septenarius est perfectionis, intelliguntur ergo varia Spiritus χαρίσματα.) 2. Peculiaria illa dona, quæ in Apostolis & credentibus operatus est Spiritus S. super quos visibiliter effundebatur. Ioh.7.v.39. *Spiritus sanctus nondum erat*. Actor.1.vers.5. *baptizabimini Spiritu sancto*. Apoc.19.v.6. *neque si Spiritus sanctus est, audiuimus*, &c. 3. Donum Prophetiæ, & sapientiam in docendo & gubernando necessariam. Num. 11.v.17. *ponam de Spiritu tuo super septuaginta seniores*. 2.Reg.2.v.9. Elisæus rogat *duplicem Eliæ Spiritum*, id est, duplicia dona, Dan.5.v.12.cap.6.v.3. *Spiritus amplior in Daniele*. 1.Cor.14.v.32. *Spiritus Prophetarum sunt Prophetis subiecti*. 1.Thess.5.v.19. *Spiritum nolite extinguere*, id est, Prophetiæ non debent simpliciter repudiari, antequam probentur. 4. Spiritualem vnionem regeneratorum cum Deo 1.Cor.6.v.17. *Qui Domino adhæret, est vnus Spiritus cum eo*. Ephes.4.v.3. *vnitas Spiritus*. 5. Visiones variis Dei factas, Ezec.37.v.1. *ducebar in Spiritu* 2.Thess.2.v.2. *Nolite commoueri neq; per Spiritum*, id est, per eum, qui iactat diuinas reuelationes Apocal.1.v.10. *Eram in Spiritu*, cap.4.v.2.cap.17.v.3. cap.21.v.10.

2. De Angelis.

11. Hactenus de prima classe significationum vocis *Spiritus* egimus, sequitur altera, ad quam referenda illa Spiritus significata, quando accipitur de Angelis. Accidit illud dupliciter, quandoq; enim essentia, quandoq; operatio Angelorum voce *Spiritus* exprimitur. Essentiam Angelorum notat vel in genere, vel in specie. In genere, si tàm bonos quàm malos

Angelos nomen Spiritus complectitur, Ps.104.v.4. *facit Angelos suos Spiritus* Act.23.v.8. In specie tribuitur Angelis 1. Bonis Heb.1.v.14 sunt λειτουργικὰ πνεύματα. 2. Malis, qui dicuntur, 1. *Spiritus* in genere 1. Reg. 22. v.21. 2. Par.18.v.20. Matth.8.v.16. Marc.9.v.20. Luc. 9.v.39. c.10.v.20. Act.16.v.18. Eph.2.v.2. 2. *Spiritus Dei*, quippe à quo in principio boni sunt creati, & quia coguntur eius imperio esse subiecti. 1. Sam.16.v. 23. 3. *Spiritus mali* Iudic.9.v.23. 1. Sam.16.v.15. & seq. 1. Sam.18. vers.10. Luc.7. vers.21. &c. 4. *Spiritus impuri* Zach.13. vers.2. Matth 10.v.1. &c. 5. Variis etiam epithetis propter varias operationes circumscribuntur, *Spiritus mendacij* 1. Reg.22.v.22. *Spiritus mutus* Marc. 9.v.17. *Spiritus ægritudinis* Luc.13.v.11. *Spiritus fornicationis* Ose.4.v.12. *Spiritus vertiginis* Es.19.v.14. *Spiritus pythonis* Actor 16.vers.16. &c. possunt etiam hæc dicta referri ad classem dictorum, quæ nomine Spiritus operationes Spiritus intelligunt, quia Spiritus vertiginis nihil aliud est, quàm vertigo à malo Spiritu excitata, &c. præcipuè verò huius loci est significatio illa, qua nomen Spiritus accipitur pro spectro, quod nihil aliud est quàm glaucoma & præstigiæ Diabolicæ Luc.24.v.36.39.

3. *De hominibus.*

12. Quando iuxta classem tertiam vox Spiritus ad homines refertur, denotat 1. eum, qui profitetur se ex impulsu Spiritus loqui. 1. Tim.4.ver.1. *quidam adhærebunt Spiritibus deceptionis* 1. Ioh. 4. v.1. *probate Spiritus* 1. Cor.12.v.10. *cuidam datur χάρισμα discernendi Spiritus, &c.* 2. *Animam hominis* Psal.31. vers.6. *In manus tuas commendo Spiritum meum.* Psal.146.v.4. Eccles.3.v.21. c.8.v.8. c.12.v.7. Esa.42.v.5. Zach.12.v.1. Luc.8.v.55. *reuersus est Spiritus eius.* c.23.v.46. Act.7.v.59. Cor.5. v.5. *vt Spiritus salua fiat* (id est, vt anima conseruetur, qui tamen locus fortassis rectiùs accipitur de interiori homine propter oppositionem carnis & Spiritus) Hebr.12.v.23. *venistis ad Spiritus perfectè iustorum, &c.* 3. Superiorâ animæ regeneratæ & renouatæ facultatem, per quam homo adhæret Deo, & ductum Spiritus sequitur. Luc.1. vers.47. *Exultauit Spiritus meus in Deo.* Rom.8. ver.16. *Spiritus reddit testimonium Spiritui nostro.* 1. Thes.5.v.23. *Spiritus vester cum anima & corpore seruetur integer.* Hebr.4.v 12. *verbum Dei diuidit animam & Spiritum*: pertinent hûc loca omnia, in quibus Spiritus ab anima quodammodo distinguitur. 4. Vitam & respirationem in homine, quæ est operatio animæ. Iob.10. vers.12. *Visitatio tua custodit Spiritum meum.* Iacob.2. vers.26. *corpus absque Spiritu mortuum est.* 5. Spiritus animales in homine, qui conseruant robur virium. Genes.45. vers.27. *reuiuiscebat Spiritus eius.* Iudic.15. vers.20. Iob.6. vers.4. *furor Dei exorbet Spiritum meum.* cap.9. vers.18. 1. Sam.30.v.12. Psalm.76. vers.13. 1. Cor.16.v.18. 2. Cor.7.v.14. *refecerunt Spiritum, &c.* 6. Motus cordis, id est, intellectus & voluntatis, quia nomine cordis intellectum & voluntatem Scriptura denotat. 2. Reg.19. vers.7. 1. Paral.5. vers.26. *suscitauit Deus Spiritum Regis Assyrij*, 2. Paral. 21. vers.16. Ps.32.v.2. Psa.51.v.12. *Spiritum rectum innoua in visceribus meis.* v.19. *sacrificium Deo Spiritus contritus, &c.* Hæc significatio in Scripturis frequentissima est.

4. *De creaturis irrationalibus.*

13. Quarta & vltima classis complectitur ea significata, in quibus vox Spiritus transfertur ad creaturas inanimas & irrationales, vbi primò in genere notat animas viuentium. Genes.6. vers.17. *Perdam omnem carnem, in qua est Spiritus viuens.* cap.7. vers.15. Num. 16. vers.22. *Deus est Deus Spirituum vniuersæ carnis.* Iob. 12.v.10. cap.34. vers.14. Psalm.150. vers.6. *Omnis Spiritus laudet Dominum.* Eccl.3.v.21. &c. Secundò vsurpatur pro vento. Gen.8.v.1. Exod.15. ver.10. in hac significatione vox רוח occurrit sæpiùs. Denique *pro quauis vi agitante accipitur.* Ezech.1. vers.20. *Spiritus vitæ erat in rotis.* cap.37. vers.7. *cùm Spiritus ingreditur in ossa, fit commotio.*

14. Si quæras, cui bono distinctas illas vocis Spiritus significationes enumerasse & obseruasse? *Respon.* præterquam quòd sophismatum Macedonianorum solutio ex hoc principio potissimùm arcessenda est, etiam huic vsui ista poterunt esse, vt in Scripturæ interpretatione inoffenso pede progredi possimus, monente enim Auerrhoë *æquiuoca, antequam distinguantur, in artibus & scientiis pariunt difficultates. Gauasset.* lib.1. rerum præternatural. cap.16. cùm *pariant conceptuum multiplicitatem, Fonsec.* 4. Metaph. cap.2. qu.2. sect.5.

15. Antequam ad posterioris προγνωσκομένης explicationem accedamus, & Spiritum Sanctum esse tertiam Trinitatis personam comprobemus, excutiendæ erunt *quæstiones duæ: Prior*, vnde agnosci possit, quando nomen Spiritus pro tertia Trinitatis persona in Scripturis vsurpatur? *Posterior*, quare Spiritui sancto hoc nomen tribuatur? *Ad prius quæsitum respondemus*, ex descriptionibus additis, & ex textus circumstantiis sine magno negotio obseruari posse, quænam sit genuina vocis Spiritus significatio in quolibet Scripturæ loco, quam regulam tradit Dn. *Chemnic.* parte 1. locorum c. de Spiritu sancto pag.229. Quæst.

16. *Origen.* lib.1. περὶ ἀρχῶν c.3. proponit hunc Canonem. *Quidam ex prædecessoribus nostris in Nou. Test. obseruant, quod sicubi Spiritus nominatur sine adiectione, quæ assignet, qualis sit Spiritus, de Spiritu sancto id debere intelligi.* Hanc regulam *Hieronym.* in cap.2. Mich. repetit & exemplis probat: Matth.4.v.1. ὁ Ἰησοῦς ἀνήχθη εἰς τὴν ἔρημον ὑπὸ τοῦ πνεύματος. Rom.8.v.13. εἰ πνεύματι τὰς πράξεις τοῦ σώματος θανατοῦτε, ζήσεσθε. Gal.5.v.22. ὁ δὲ καρπὸς τοῦ πνεύματος. c.6.v.8. ὁ σπείρων εἰς τὸ πνεῦμα, ἐκ τοῦ πνεύματος θερίσει ζωὴν αἰώνιον. Quamuis verò hæc regula non sit absolutè generalis, cùm passim nomen Spiritus cum adiectione vsurpetur pro tertia Trinitatis persona, sic vocatur *Spiritus Dei* Rom. 8. vers.9. 1. Cor.6.v.11. *Spiritus veritatis* Ioh.14.v.17. *Spiritus vitæ* Rom.8.v.2. *Spiritus gratiæ.* Hebr.10.v.29. &c. & vicissim nomen Spiritus sine adiectione non vbiq; notat tertiam Trinitatis personam, sic anima vocatur Spiritus Matt.27.v.50. *Emisit Spiritum suum*, quod caue de tertia Trinitatis persona accipias, cuius habitaculum fuit corpus Christi etiam in media morte: spectrum vocatur *Spiritus* Luc.24.v.37. &c. tamen laudanda est veterum diligentia in obseruandis etiam illis, quæ minutiora videri poterant. Quæst. II.

17. Didymus Alexandrinus à natiuitate cœcus reliquit tres libros de Spiritu sancto, qui extant versi ab Hieronymo in tomo vltimo operum ipsius. Is in li.1. hanc tradit regulam: *Apostoli, quando intelligi volunt personam Spiritus sancti, vel addunt epitheton ἅγιον, vel articulum τὸ πνεῦμα, sed quando absque articulo ponunt, non ipsam personam, sed dona Spiritus significant.* Quamuis verò etiam hæc regula non sit absolutè generalis, quia additur quandoque articulus τὸ, nec tamen persona Spiritus S. denotatur. Eph.4.v.23. ἀνανεοῦσθαι τῷ πνεύματι τοῦ νοὸς ὑμῶν. 1. Thess.5.v.19. τὸ πνεῦμα μὴ σβέννυτε 1. Ioh.4.v.1. δοκιμάζετε τὰ πνεύματα, &c. vicissim aliquando omittitur articulus, nihilò tamen minùs persona Spiritus Sancti intelligenda est, Ioh.3.v.5. *Nisi quis renatus fuerit* ἐξ ὕδατος καὶ Πνεύματος. 1. Cor.12.v.11. ἐν ἑνὶ πνεύματι πάντες ἐβαπτίσθημεν. Epist. Iud.v.19. πνεῦμα μὴ ἔχοντες: nihilominùs magnum habet vsum hæc regula, quod obseruatio exemplorum ostendit. Ioh. 3. vers. 6. γεγεννημένον ἐκ τοῦ πνεύματος, πνεῦμα ἐστιν. Vides in priore memero additum articulum, in posteriore

posteriore omissum Ioh.7.v.39.οὔπω ἦν πνεῦμα ἅγιον, omittitur articulus, quia tantum de donis, & quidem peculiaribus illis in primitiua Ecclesia locus intelligendus est.

18. Ceterùm, vt hæ Regulæ sint pleniores, haud incommodè eis hoc additur: vbicunque talia de Spiritu Dei prædicantur, quæ personæ eius non conueniunt, & in diuinam Naturam minimè cadunt, de donis seu effectis Spiritus sancti in hominibus ea sunt intelligenda. Sic Ioh.7.v.39. *Spiritus sanctus nondum erat, quia Iesus nondum erat glorificatus*; Nondum esse, haudquaquam competit personæ Spiritus sancti, qui est *æternus* Heb.9.v.14. & *fuit in Prophetis* 1. Pet.1.v.11. ergo de donis locus accipiẽdus est, & quidem non omnibus, sed peculiaribus illis primitiuæ Ecclesiæ N.T. propriis 1.Thes.5.v.19. *Spiritũ nolite extinguere*; Extingui non competit personæ Spiritus sancti, qui est immortalis & incorruptibilis, intelligendum ergo de Prophetia, quæ est donum Spiritus. Eph.4.v.30. μὴ λυπεῖτε τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον τοῦ Θεοῦ, *contristari & turbari* non competit diuinæ essentiæ, quæ est immutabilis, atque ἀπαθὴς: ergo si ad personam Spiritus sancti locus omninò referendus (quod emphatica articuli repetitio videtur requirere) ἀνθρωποπαθῶς dictum hoc intelligendum, ita vt ex consequente intelligatur antecedens, hoc est, contristatio pro offensione posita, homines enim offensi exacerbantur & contristantur.

Quæst. II.

19. Restat ἐν περιγινοσκομένοις exponendum, cur tertiæ personæ Trinitatis appellatio Spiritus tribuatur. Prima ratio est, quia Spiritus sanctus est verus Deus, iam verò *Deus est Spiritus*. Ioh.4.v.24. hoc est, essentia spiritualis, ἀσώματος, & incorporea. Secundo, quia personalis proprietas Spiritus sancti hæc est, quòd à Patre & Filio in arcano illo mysterio Diuinitatis ineffabiliter ab æterno spiratur, vnde vocatur *Spiritus Iehouæ* Psal.33.v.6. *Spiritus oris Christi*, 2. Thes. 2.v.8. *Spiritus labiorum eius*. Esai. 11. v. 4. Tertiò, quia efficaciter mouet hominum corda, & spirituales motus in eis accendit; sicut tenues exhalationes vel à terra, vel ab aquis, vel à sanguine, vel ab humoribus animantium euaporantes, sunt valdè efficaces & potentes: ita Spiritus S. immensam vim ac potentiam esse opera illius attestantur. Πνεῦμα dicitur quasi πᾶν νεῦμα, ὅτι ἀεὶ νεῦμα πάντη νεύων καὶ κινέμενον. Act. 2. v.2. *Cùm promissionem Spiritus Christus impleturus esset*, factus est repentè de cœlo sonus, ὥσπερ φερομένης πνοῆς, βιαίας, & repleuit totam domum, in qua sedebant: nimirùm nescit tarda molimina Spiritus sancti gratia. Quartam rationem exponit Christus Ioh. 3. v.8. *Spiritus, vbi vult, spirat, & vocem eius audis, sed nescis vnde veniat, & quò vadat: Sic est omnis, qui natus est ex Spiritu*. Sicut exhalationes, quæ venti appellãtur, substantiæ tam subtiles sunt, vt conspectum nostrum effugiant, vis tamen & efficacia earum magna est, quæ quia sentitur, inde cognoscitur: ita Spiritus sanctus sensibus non percipitur, sed efficacia operationis intelligitur & agnoscitur. Atque hæ sunt quatuor illæ rationes, propter quas tertia Sp.S. Trinitatis persona vocatur Spiritus, quarum prima respicit essentiam Spiritus sancti, secunda proprietatem personalem, tertia operationem, quarta modum agendi. Quare dicatur Spiritus sanctus, exponetur infrà. *Breuiter*. 1. est essentialiter ipsa sanctitas. 2. differt à Spiritibus malis, qui sunt immundi 3. est autor & fons omnis sanctitatis, *absque eius Numine nihil boni est in homine, nihil est innoxium*.

20. At cùm Patet sit Spiritus & sanctus, cùm Filius sit Spiritus & Sãctus, cur hæc appellatio peculiariter tribuitur personæ tertiæ? Respondet *Aug.* 5. de Trinitate c.11. *Spiritus sanctus, secundùm quod scriptum est, quoniam Deus Spiritus est, potest quidem vniuersaliter dici, quia & Pater Spiritus, & Filius Spiritus, & Pater sanctus, & Filius sanctus: Itaque Pater & Filius & Spiritus S. quoniam vnus Deus, & vtique Deus sanctus est & Deus Spiritus est, potest appellari Trinitas & Spiritus S. sed tamen ille Spiritus S. qui non Trinitas, sed in Trinitate intelligitur, in eo quod propriè dicitur Spiritus S. relatiuè dicitur, cùm & ad Patrem & ad Filium refertur, quia Spiritus S. & Patris & Filij Spiritus est, sed ipsa relatio non apparet in hoc nomine, apparet autem cum dicitur, donum Dei, &c. Ergo Spiritus S. ineffabilis est quædam Patris Filique communio, & ideò fortasse sic appellatur, quia Patri & Filio potest eadem appellatio conuenire. Nam hoc ipse propriè dicitur, quod illi communiter, quia & Pater Spiritus & Filius Spiritus: & Pater sanctus, & Filius sanctus: Vt ergo ex nomine, quod vtrique conuenit, vtriusque communio significetur, vocatur donum amborum Sp.S. Bernh.* serm. 3. in fest. Paentec. col. 164. *Spiritus S. quasi specialiter Spiritus dicitur, quod ab vtroque procedat firmissimum & indissolubile vinculum Trinitatis, tanquam propriè sanctus, quòd sit donum Patris & Filij omnem sanctificans creaturam, quamuis Pater quoque & Spiritus sanctus sit.*

CAPVT II.

Quòd Spiritus S. sit tertia Trinitatis persona.

Spiritum S. esse tertiam Diuinitatis personam.

21. *Accedimus ad* περιγινοσκόμενον *posterius, vbi demonstrandum erit, Spiritum S. esse tertiam sacrosanctæ Trinitatis personam.* Hypotheseos loco repetimus ex superioribus tres esse tãtùm personas Trinitatis, non plures, nec pauciores, & postea sic procedimus. Quæ persona inter tres nec prima nec secunda est, eam oportet esse tertiam. Spiritus S. inter tres sacrosanctæ Trinitatis personas, nec prima nec secunda est. Ergo oportet esse tertiam. Assumtum probatur hoc modo: Persona producta ab alio nõ potest esse prima. Sp.S. est persona producta. Ergo non potest esse prima. Vlteriùs: Persona producta tantùm & non etiam producens, non potest esse inter tres personas secunda. Spiritus sanctus est persona producta tantùm, & non etiam aliam producit. Ergo non est persona Trinitatis secunda, relinquitur igitur vt sit tertia.

22. Vt autem de Filio dictum est, eum esse personam Trinitatis secundam non ratione temporis, vel Naturæ, vel dignitatis, sed ratione originis siue productionis: ita de Spiritu sancto idem sentiendum est, quòd sit persona tertia nec tempore, nec Natura, nec dignitate reliquis inferior, sed originis ratione tertia, ac proinde ordo iste nec productioni, nec æternitati Spiritus sancti quicquam derogat.

CAPVT III.

De vera Spiritus sancti Deitate.

Deitas Spiritus sancti.

23. Hisce omnibus ὡς ἐν παραδείγματι καὶ παρόδῳ prius expositis, progredimur ad caput tractatus nostri primum, & veram Spiritus sancti Deitatem ex Scripturis demonstramus. Vtemur autem iisdem argumentorum classibus, quibus in demonstranda Filij Deitate vsi sumus, proinde *generalem Syllogismum proponimus talem*: Cuicunq; tribuuntur diuina nomina, diuinæ proprietates, diuina opera, & diuinus cultus, ille est verus Deus. Spiritui S. tribuuntur diuina nomina, diuinæ proprietates, diuina opera, & diuinus

cultus. Ergo Spiritus S. est verus Deus. Prima propositio confirmata est superiùs : assumtum quatuor membris constat, quæ ex Scripturis singula sunt confirmanda.

Diuinæ S.S. nomina.

24. Spiritui sancto nomen Iehouæ & veri Dei tribui diligens & accurata locorum Vet. & Nou. Testamenti collatio ostendit. Præibimus exemplo. Is qui per Prophetas ad populum Israëliticum locutus est, dicitur; & est Iehouah. Exo. 4. v. 12. *Iehouah dicit ad Mosen: Ego ero cum ore tuo, & docebo te, quid loquaris.* Num 12. vers. 6. *Si fuerit Propheta quispiam inter vos, ego Iehouah in visione apparebo illi, in somnio loquar cum eo.* 2. Sam. 23. vers. 3. *dixit Deus Israëlis mihi, locutus est fortis Israëlis, dominator in hominibus iustis:* 1. Reg. 18. vers. 12. *Cùm à te recesserò* (dicit Obadias ad Eliam) *tàm Spiritus Iehouæ* (per quē & à quo impulsus loquetis) *asportabit te ad locum, quem non agnoscam.* Psal. 85. v. 9. *Audiam, quid in me loquatur Dominus!* Esa. 1. v. 2. *Audite verbum Domini.* vers. 10. *factum est verbum Domini ad Esaiam*: id & passim à Prophetis repetitur. Luc. 1. v. 70. testatur Zacharias, quòd *Deus Israëlis locutus sit per os Prophetarum.* Ex his & consimilibus dictis colligitur verum Iehouam locutum esse per Prophetas: Iam verò Spiritus S. est is, qui per Prophetas locutus est. 2. Sam. 23. v. 2. dicit Dauid, *Spiritus Iehouæ locutus est per me, & sermo eius factus est per linguam meam.* Zach. 7. v. 12. *Non audiebant verba illa, quæ mittebat Iehouah exercituum in Spiritu suo per manum Prophetarum priorum.* Act. 1. v. 16. *Oportuit impleri Scripturam hanc, quam prædixit Spiritus sanctus per os Dauid de Iuda* c. 28. v. 26. *Bene Spiritus sanctus locutus est per Esaiam Prophetam ad Patres nostros.* Eph. 3. v. 5. *Mysterium Christi reuelatum est sanctis Apostolis eius & Prophetis per Spiritum.* 1. Petr. 1. 11. *Spiritus Christi fuit in Prophetis,* 2. Petr. 1. v. 21. *Non humana voluntate allata est Prophetia, sed Spiritu sancto impulsi locuti sunt sancti Dei homines* (vbi nota oppositionem hominum & Dei) Heb. 10. v. 15. *Testificatur nobis & ipse Spiritus sanctus, nam postea quam prædixit: hoc est fœdus, &c.* quo referri etiam potest, quòd Christus dicit ad Apostolos Mat. 10. vers. 20. *Non vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris mei per vos loquitur.* Idem enim Spiritus locutus est per Prophetas & Apostolos. Rectè igitur in Concilio Constantinopolitano addita est Nicæno Symbolo hæc clausula, quod Spiritus sanctus locutus per Prophetas. Vtique ergo Spiritus sanctus est verus Iehouah.

25. Vlteriùs, qui Israëlitas duxit per desertum, ille est verus Iehouah. Deut. 32. v. 12. *Iehouah solus deduxit illum* (populum Israëliticū) *& non fuit cum eo Deus alienigena.* Iam verò Spiritui sancto hoc tribuitur, quod Israëlitas duxerit per desertum Esa. 63. v. 11. *Vbi est, qui posuit in medio eius Spiritum sanctum suum?* v. 4. *veluti iumentum, quod per vallem descendit, Spiritus Iehouæ deduxit eum.* Ergo Spiritus sanctus est verus Iehouah. Sic verus Iehouah ab Israëlitis in deserto est tentatus & exacerbatus. Psal. 78. v. 17. *Prouocarunt excelsum in solitudine* vers. 28. *& tentauerunt Deum in corde suo*: iam verò Spiritui sancto hoc tribuitur, quod sit ab Israëlitis in deserto tentatus Esa. 63. v. 10. *Ipsi rebelles fuerunt, & irasci fecerunt Spiritum sanctum eius.* Ergo Spiritus sanctus est verus Iehouah. Coniunge Heb. 3. v. 7. *sicut dicit Spiritus sanctus, hodiè si vocem eius audieritis,* v. 8. *nolite obdurare corda vestra, sicut in exacerbatione secundum diem tentationis in deserto.* vers. 9. *vbi tentauerunt me Patres vestri.* Sic, qui ad Esaiam dicit: *Vade & dic populo huic, Audite & non intelligite,* est verus Jehoua. Esa. 6. v. 8. iam verò tribuitur hoc Spiritui sancto, Act. 28. v. 25. *Benè Spiritus S. locutus est per Esaiam Prophetam ad Patres nostros,* vers. 26. *dicens, Vade ad populum istum & dic: auditu audietis, & non intelligetis.* Ergo Spiritus S. est verus Iehouah.

26. In Nou. Testam. plura extant testimonia, in quibus nomen Dei ac Domini τοῦ Κυρίου (quod respondet nomini Iehouah in Vet. Testam.) tribuitur disertè Spiritui sancto Iohan. 1. vers. 13. *Credentes sunt ex Deo nati.* Iohan. 3. vers. 6. *Quod natum est ex Spiritu,* [ἐκ τοῦ πνεύματος] *Spiritus est*: vtique ergo Spiritus sanctus est Deus, vrget hoc argumentum *Cyrillus* lib. 7. dial. de Trin. & coniungit locum 2. Petr. 1. v. 4. Per Spiritum sanctum efficimur *diuinæ Naturæ consortes.* Ergo necesse est Spiritum sanctum esse verum Deum, quia participatione Spiritus sancti Diuinitatis efficimur consortes. Sic Act. 5. v. 3. *Cur Satanas impleuit cor tuum, vt mentireris Spiritui sancto?* v. 4. *Non mentitus es hominibus, sed Deo.* Ergo Spiritus sanctus est Deus. Actor. 13. vers. 4. Paulus & Barnabas *emissi à Spiritu sancto venerunt Seleuciam.* c. 16. v. 6. *Spiritus sanctus prohibet Apostolos, ne prædicent in Asia*: cum hisce confer locū 1. Cor. 4. v. 19. *Veniam ad vos breui, si Dominus voluerit.* Sic Ro. 11. v. 33. *O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei!* v. 34. *Quis enim cognouit sensum Domini, aut quis Consiliarius eius fuit?* Desumsit hoc Apostolus ex Esa. 40. v. 13. vbi disertè fit mentio Spiritus sancti. *Quis direxit Spiritum Iehouæ, & quis vir cōsilij est illi?* v. 18. *cui ergo assimilabitis Deū?* Sic 1. Cor. 3. v. 16. *Nescitis, quod templum Dei sitis, & Spiritus Dei habitet in vobis?* v. 17. *Si quis templum Dei violauerit, disperdet illum Deus, tēplum enim Dei sanctum est, quod estis vos.* 1. Cor. 6. v. 19. Membra piorum dicuntur *templa Spiritus sancti*, & additur v. 20. *Glorificate igitur Deum in corpore vestro.* Obserua, quod nulli creaturæ conueniat habere templum, vt ostendit *August.* lib. de vera relig. c. 55. cùm ergo Spiritus sancti templa sint piorum corda, vtique Spiritus sanctus erit verus Deus. Præterea obserua, Apostolum per ἀπολογίαν subiungere, quare pii sint templa Spiritus sancti, ideò scilicet & ex eo, quia *Spiritus sanctus in ipsis habitat.* Sic 1. Cor. 12. v. 4. *Diuisiones gratiarum sunt, idem autem Spiritus.* v. 5. *diuisiones ministrationum sunt, idem autē Dominus.* v. 6. *diuisiones operationum sunt, idem verò Deus, qui operatur omnia in omnibus.* Ergo Spiritus sanctus est Dominus & Deus. Coniunge 2. Corinth. 3. vers. 17. *Dominus est Spiritus* ὁ Κύριος τὸ πνεῦμα ἐστιν, vbi articulus additus ostendit subiectum in propositione esse τὸ πνεῦμα. Sic 1. Iohan. 5. vers. 7. *Tres sunt, qui testimonium dant in cœlo, Pater, verbum & Spiritus sanctus, & hi tres vnum sunt.* vers. 9. *Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei maius est*, & obserua nominatim præcedere vers. 6. *Spiritus est, qui testificatur, quoniam Spiritus est veritas.* Ergo Spiritus S. est Deus.

27. Quid contra hæc fundamenta proferunt noui Samosateniani? pag. 241. Catech. suæ Racou. scribunt, *appellatione Sp. S. in scriptis Nou. Testam. primò significari ipsum Iesu Christi Euangelium*, idque ex collatione locorum 1. Cor. 2. vers. 9. 10. & 2. Tim. 1. vers. 10. elicere conantur, at valdè insciter subordinata habent pro iisdem, & causam principalem cum instrumentali confundunt; *Mysterium salutis reuelauit nobis* per Spiritum suum 1. Cor. 2. 20. *reuelauit etiam per* Euangelium 2. Timot. 1. vers. 10. neque tamen Spiritus sanctus & Euangelium sunt simpliciter ταυτὸ τὸ, sed Spiritus sanctus est causa principalis huius reuelationis, verbum Euangelij est causa instrumentalis, agit enim in verbo, cum verbo & per verbum nobiscum Spiritus sanctus, sicut hæc duo pulcerrimè coniunguntur Esa. 59. vers. 21. *Hoc pactum meum cum eis, dixit Iehouah, Spiritus meus, qui est super te, & verba mea, quæ posui in ore tuo, non recedent de ore tuo, &c.* Et vt omnis tollatur dubitatio,

Nouorum Samosatenianorum exceptiones.

tatio, dicimus in quibusdam Scripturæ locis talia tribui verbo Euangelij, quæ non competunt Spiritui sancto, & vicissim talia tribui Spiritui sancto, quæ non competũt verbo Euangelij, vtique ergo hæc non possunt esse ισοδυναμοῦντα. *Secundò* dicunt pag. 42. *nomine Spiritus sancti significari donum Dei certo hominibus datum, quòd cum dicatur* arrha & pignus hæreditatis nostriæ 1. Cor. 1. v. 22. Ephes. 1. vers. 14. *in corda nostra datum, ex eo concludi posse, quòd Spiritus S. nihil aliud sit, quàm firma & immota fiducia vitæ æternæ obtinẽdæ, quam in corde sentimus. Respon.* Iterum confunduntur ea, quæ sunt subordinata, & proinde distinguenda. Spiritus sanctus mittitur in corda hominum, & nouos motus in illis efficit, atque inter alia opera gratiæ etiam spem obtinendæ vitæ in eis operatur, sed non est ex eo inferendum, quòd Sp. S. nihil aliud sit quàm illa cordis fiducia. Primò enim hac ratione confunditur causa & effectus, Spiritus S. & motus à Spiritu sancto in corde accensi. Secundò opera Spiritus sancti imperfectè enumerantur, non enim hoc solùm est Spiritus sancti opus, quòd de gratia Dei & vita æterna nos certos reddit, sed etiã plura sunt Spiritus χαρίσματα, vt posteà ostendetur. Tertiò spes illa obtinẽdæ vitę æternæ non semper in cordibus piorum est firma, & quasi lucens facula, sed quandoque est lignum fumigans, absit autem vt propterea quis dicere velit, illos qui in fide infirmi sunt, prorsus carere Spiritus sancti inhabitatione.

S.S. esse fiduciam vitæ æternæ.

28. Pergunt pag. 245. & Spiritum sanctum non esse personam etincere conantur, qua de re in tertio huius tractatus membro agemus. pag. 41. insigni impudentia & Ἀρειομανίᾳ negant *Spiritum sanctum vspiam in Scripturis vocari Deum*, cuius pronunciati extremam falsitatem ea, quæ hactenus proposita sunt, euidenter ostendunt. Quid, quod hac in parte sibiipsis egregiè contradicunt, siquidem pag. 249. dicunt, *Spiritum sanctum esse virtutem Dei*, at quid aliud Dei virtus, quam Dei essentia, & Deus ipse? nisi fortè realem quandam distinctionem inter essentiam, & attributa Dei introducere velint. pag. 247. dicunt, *talia tribui Sp. S. quæ propriè competunt diuinæ essentiæ*, at quid est aliud diuina essentia, quà Deus ipse? Spiritus mendax est etiam Spiritus vertiginis & contradictionis.

3. Spiritum S. non esse personam.

29. *Contra locum* 1. *Cor.* 12. *v.* 4 5. 6. *vbi Spiritus S. dicitur* Deus & Dominus, peculiariter hoc vrgent p. 45. *etsi Deo & Domino & Spiritui sancto diuinæ operationes tribuantur, ex eo tamen non posse inferri ea sint vnius essentiæ, quin potiùs contrarium ex hoc loco elici posse, cùm Dominus & Spiritus manifestè distinguantur à Deo qui est solus Pater Domini nostri Iesu Christi: coniungi autem appellationem Domini & Spiritus Deo propterea, quia per illum Dominum Deus ista omnia operatur, & quia per solum Spiritum sanctum, non per aliam suam virtutem Deus in credentibus ea efficit. Respon.* 1. disertè Apostolus & nomen Dei & actionem Dei propriam, & summam agendi libertatem tribuit Spiritui sancto. Cum enim dixisset vers. 4. *Diuisiones gratiarum sunt, idem autem Spiritus.* vers. 5. *Diuisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus.* v. 6. *Diuisiones operationum sunt, idem verò Deus, qui operatur omnia in omnibus*, subiungit vers. 11. *Hæc autem omnia operatur vnus atque idem Spiritus, diuidens singulis prout vult*: proinde & Dei Domini appellatio itidem Spiritui sancto tribuenda. 2. Demus ex hypothesi per nomen Domini intelligendum esse Christum, per nomen Dei Patrem, nihilominùs disertè ostendit Apostolus, ista dona per Spiritum sanctum seu in Spiritu sancto ita distribui, vt ipse Spiritus ea donet, & quidem prout ipse vult, ergo non est organum quoddam seruile, sed distincta à Patre Persona, eiúe ἐμφασις. 3. Talia quippe commemorantur hoc loco Spiritus sancti dona, quæ à nullo homine, nulloque spiritu creato conferri in quempiam possunt: & quia disertè dicitur Spiritum sanctum ea diuidere singulis, prout vult, vtique ergo spiritus sanctus est substantia agens, intelligens, liberè volens, eoque vera persona. 4. Si Spiritus manifestè distinguitur hoc loco à Deo Patre, vt concedunt aduersarij, vtique non possunt nomen Spiritus accipere pro virtute Dei essentiali, quia virtus illa nulla ratione realiter à Patre est distincta, sed est ipsa Patris essentia. 5. Appellationem veri Dei soli Patri primæ personæ conuenire falsum est, vt suo loco ostendimus. 6. Per Filium & Spiritum sanctum operatur Pater, non tanquam per organa seruilia, essentialiter à se distincta, sed Filius est imago Patris substantialis, *Spiritus sanctus est* Dei digitus. Luc. 11. vers. 20. Patri & Filio consubstantialis, qua de re postea. 7. Quid verò sibi volunt, quando dicunt *per Spiritum sanctum non per aliam suam virtutem Deum in credentibus operari?* num plures sunt virtutes agendi in Deo? num alia potentia Deus efficax est in credentibus, alia vicissim in mundi gubernatione, alia in reproborum punitione, & sic consequenter? ἄτοπον καὶ ἀθεόλογον. Vna Dei potentia est, vt vna essentia.

4. Contra locum 1. *Cor.* 12. *v.* 4.

30. Expositum hactenus primam argumentorum classem, ex quibus Spiritus sancti Deitas comprobatur: altera classis petenda est ex attributis diuinis tùm essentialibus, tùm proprietate personali, vbi proponimus respectu attributorum essentialium tale argumentum. Cuicunque essentialia Dei attributa in Scripturis tribuuntur, ille est verus Deus: rationem exposuimus superiùs, quæ in eo consistit, quòd essentialia attributa cum essentia sint realiter ταυτὸ in Deo. Spiritui sancto tribuuntur essentialia Dei attributa. Ergo Spiritus sanctus est verus Deus. Assumtum confirmabimus 1. Speciali attributorum diuinorum enumeratione. 2. Locis illis, quæ testantur Spiritum sanctum esse Patri & Filio ὁμοούσιον, illa enim ὁμοουσία & omnimoda æqualitas ex essentiæ & attributorum essentialium identitate oritur.

Attributa diuina S. Sp. essentialia.

31. Spiritui sancto tribuit Scriptura, quòd sit 1. *essentia spiritualis*, id quod ipsum nomen Spiritus, & personalis ipsius proprietas, æterna scilicet à Patre & Filio processio arguit. 2. *Inuisibilis*, quòd ex priori sequitur, nulla enim spiritualis essentia, qua talis, visui est obnoxia. Idipsum docet Saluator Iohan. 3. vers. 8. similitudine venti, quòd nec essentia nec operatio Spiritus sancti oculis hominum sit subiecta. Proinde quòd Matth. 3. vers. 16. Marc. 1. vers. 10. Luc. 3. v. 21. Iohan. 1. vers. 32. Iohannes dicitur *vidisse* Spiritum sanctum super Christum descendentem, id non accipiendum est eo sensu, quod Iohann. ipsam Spiritus sancti essentiam immediatè viderit, sed, vt exponitur Luc. 3. vers. 2. *Descendebat Sp. S. corporali specie, sicut columba.* Illam igitur columbam vidit Iohannes, & quia Spiritus sanctus peculiariter in illa specie columbæ se manifestabat, ipsum Spiritum tanctum vidisse rectè dicitur. Ideò autem in specie columbæ se manifestauit Spiritus sanctus, quia in cordibus electorum hoc efficit vt in vera contritione ingemiscant super peccata instar columbæ Esa. 38. vers. 14. & cap. 59. v. 11. vt vera fide tanquam columbæ abscondant se in foramina petrę Cant. 2. v. 14. hoc est in Christi vulnera, qui est *spiritualis petra* 1. Cor. 10. v. 4. vt sint etiam simplices instar columbarũ Matth. 10. vers. 16. & quia columba afferens ramum

Spiritualitas.

Inuisibilitas

Obiectio cõtra inuisibilitatem Spiritus.

oliuæ ad Noahi aream typus fuit Spiritus sancti doctrinam Euangelij in Ecclesia circa mundi vesperam proferentis Genes. 8. versic. 8.

Simplicitas Spiritus sancti.

32. *Tertium Spiritus S. attributum est summa essentiæ simplicitas*, quæ est consequens (vt ita loquar) spiritualitatis, & manifestatur ex eo, quòd in singulorum piorum cordibus habitat Spiritus sanctus, nec tamen diuiditur, sed est & manet vnus Spiritus Eph. 4. v. 4. At, inquis, cur dicit Deus ad Mosen Num. 11. vers. 17. *descendam & de Spiritu tuo, qui super te est, ponam super septuaginta Seniores.* Idemque cur Elisæus *duplicem Eliæ Spiritum* rogat? 2. Reg. 2. vers. 9. *Resp.* Ex circumstantiis textus apparet de donis Spiritus S. hisce in locis agi, quæ varia sunt, & incrementum capiunt ipso interim spiritu S. ratione essentiæ vno & indiuisibili manente, est enim vnus Spiritus, qui diuersa illa χαρίσματα operatur 1. Cor. 12. v. 4. *R. Salomoh* textum Mosaicum ita interpretatur, quòd Deus de Spiritu Mosis ea ratione segregauerit, quòd senioribus daret, vt tamen Mosi nihil auferet, idque declarat similitudine multarum lucernarum ex vna ita accensarum, vt tamen primæ luci nihil decedat. Sic duplicem Eliæ Spiritum *D. Lutherus* in glossis marginalibus rectissimè accipit de duplici ore vnius Spiritus. *Lyranus* ita exponit: Elisæum petisse, vt duplex gratia, quæ erat in Elia, scilicet *gratia miraculorum, & gratia Prophetiæ*, in ipso existerent.

Obiectio contra simplicitatem Spiritus.

Æternitas Spiritus S.

33. *Quartò tribuitur Spiritui sancto æternitas*, dicitur enim *Spiritus æternus.* Hebr. 9. vers. 14. Præterea in prima creatione *ferebatur super aquas*, Genes. 1. v. 2. erat igitur in principio, cum omnes res creatæ suum sortirentur principium, vtique ergo non in tempore cœpit, sed ab æterno extitit, cùm inter æternitatem & primum creationis principium nullum detur medium. Porrò locum Mosaicum nec de vento, nec de vlla alia creatura accipi posse, sed de S. S. ita demonstramus 1. ex Ps. 33. v. 6 qui est Interpres loci Mosaici. *Verbo Domini cœli firmati sunt, & Spiritu oris eius omnis exercitus eorum.* 2. Ventus tùm temporis nondum erat. 3. Dicitur *Spiritus ille* incubuisse aquis מְרַחֶפֶת quam vocem ita interpretatur *Basilius* in hexaëm. homil. 2. *Quomodo Spiritus Dei ferebatur super aquas? narrabo tibi sermonem Syri cuiusdam, qui ait, vocem hic positam significare idem quod fouere vitali calore, sicut auis incubans fouet ova,* ἐπωάζουσά ἐστι. 4. Dicitur *Spiritus Elohim*, vt denotetur, quòd sit Patris & Filij Spiritus. Quando aliàs nomen Spiritus pro vento accipitur, violentum quid significat, deinde nomen Domini rei magnitudinem, cui adiicitur, perpetuò declarat, vt cedri Dei, montes Dei, &c. Si ergo Spiritus Dei significat ventum violentissimum, qui cum impetu fertur non supeincubat. 5. Idem confirmant prisci & recentiores Interpretes. *Thargum Ionathæ & Hierosolymitanum* habent: *Spiritus misericordiæ à facie Iehouæ requiescebat super aquis. In Bereshith Rabba* per Spiritum Domini dicitur intelligendum esse *solum gloriæ. R. Salom. Spiritus oris Domini incubat super faciem aquarum, sicut columba incubat super nidum.* Vide *Orig.* 1. de princ. cap. 3. *Basilium* hom. 2. hexaëm. tom. 1. p. 35. *Eucher.* super 1. Genes. *Cyrill.* lib. 1. contra Iuliau. col. 13. lib. 2. col. 35. *August.* 13. Confes. cap. 4. li. 8. de ciu. Dei c. 11. libr. 11. c. 32 libr. 2. ad Simplic. q. 1. col. 645. *Hieron.* Ep. 83. ad Ocean. *Ambros.* lib. 1. hexaëm. c. 8. *D. Lutherum, Tremel. &c.*

Obiectio contra æternitatem Spiritus. 1. Ex dicto Iohan. 7. v. 39.

34. At, inquis, Ioh. 7. v. 39. *Spiritus sanctus nondum fuisse dicitur, cùm Christus nondum esset glorificatus?* *Resp.* Ipsemet Iohannes c. 1. v. 32. dicit, Spiritum sanctum in specie columbæ *à Iohanne* visum esse, Ergo locus præsens de persona Spiritus sancti non potest accipi, sed de donis, & quidem peculiaribus illis primitiuæ Ecclesiæ propriis. Locum hic habet obseruatio illa *Didymi*, cuius mentionem fecimus superiùs, quòd in Græco non additur articulus τὸ, proinde non agitur de persona Spiritus sancti, sed de visibili & miraculosa eius effusione, quod ipsum etiam textus circumstantiæ ostendunt. Clamabat Iesus, qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ vers. 38. hoc dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum. vers. 39. in die scilicet Pentecostes & temporibus subsequentibus. *Aug.* tract. 32. in Ioh. *In euidenti est intellectus, non enim non erat Spiritus Dei, qui erat apud Deum, sed nõdum erat in eis, qui crediderant in Iesum, &c. Quærendum est, quomodo nondũ erat Spiritus in hominib. sanctis, cùm de ipso* Domino *recens nato in Euangelio legatur, quod eum in Spiritu S. agnouerit Simeon, agnouerit etiam Hanna vidua Prophetissa, agnouerit Iohannes ipse, qui eum baptizauit, impletus Spiritu S. Zacharias multa dixit: Spiritum sanctum vt* Dominum *conciperet, ipsa Maria accepit, &c. nec alium Spiritum Prophetæ habuerunt, qui Christum venturum prænunciauerunt, sed modus quidam futurus erat donationis huius, qui omninò antea non apparuerat, nusquam enim legimus antea congregatos homines accepto Spiritu sancto linguis omnium gentium locutos fuisse, &c.* Hact. Auguſt.

35. Sed nec processio Spiritus sancti à Patre & Filio quicquam derogat ipsius æternitati, est enim processio æterna, ac proinde omne temporis initium atque mensuram excludit. Vt ergo generatio nihil derogat æternitati Filij, ita quoque processio non labefactat æternitatem Spiritus sancti, sed vt Pater & Filius sunt vnus, verus, æternus Deus, à quibus procedit Spiritus sanctus, ita etiam Spiritus sanctus est æternus, quia ab æterno procedit. 2. Ex pro- sione a ve &

Immutabilitas S. Spiritus.

36. Quintò competit Spiritui sancto Immutabilitas, quæ est æternitatis requisitum necessarium. Si dicas monemur ab Apostolo, *ne contristemus Spiritum sanctum* Eph 4. vers. 30. mutabilis ergo Spiritus S. erit, quia contristari est ex statu mentis quieto in tristem & perturbatum collocari *Respon.* monuimus superiùs th. 18. intelligendum hoc esse per ἀνθρωποπάθειαν, & ex consequenti intelligendum esse antecedens. Loquitur Scriptura de Deo iuxta sensum & captum nostrum, quando Deus punit, Scriptura pronunciat ipsum irasci, quando auxilium diu dilatum tandem confert, Scriptura pronunciat ipsum expergisci, cùm tamen Deus nec turbetur ira, nec oculis somnum capiat vnquam: ita quoque contristari dicitur Spiritus sanctus, quando peccatis ex cordis habitaculo expellitur. Præterea habitat Spiritus sanctus in credentibus, quando ergo illi peccatis hominum contristari ingemiscunt propter spiritualem illam vnionem ipse Spiritus sanctus contristari dicitur. Zach. 1. vers. 8. Glossa ordin. ex Aug. *Spiritus S. in se immutabilis, sed in sanctis facit gaudere de profectibus aliorum, tristari de lapsibus, quod venit ex charitate, & ideò dicitur tristari, quia hoc facit in suis. Lyranus: Nolite contristare Spiritum sanctum peccatis ad iram ipsum prouocando.* Immuta- litas S. S. rectio immuta- litatem ritus S.

Omnipotentia Sp. S.

Bonitas.

Iustitia.

37. Sextò Spiritui sancto tribuitur Immortalitas, quippe quæ est æternitatis consequens. Sap. 12. vers. 1. ἄφθαρτόν σου πνεῦμα ἐστιν ἐν πᾶσιν. Septimò Spiritus sanctus est *infinitus & omnipræsens.* Psal. 139. v. 6. *Quò ibo à Spiritu tuo? v. 7. si ascendero in cœlum, illic es; si lectum strauero in inferno, ibi ades.* Sap. 1. v. 7. *Spiritus* Domini *repleuit orbem terrarum* cap. 12. v. 1. *est in omnibus, quò* pertinent dicta omnia, quæ testantur, *Spiritum sanctum* habitare in cordibus credentium, *qui sunt per totum orbem dispersi.* Iohan. 14. vers. 16. Rom. 8. vers. 11. Immorta- litas Sp. S. Omnipre- sentia.

1. Cor.

1. Cor. 3. vers. 16. 1. Cor. 6. vers. 19. vtique ergo Spiritus sanctus est omnipotens. At si Spiritus sanctus est omnipræsens, *quare dicitur à Saule recessisse?* 1. Sam. 16. v. 15. *Resp.* distincti sunt gradus diuinæ præsentiæ, vt in Disputatione de Natura Dei th. 117. declarauimus. *Spiritus Dei replet orbem terrarum* Sap. 1. v. 7. potenter omnia conseruando & gubernando, & peculiariter autem præsens est piis & credentibus, quos regenerat, illuminat, sanctificat, renouat, &c. hanc præsentiam Scriptura vocat inhabitationem & respectu huius præsentiæ gratiosæ (vt ita loquar) credentes sunt & dicuntur templa Spiritus S. ac de hoc præsentiæ gradu intelligendum quod Spiritus S. à Saule recesserit, cùm enim verbum Domini reprobaret 1. Sam. 15. v. 26. desiit esse templum & habitaculum Spiritus sancti.

38. Pergis vlteriùs, si Spiritus S. verè omnipræsens, cur descendisse dicitur *super* Christum? Matt. 3. v. 16. Mat. 1. v. 10. Luc. 3. v. 21. Ioh. 1. v. 32. *Resp.* descendit non locum mutando, sed in terram columbæ specie præsentiam suam manifestando. Conceptus *est Christus* à Spiritu S. in vtero Mariæ Luc. 1. v. 35. ita vt fuerit sanctus fructus v. 36. quod ergo circa Iordanem gestum est exterius, fuit manifestatio & significatio eius, quod inuisibiliter à Deo factum erat interius, *Iesus enim vnctus est oleo latitiæ præ consortibus suis* Psal. 45. vers. 8. Heb. 1. vers. 9. *& datus est ei Spiritus* (iuxta assumtam Naturam) *non ad mensuram* Ioh. 3. vers. 34. *ita vt super ipsum requiescat* Esa. 12. vers. 1. *nosque ex plenitudine eius accipiamus* Ioh. 1. vers. 16. *atque in odore vnguentorum ipsius curramus*: interim non negamus in hoc Spiritus sancti super Christum descensu, etiam quoad habitualem & subiectiuam inhærentiam dona Spiritus sancti in ipso esse aucta, regrediebatur enim à Iordane *plenus Spiritu sancto* Luc. 4. v. 1.

39. Iuxta secundam diuinorum attributorum classem Spiritus sanctus 1. Est *omniputēs*. Dicitur enim digitus Dei, vt ostendit collatio Matth. 12. vers. 28. & Luc. 11. vers. 20. *Ambrosius* super 11. caput Lucæ. *Spiritus S. dicitur Dei digitus, quia est virtus Dei operatoria*: dicitur Spiritus roboris & virtutis Esa. 11. v. 2. 2. Tim. 1. v. 7. Sap. 11. v 21. operatur omnia in omnibus 1. Cor. 12. v. 11. & super illum diuina sua miracula Christus operatus est Matth. 12. v. 28. Actor. 10. v. 18. quin & V. T. heroës ipsius impulsu res præclarè gestas perfecerunt. Iud. 6. vers. 34. Spiritus Iehouæ induit Gideonem. Iud. 11 vers. 29. Iephtham, Iud. 13. vers. 25. Samsonem. Pertinent hûc omnia opera diuinæ potentiæ, vt creatio, conseruatio, &c. de quibus postea.

40. Secundò Spiritus S. est bonus & misericors. Psl. 143. v. 11. *Spiritus tuus bonus deducit me in via recta.* Nehem. 9. v. 20. *dabas illu Spiritum tuum bonum.* Quò pertinent omnia opera gratiæ, quæ in credentibus Sp. S. operatur. Tertiò Spiritus S. est *iustus*, quod confirmant dicta omnia, in quibus dicitur sanctus, quorum in Scriptura. præsertim Vet. T. occurrunt longè plurima, ac proinde enumeratione eorum supersedebimus. Deinde referenda hûc loca illa, quæ testantur, Spiritum sanctum peccatis *exacerbari* Esai. 64. vers. 10. *& contristari* Ephes. 4. versicul. 30. hæc enim sunt testimonia & indicia iustitiæ ipsius. Quarto Spiritus sanctus est *sapiens & omniscius*: *Deus solus nouit corda omnium hominum* 1. Reg. 8. v. 39. iam verò Spiritus sanctus non solùm nouit interiores cordium humanorum recessus, sed etiam *scrutatur profunditates Dei* 1. Cor. 2. v. 10. *Quis enim hominum scit, quæ sunt hominis, nisi Spiritus hominis, qui est in ipso? ita & quæ Dei sunt, nemo cognouit, nisi Spiritus Dei*, v. 11. proinde etiam nullius indiget instructione, *Quis instruxit Spiritum Iehouæ, & quis vir consilij eius?* Esl. 40. v. 13. *ipse est Spiritus sapientiæ & intelligentiæ: Spiritus consilij & scientiæ* Esa. 11. v. 2. Sap. 7. v. 7. Eph. 1. v. 17. *qui per Prophetas & Apostolos locutus manifestauit nobis omne Dei consilium de salute nostra.* Quintò Spiritus S. est *agens liberrimum*, quia αὐτεξουσία est consequens omnipotentiæ, inde 1. Cor. 12. v. 11. *hæc omnia operatur vnus ille Spiritus, & diuidit singulis, prout vult.* 2. Cor. 3. v. 18. *vbi Spiritus Domini, ibi libertas.* Sextò Spiritus S. est *verax*, vnde dicitur *Spiritus veritatis.* Iohann. 14. vers. 17. cap. 15. vers. 26. cap. 16. vers. 13. 1. Iohan. 4. vers. 6. *ducit in omnem veritatem* Ioh. 16. v. 13. *imò est ipsa veritas* 1. Ioh. 5. vers. 6.

Omnipotentia Sp. S.

Bonitas.

Iustitia.

Libertas.

41. Iuxta tertiam attributorum diuinorum classem Spiritus sanctus. 1. Est *perfectus*, id quod enumerata attributa ostendunt, quia illorum consequens est vera perfectio. 2. diuinæ maiestatis particeps est Esa. c. 6. v. 3. *videt gloriam Domini Zebaoth*, at illa gloria fuit Spiritus sancti gloria Act. 28. v. 26. vnde dicitur *Spiritus gloriæ* 1. Petr. 4. v. 14. manifestat se in nube lucida Matth. 17. v. 5. illuminat enim *mentis nostræ tenebras* 2. Cor. 3. vers. 18. *nos omnes reuelata facie gloriam Domini speculantes in eandem imaginem transformamur à claritate in claritatem, tanquam à Domini Spiritu.* 3. Denique Spiritus sanctus est *beatus*, quod ex attributis enumeratis itidem colligitur, & quia de beatitudine vitæ æternæ obtinenda nos certos reddit. Hæc attributa pleraque breuiter comprehenduntur Sap. 7. v. 22. & 23. ἐν Σοφία πάντων τεχνίτις ἔστιν πνεῦμα νοερὸν, ἅγιον, μονογενές, πολυμερές, λεπτόν, εὐκίνητον, θρανόν, ἀμόλυντον, σαφές, ἀπήμαντον, φιλάγαθον, ὀξύ, ἀκώλυτον, εὐεργετικόν, φιλάνθρωπον, βέβαιον, ἀσφαλές, ἀμέριμνον, παντοδύναμον, πανεπίσκοπον, καὶ διὰ πάντων χωρῶν πνευμάτων νοερῶν καθαρῶν λεπτοτάτων.

Perfectio.

Maiestas.

Beatitudo.

42. Neue quis suspicetur vel in essentia vel in vllo attributo essentiali Spiritum sanctum esse Patri & Filio inæqualem, ideò Scriptura eum Patri & Filio ὁμοούσιον esse testatur. Præterquam enim, quòd tres diuinitatis personas essentia vnum esse superiùs ex Scriptura comprobatum dedimus [ex quo sponte sequitur, Spiritum sanctum esse Patri & Filio ὁμοούσιον] obseruanda etiam sunt fundamenta sequentia. Luc. 11. vers. 20. Spiritus sanctus dicitur *Dei digitus*, ex quo *Nazianzenus* & *Hieronymus* rectè colligunt ὁμοουσίαν Spiritus sancti cum Patre & Filio. Vt enim propter consubstantialitatem Filius dicitur Dei dextra, ita propter eandem rationem Spiritus sanctus dicitur Dei digitus, sicut digitus cum manu vel brachio, manus verò vel brachium cum corpore sunt in vna Natura vnum: ita Pater, Filius, & Spiritus sancti tres quidem sunt in personis, sed vnum in essentia indiuisa atque eadem. Sic 1. Ioh. 3. v. 24. & c. 4. vers. 13. *in hoc cognoscimus, quod ipse manet in nobis, ex S. quem dedit nobis*, hinc *Cyrillus* libr. 7. Dial. de Trin. colligit ὁμοουσίαν. *Pater & Filius mansionem faciunt apud credentes* Ioh. 14. v. 23. iam verò *ex Spiritu cognoscimus, quòd Pater & Filius manent in nobis.* Ergo vbi Spiritus S. ibi Pater & Filius, quod est proprium consubstantialitatis. Sic quemadmodum ex eo, quòd Christus dicit Iohann. 14. vers. 10. *Pater in me manens ipse facit opera*, rectè colligitur, quod Filius sit Patri ὁμοούσιος, siquidem vnitas operationis & potentiæ arguit in diuinis vnitatem essentiæ: ita quoque ex eo, quòd Christus dicit, *se in Spiritu Dei eiicere Dæmonia* Matth. 12. vers. 28 rectè colligitur, Spiritum S. esse Filio ὁμοούσιον. Vlterius, quemadmodū propter suam cum Patre ὁμοουσίαν dicit Filius Iohann 5. vers. 30. *Non possum à me ipso facere quicquam, sicut audio, iudico:* ita propter ean-

Ὁμοούσιος Sp. S.

dem rationem de Spiritu sancto dicitur Iohan.16. v. 13. *non loquetur à semetipso, sed quæcunque audierit, loquetur*: cum quo etiam confer, quod Iohan.15. vers.15. de sese dicit Filius: *quæcunque audiui à Patre meo, nota feci vobis*. Sic & conferenda sunt 2.Cor.13.v.3. *An quæritis experimentū eius, qui in me loquitur Christus*? & Matth. 10.vers.20. *non vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris mei*. Item 1.Corint.10.vers.4. *Christus deduxit Israëlitas per desertum*: & Esai.63. vers.14. *Spiritus S. deduxit Israëlitas*. Ergo eadem cum Filio operatur Sp.S. & quidem ὁμοίως vna eademque indiuisa potentia, vtique ergo est Filio ὁμοούσιος. Denique referenda hûc sunt dicta in quibus dicitur *vnus Spiritus*. 1.Cor.12.vers.11.13. Ephes.4. v.4. illud namque fit propter essentiæ cum Patre & Filio vnitatem siue ταυτότητα. Vide *Epiphan.* lib.3.hæres.54. pag 379. in Græco, vbi pulcerrimè & latissimè inter se confert opera Christi & Spiritus sancti.

Personalis Spir. S. proprietas.

43. Egimus hactenus de attributis diuinis essentialibus, quæ Spiritui sancto in Scriptura tribuuntur, atque ex illis veram Spiritus sancti Deitatem comprobauimus: idipsum ex personali ipsius proprietate, quæ est à Patre & Filio ab æterno procedere [vt latiùs paulò pòst ostendemus] comprobandum restat. *Sic ergo concludimus*: Quicunque à Patre & Filio ab æterno procedit, ille est verus Deus. Spiritus S. à Patre & Filio ab æterno procedit. Ergo est verus Deus. Maior confirmatur ex eo, quia processio illa nihil aliud est, quàm diuinæ essentiæ per æternam à Patre & Filio spirationem communicatio, vt ergo à Patre vero & æterno Deo generatur Filius verus & æternus Deus: ita etiam à Patre & Filio vero ac æterno Deo procedit Spiritus sanctus verus & æternus Deus. Præterea aliud est procedere, aliud est creari: Spiritus sanctus non est creatus, sed à Patre & Filio ita procedit ab æterno, vt propter essentiæ vnitatem in Patre & Filio maneat, nec ab illis separetur. Creari autem est extra Dei essentiam à Deo produci; cùm ergo Spiritus S. non sit in creaturarum numero, nec per creationem extiterit, sed potiùs cum Patre & Filio omnia creauerit, vtique ergo est verus Deus, quia inter Deum increatum & creaturas nullum datur medium. Assumtum confirmabitur suo loco.

Opera Sp.S. diuina.

44. *Accedimus ad tertiam argumentorum classem, ex quibus veram Spiritus sancti* Deitatem comprobamus, quæ complectitur opera diuina, quæ Spiritui sancto assignantur, ex quibus *ita concludimus*. Cuicunque tribuuntur opera diuina solius Dei propria, ille est verus Deus, cuius pronunciati rationem exposuimus in Disput. præcedente. Spiritui sancto tribuuntur opera diuina soli us Dei propria. Ergo Spiritus sanctus est verus Deus. Assumtum confirmant 1. Opus creationis, & conseruationis rerum omnium. 2. Opera illa, quæ in Christo secundùm humanam Naturam, & in credentibus tanquam membris Christi Spiritus sanctus efficit.

Creatio.

45. *Opus creationis disertè tribuitur Spiritui S.* Gen. 1. vers. 3. Spiritus Domini ferebatur super aquas instar gallinæ, ἐπωαζούσης καὶ ζωπυροῦντα δύναμιν ἐνεργοῦσης τοῖς ὑποδαλπομένοις, vt rectè exponit Basil. homil. 2. hexaëm. *Superferebatur vi quadam effectoria & fabricatoria, vt illud cui superfertur, efficiatur & fabricetur, sicut superfertur voluntas artificis ligno, vel cuique rei alij subiectæ ad operandum*. August. lib. de Genes. ad lit. c. 4. *superferri dicitur Spiritus Domini aquis, non peruagatione, sed potestate; non localiter, sed potentialiter, non per spacia locorum, sicut terræ Sol superfertur, sed per potentiam sublimitatis suæ*. Euchar. super 1. Genes. Sic Iob. 26. vers. 13. *Spiritus eius ornauit cælos* [quod quamuis aliqui de vento serenitatem adducente interpretentur: tamen ostendunt circumstantiæ, rectiùs de prima rerum creatione accipi] Psal. 33. vers. 6. *Verbo Domini cœli formati sunt & Spiritu oris eius omnis exercitus ipsorum*, vbi tres personas Triniratis distingui ex ipsis Rabinis, ostēdit Galatinus 2. de art. Cath. veri. c. 4.) Ambrosius expendit verba Iohan. 1. vers. 3. *Omnia per ipsum facta sunt*, & ait: *Spiritus sanctus in Euangelista loquebatur, ideo si fuisset creatura, oportuisset ipsum dicere, omnia per ipsum facta sumus, ita vt seipsum à censu creaturarum non excluderet*.

Cōseruatio.

46. Ad opus creationis referenda est. 1. *Specierum in vniuerso conseruatio*, quæ nihil aliud est, *quā creationis siue essendi quædam continuatio* Scal. exerc. 31. & 250. eadem verò tribuitur Spiritui S. Iob 33. vers. 4. *Spiritus Dei fecit me, & spiraculū Omnipotentis viuificauit me*. [in Hebræo est עשתני, & propriè significat *parare & aptare*, atque ita creationem secūdi generis exprimit: תחיני, in Hiphil, *fecit me viuere*] Psal. 104. v. 30. *Emitte Spiritum tuum, & creabuntur: innouas faciem terræ*. Esai. 57. v. 16. *Spiritus, qui est à facie mea, induit* [corpus] *& animas ego feci*. Sap. 12. v. 1. *Spiritus tuus incorruptibilis est in omnibus* ὁ φιλόψυχος. 2. Miraculorum operatio, siquidem nemo potest mutare Naturam, nisi qui creator & Dominus est Naturæ: eadem verò tribuitur Spiritui sancto. Exod. 8. vers. 16. *Per digitum Dei Moses sua miracula fecit*, perinde vt de Christo dicitur, quod *digito Dei ejecerit Dæmonia*. Luc. 11. vers. 20. id est, per *Spiritum Dei*. Matth. 12. vers. 28. Act. 10. vers. 38. *Vnxit Deus Iesum Spiritu & virtute, qui ob ambulauit beneficia affluens & sanans omnes à Diabolo oppressos*. 3. Sterilium fœcundatio, siquidem hoc esse diuinę potentiæ opus, vt apparet ex Genes. 30. vers. 2. cùm enim Rahel ibidem diceret ad Iacobum: *Da mihi filios, sin minus moriar*: hoc responsi accipit. *Nunquid Deus sum, qui prohibuit à te fructum ventris*. Psal. 112. vers. 9. celebratur hoc velut opus diuinæ virtutis, *quod habitare Deus faciat sterilem in domo matrem filiorum lætantem*. Iam verò Sp.S. tribuitur, quòd ex ipsius operatione *virgo conceperit absque viri semine*, quod longè maius est, quàm sterilis fœcundare Matth. 1. vers. 20. *quod in Maria natum, ex Sp.S. est*. v. 18. *Inuenta est in vtero habens à Sp.S.* Luc. 1. v. 35. *Spiritus sanctus superueniet tibi & virtus Altissimi obumbrabit tibi*.

Miraculi operum.

Sterilium fœcunditas.

47. *Opera gratiæ*, quæ Spiritus S. efficit, sunt duorum generum: quædam in Christo Mediatore & capite Ecclesiæ efficit [puta secundum assumtam Naturam] quædam in credentibus tanquam Christi membris. *Ad priorem* classem pertinet 1. quòd Christus à Spiritu S. missus. Es. 48. v. 16. *Nunc Dominus Iehouah misit me, & Spiritus eius*. [locum hunc de Messia accipiendum, ostendit Joh. 18. vers. 20. vbi Christus ad se accommodat, quod in hoc Esaiæ loco dicitur: *non in abscondito locutus sum*] referenda hûc omnia dicta, quæ testantur Christum à Deo missum esse, quia per illam missionem nihil aliud intelligitur, quàm quòd in sacratissimo Trinitatis decreto Filius ab æterno constitutus Mediator, & in temporis plenitudine missus, atque exhibitus. 2. Quòd Christus plenitudine Spiritus sancti vnctus, illa enim vnctio nihil aliud est quàm quod Christus secundùm humanam Naturam *Spir. S. & dona Sp.S. accepit non ad mensuram*, sed immensa atque infinita. Psal. 45 vers. 8. *Vnxit te Deus tuus, ô Deus, oleo latitiæ præ consortibus tuis*, hoc refertur ad Christum Hebr. 1. vers. 9. Esa. 42. v. 1. *Ecce hic est seruus meus, dedi ei Spiritum meum, &c.* Hoc refertur ad Christum Matth. 12. v. 18. Esai. 61. vers. 1. *Spiritus Domini Iehouæ super me, eò quod vnxerit Iehouæ me,*

Opera gratiæ Sp.S. Christi.

Opera gratiæ Sp.S. Christi in credentibus.

me, ad annunciandum manſuetis miſit me, &c. Hoc refertur ad Chriſtum Luc. 4. v. 18. De loco Eſa. 11. v. 1. dicetur paulò pòſt. Referti huc debent omnia Vet. & Nou. Teſtament. dicta, in quibus Filius DEI dicitur MESSIAS & CHRISTVS, quorum in Chaldaica Vet. Teſtam. paraphraſi & in Nou Teſtam. ſunt longè plurima 1. Samuel 2. verſ. 20. Pſalm. 2. verſ. 2. Pſalm. 132. verſ. 10. Dan. 9. verſ. 26. &c. Item quod Luc. 10. verſ. 21. Chriſtus dicitur exultaſſe in Spiritu. Iohan. 3. verſ. 34. *Deus dat Spiritum non ad menſuram.* Iohan. 6. v. 27. *Pater obſignauit Chriſtum*, vtique per Spiritum ſanctum. Act. 10. v. 36. *Vnxit Deus Ieſum Spiritu & virtute.* Deniq; quòd in Baptiſmo Spiritus ſanctus *in ſpecie columbæ deſcendit* ſuper Chriſtum, Matth. 3. v. 16. Mar. 1. v. 10. Luc. 3. v. 21. Ioh 1. v. 32. ille enim deſcenſus fuit manifeſtatio exterior eius, quod factum erat interius. Auguſt. 15. de Trin. c. 26. *Nec ſanè tunc vnctus eſt Chriſtus Spiritu ſancto, quando ſuper eum baptizatum velut columba deſcendit, tunc enim corpus ſuum, id eſt, Eccleſiam ſuam præfigurare dignatus eſt, in qua præcipuè baptizati accipiunt Spiritum ſanctum: ſed iſta myſtica & inuiſibili vnctione tunc intelligendus eſt vnctus, quando verbum Dei caro factum eſt.* 3. Quòd Chriſtus conceptus eſt in vtero Mariæ à Spiritu ſancto, vt modò diximus: Triplex autem Spiritus ſancti operatio fuit in iſta conceptione, *primò* quod præter Naturæ ordinem ſine virili ſemine virgo concepit: *ſecundò*, quod maſſa illa, ex qua Filius Dei aſſumſit humanam Naturam, repurgata fuit à veneno & ſordibus peccati: *tertiò*, quod admirabilis illa vnio diuinæ & humanæ Naturæ facta eſt, qua de re plura ſuo loco. 4. Quòd Chriſtus à Spiritu ſancto in deſertum expulſus ad miniſterij ſui inchoationem, Matth. 4. verſ. 1. Marc. 1. v. 12. Luc. 4. verſ. 1. 5. Quòd Chriſtus per Spiritum ſanctum miracula ſua perfecit, vt in præcedentis theſeos membro ſecundo oſtendimus. Hæc opera Spiritus ſancti in Chriſto Mediatore breuiter comprehenduntur Eſai. 11. verſ. 1. & 2. *Egredietur virga de ſtirpe Iſai, & ſurculus de radice eius creſcet: ſuper quem requieſcet* (חנח, ἀναπαύσεται) *Spiritus ſapientiæ & intelligentiæ: Spiritus conſilij & fortitudinis: Spiritus ſcientiæ & timoris Domini, &c.* Refer etiam huc, quod Zachar. 3. verſ. 9. dicitur: *Ecce adduco ſeruum meum nomine Germen* (hic eſt Meſſias *iuſtus ille DEI ſeruus* Eſa. 42. v. 1. *Germen Dauidis* Ierem. 23. verſ. 5. Zachar. 6. verſ. 12.) *Ecce lapis ille, quem dedi coram Iehoſua, ſuper quem vnum erunt ſeptem oculi* (lapis ille eſt Chriſtus Eſai. 28. verſ. 16. Pſal. 118. verſ. 22. Epheſ. 2. verſ. 20. cuius typus fuit Sacerdos iſte Iehoſua: ſeptem oculi ſunt ſeptem illa dona Spiritus ſancti, de quibus Eſa. 11. verſ. 2. dicitur: non quod tantùm ſeptem ſint Spiritus ſancti dona, ſed quia ſeptenarius eſt numerus perfectionis. Sic Apoc. 5. v. 6. dicitur: *Agnus Dei habere ſeptem oculos, qui ſunt ſeptem Spiritus miſſi in vniuerſum orbem*, per hos ſeptem Spiritus intelligi Spiritum ſanctum cum variis ſuis χαρίσμασι, apparet ex Apoc. 1. verſ. 4. vbi non minus à ſeptem Spiritibus, quàm à Patre & Filio Iohannes Eccleſiis gratiam & pacem precatur.)

Opera gratiæ Sp. S. in Chriſti membris.

48. *Opera gratiæ*, quæ in electis tanquam veris Chriſti membris efficit Spiritus ſanctus, ſunt varia & multiplicia. Reuocari autem poſſunt ad has duas claſſes: quædam enim Spiritus ſancti χαρίσματα ſunt omnibus ſaluandis neceſſaria: quædam ſunt peculiaria dona ad Eccleſiæ ædificationem certis tantùm perſonis data: de donis primi generis teſtatur Scriptura vel in genere vel in ſpecie. Generalia Scripturæ teſtimonia de Spiritus ſancti in credentibus habitatione & donis hæc ſunt. Iohan. 7. verſ. 38. *Qui credit in me*, dicit Chriſtus, *de ventre eius fluent flumina aquæ viuæ.* Actor. 15. verſ. 8. *Deus etiam gentibus dedit Spiritum ſanctum.* Rom. 8. verſ. 9. *Spirituales eſtis, ſi Spiritus Dei in vobis habitat, qui verò Spiritum Chriſti non habet, non eſt eius*, verſ. 10. *Si Spiritus eius, qui Ieſum ex mortuis reſuſcitauit, in vobis habitat.* verſ. 15. *Qui Spiritu Dei aguntur, hi ſunt filij Dei.* Rom. 15. verſ. 13. *Deus ſpei repleat vos omni gaudio & pace in credendo, vt abundetis in ſpe, in virtute Spiritus ſancti.* 1. Cor. 3. verſ. 16. *Neſcitis, quia templum Dei eſtis, & Spiritus Dei habitat in vobis?* 1. Cor. 6. verſ. 19. *Corpus veſtrum templum eſt Spiritus ſancti.* Gal. 5. verſ. 22. *Fructus Spiritus eſt charitas, gaudium, pax, μακροθυμία, benignitas, bonitas, fides, manſuetudo, continentia.* Epheſ. 5. v. 9. *Fructus Spiritus eſt in omni bonitate, iuſtitia & veritate.* 1. Theſ. 4. v. 8. *Qui ſpernit, non hominem ſpernit, ſed Deum, qui etiam dedit Spiritum ſuum ſanctum in nobis.* Heb. 6. verſ. 4. *Qui participes facti Spiritus ſancti.* 1. Pet. 4. v. 14. *Spiritus gloriæ & Dei habitat in vobis* (ἀναπαύεται ex Eſa. 11. verſ. 2.) 1. Iohan. 3. v. 24. *In hoc ſcimus, quoniam manet in nobis, de Spiritu, quem dedit nobis.* 1. Iohann. 4. verſ. 13. *In hoc cognoſcimus quoniam in eo manemus & ipſe in nobis, quoniam de Spiritu ſuo dedit nobis.*

49. In ſpecie de operibus gratiæ in credentibus teſtatur Scriptura. Primò, quod nos regeneret, quæ regeneratio eſt quædam ἀναζωώσις καὶ ἀνάπλασις non minoris potentiæ opus, quàm ipſa creatio Zachar. 12. verſ. 10. Hebræor. 10. verſ. 29. vocatur Spiritus gratiæ. [1. per regenerationem homini cõciliat Dei gratiam. 2. Teſtimonium in cordibus noſtris reddit de Dei gratia. 3. Donum Spiritus ſancti eſt donum ex gratia] Iohan. 3. v. 5. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non ingredietur regnum Dei.* verſ. 6. *Quod natum eſt ex Spiritu, Spiritus eſt.* 1. Cor. 6. v. 11. *Abluti eſtis, ſanctificati eſtis, iuſtificati eſtis per nomen Ieſu Chriſti & Spiritum Dei* (remiſſionem peccatorum, iuſtitiam & ſanctitatem à Chriſto nobis partam Spiritus S. in regeneratione nobis applicat] Tit. 3. v. 5. *Baptiſmus eſt lauacrum regenerationis Spiritus ſancti.* Rectè Cyril. lib. 1. in Iohan. c. 14. *Si Spiritus non eſt Natura Deus, ſed in creaturarum numero collocatur, quomodo, qui per eum regenerati ſumus, ex Deo nati dicimur?* Referenda huc dicta, in quibus Spiritus ſanctus confertur aquæ viuæ [1. Abluit nos per regenerationem à ſordibus peccati, & nos in delictis mortuos ſpiritualis vitæ partici pes reddit. 2. Largitur effunditur in corda credentium. 3. In anguſtiis & tentationibus nos inundos recreat] Eſa. 44. v. 3. *Effundam aquas ſuper ſitientem, & fluenta ſuper aridam, effundam Spiritum meum ſuper ſemen tuum* Ezech. 36. v. 25. *Spargam ſuper vos aquam mundam & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris.* v. 26. *Spiritum meum dabo in medio veſtri.* Ezech. 47. verſ. 8. *Aquæ è templo manentes omnia ſanant & viuificant.* Iohan. 4. v. 10. *Petiſſes ab eo, & dediſſet tibi aquam viuam.* v. 14. *Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non ſitiet in æternum*, [dicit Chriſtus] *ſed aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam* [Spiritus ſanctus 1. Liberat ab æterna ſiti. 2. Extinguit ſitim rerum temporalium. 3. Excitat ſitim vitæ æternæ.] Iohan. 7. v. 38. *Qui credit in me, de ventre eius fluent flumina aquæ viuæ.* v. 39 *Hoc dicebat de Spiritu, quem accepturi erant credentes.* Apoc. 7. v. 17. *Agnus in medio throni pa cet eos & deducit ad viuos fontes aquarum.* cap. 21. v. 6. *Sitienti dabo de fonte aquæ viuæ gratis.* c. 22. v. 1. *Oſtendit mihi fluuium aquæ viuæ ſplendidum tanquam cryſtallum.* v. 17. *Qui vult, accipiat aquam vitæ gratis.*

Regeneratio.

50. Secundò Spiritus ſanctus nos renouat: non ſolùm nos regenerat & fidem in cordibus accendit, per quam reddimur Dei Filij: ſed etiam nouos ſpirituales motus excitat, imaginem Dei amiſſam inſtau-

Renouatio.

rare incipit, & sanctificat. Roman. 2. v. 29. *Circumcisio cordis fit in Spiritu.* cap. 7. v. 6. *Seruiamus in nouitate Spiritus.* c. 15. v. 16. *Oblatio gentium accepta Deo sanctificata in Spiritu sancto.* 1. Corinth. 6. vers. 11. *Sanctificati estis per Spiritum Dei.* 2. Corinth. 3. vers. 18. *Reuelata facie gloriam Domini speculantes, in eandem imaginem transformamur à claritate in claritatem, tanquam à Domini Spiritu.* 2. Thessal. 2. vers. 13. *Elegit vos Deus ab initio ad salutem in sanctificatione Spiritus.* Titul. 3. vers. 5. *Baptismus est lauacrum renouationis Spiritus sancti.*

51. *Hanc renouationem & sanctificationem nostri per Spiritum sanctum*, Scriptura per partes declarat: vtpote 1. Quod Spiritus sanctus nos illuminat & interius docet, efficax est per verbum, aperit cor nostrum, discutit natiuas mentis tenebras. Esa. 11. v. 2. *Est Spiritus scientiæ & intellectus.* Ier. 31. v. 33. *scribit legem in corda.* Iohan. 16. v. 13. *docet omnia & in omnem veritatem ducit.* Ephes. 1. v. 17. *est Spiritus sapientiæ & reuelationis.* v. 18. *dat illuminatos oculos intellectus.* 1. Iohan. 2. v. 20. *vnctionem habetis à sancto, & nostis omnia.* v. 27. *non necesse habetis, vt aliquis vos doceat, sed sicut vnctio eius docet vos de omnibus, & verum est, & non est mendacium.* Hebr. 6. v. 4. *Qui semel sunt illuminati & participes facti S. S.* 2. Quod filialem erga Deum fiduciam excitat, vnde dicitur Spiritus non δελείας, sed υἱοθεσίας Roman. 8. v. 15. *Spiritus fidei* 2. Corinth. 4. v. 13. *Quia liberi estis, misit Deus Spiritum Filij sui in corda vestra.* Gal. 4. v. 6. *Ergo hic non amplius est seruus, sed omnes liberi.* v. 7. *Deus non dedit nobis Spiritum seruitutis.* 2. Tim. 1. v. 7. *quod excitat etiam timorem filialem, hinc dicitur Spiritus timoris.* Esa. 11. v. 2. charitatem veram erga Deum & proximum. Roman. 5. vers. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritu sanctum, qui datus est nobis.* Rom. 15. v. 30. *Obsecro vos per charitatem Spiritus.* Col. 1. v. 8. *Epaphras manifestauit nobis charitatem vestram in Spiritu.* 2. Tim. 1. v. 7. dicitur *Spiritus dilectionis*, ideò etiam apparuit *in linguis igneis.* Act. 2. vers. 3. quia frigida corda nostra accendit ad amorem Dei. Gal. 5. vers. 22. *Fructus Spiritus est charitas.* Excitat insuper *verum & Spirituale gaudium in cordibus nostris.* Rom. 14. v. 17. *Regnum Dei non est cibus & potus, sed iustitia, pax & gaudium in Spiritu sancto.* Gal. 5. v. 22. *Fructus Spiritus est gaudium*: liberos enim nos reddit à legis accusatione. Rom. 8. v. 1. & 2. *Vbi Spiritus Domini ibi libertas.* 2. Cor. 3. v. 18. συλλόδην dicendo, *deduxit nos in via recta.* Psalm. 143. vers. 11. *Instruit nos*, Nehem. 9. vers. 20. *& pedes nostros in viam pacis & vitæ dirigit.*

Spiritus S. impellit ad preces.

52. Pertinet huc, quòd Spiritus sanctus 3. impellit nos ad preces, quia enim est Spiritus υἱοθεσίας, ideò etiam ad preces nos inuitat, quæ nihil aliud sunt, quàm amicum animæ fidelis cum Deo tanquam amantissimo Patre colloquium, hinc dicitur *Spiritus precum* Zach. 12. vers. 10. (1. obtinetur precibus Luc. 11. v. 13. 2. docet rectè orare Rom. 8. vers. 26. 3. impellit ad preces: quæ omnia non pugnant inter sese, quia fides à Sp. S. accensa fundit orationem, & oratio fusa fidei impetrat incrementum atque firmitatem) Iohan. 4. vers. 24. *Veri adoratores adorabunt in S. & veritate* (in Vet. Testam. sacrificia igne cœlesti accedebantur, ita si labiorum nostrorum sacrificia Deo placere debent, à Spiritu sancto accendi ea oportet) Rom. 8. v. 15. *Accepistis Spiritum* υἱοθεσίας, *per quem clamamus Abba Pater* vers. 23. *nos, qui habemus primitias Spiritus intra nos, gemimus, adoptionem filiorum expectantes.* vers. 26. *similiter autem & Sp. S.* συναντιλαμβάνεται ταῖς ἀσθενείαις ἡμῶν [quod propriè competit ei qui vnà cum alio onus suscipit, si non sumus ferendo, crucis oneri, auxiliatur Sp. S.] *nam quid oremus sicut oportet nescimus, sed S.* ὑπερεντυγχάνει ὑπὲρ ἡμῶν στεναγμοῖς ἀλαλήτοις [plus quam intercedit, *Ambrosius* in comm. super h. locum: *Non humanis eloquiis postulare pro nobis dicit Spiritum Domini, sed more Naturæ suæ. Cùm enim quod de Deo est, Deo loquitur, eo more loquatur necesse est, quo ille loquitur, de quo est: nemo enim cum ciue suo alia lingua loquitur: superfundit enim se precibus nostris Spiritus S. datus nobis, vt imperitiam & improuidentiam nostram motu suo operiat, & illa nobis à Deo petat, quæ prosunt nobis*] Ephes. 2. vers. 18. *Per Christum habemus accessum in vno Spiritu ad Patrem.* Coniunge Eph. 5. vers. 19. & cap. 6. vers. 18. 1. Cor. 12. v. 3. *Nemo potest Iesum dicere Dominum* [videlicet ex vera cordis fiducia, non ex hypocrisi, Matt. 7. v. 21.] *nisi per Spiritum sanctum.* Gal. 4. v. 6. *misit Deus Spiritum Filij sui in corda vestra clamantem Abba Pater.* Pertinet huc, quod Spiritus S. vinculo fidei, charitatis & precum nos coniungit Deo. 1. Cor. 6. v. 17. *qui adhæret Domino, est vnus Spiritus cum eo*: coniungit etiam nos inuicem, tanquam membra vnius mystici corporis, cuius caput est Christus 1. Cor. 12. v. 13 Eph. 4. v. 3.

53. *Ad renouationis opus etiam hoc referendum, quod Spiritus S. 4. nos erigit & consolatur*, vnde dicitur noster παράκλητος Iohan. 14. v. 6. c. 15. v. 26. [dicitur autem παράκλητος, annotante *Vlpiano* in orat. Demosth. περὶ παραπρεσβείας, ille, qui ἐπὶ παράκλησιν ἐλθὼν συνηγορῆσαι, qui alicui patrocinio suo succurrit, eius causam & sententiam tuetur, sicque Aduocatum agit: est autem Aduocati munus clientulos suos primò instituere, sicubi dubitant, vel causam non rectè agunt, secundò consolari & exhortari, ne deficiant, sed pergant: tertiò adiungere se reo & simul cum ipso causam agere, & quod cliens sicut decet, agere non potest, illud Aduocatus peragit. *Dn. Chemnit.* part. 1. loc. cap. 2. de Spirit. S. pag. 231.] pertinent huc dicta, in quibus Spiritus S. confertur aquæ viuæ, quæ paulò antè enumerata sunt, illud enim ideò fit, quia est *in æstu temperies, dulcis hospes animæ, dulce refrigerium*, vnde etiam insufflando Christus Apostolis dedit Spiritum sanctum Iohann. 20. v. 22. & ipse Spiritus S. in specie πυρὸς descendit super Apostolos Act. 2. vers. 2. Quin & Sp. S præterquam quod interiori sua consolatione in omnibus angustiis & tentationibus nos erigit, etiam confortat nos, ne in via Domini deficiamus. Psal. 51. vers. 14. Spiritu spontaneo confirma me (נדב, est è supernis sustentauit personam, ne cadat & pereat) hinc dicitur *Spiritus roboris.* Esa. 11. vers. 2. & Apostolus precatur Ephes. 3. vers. 16. *vt virtute corroborentur Ephesii per Spiritum Dei in hominem interiorem* 2. Timoth. 1. v. 7. dicitur Spiritus δυνάμεως.

Peculiaria operagratiæ Spiritus S.

54. Denique ad renouationem pertinet, quòd Spiritus sanctus 5. nos interno suo testimonio certos reddit de Dei gratia & vitæ æternæ hæreditate. Psal. 51. vers. 12. *Spiritum rectum innoua in visceribus meis* [in Hebræo est נכון Spiritum firmum, certificantem & confirmantem) Rom 8. vers. 16. *Spiritus sanctus testimonium reddit* [συμμαρτυρεῖ] *quod simus Filij Dei.* vers. 17. *Si autem Filij, vtique & hæredes* Roman. 15 vers. 13. *Impleat vos Deus gaudio & pace in fide, vt abundetis in spe in virtute Spiritus sancti.* 2. Corinth. 1. vers. 21. Deus est ὁ βεβαιῶν ἡμᾶς εἰς χριστὸν καὶ χρίσας ἡμᾶς. vers. 22. καὶ σφραγισάμενος ἡμᾶς, [sicut additum sigillum confirmat literas, ita per Spiritum sanctum Deus suas obsignat promissiones] καὶ δοὺς τὸν ἀρραβῶνα τοῦ πνεύματος ἐν ταῖς καρδίαις ἡμῶν [arrha vel arrhabo propriè est pignus, quod à Sponso datur Sponsæ ad confirmandam futuratum nuptiarum promissionem: si desponsauit se animæ nostræ Christus, dat igitur

Confirmat nos de Dei gratia.

Constitutio Ministerij.

igitur ei artham Spiritus, vt per eam confirmetur, fusurum olim certissimè, *vt ad nuptias agni* introducatur Apoc. 19. vers. 7. cap. 21. vers. 2. (*August.* serm. 179. de temp. Spiritus S. *est arrha sponsalis.* 2. Cor. 5. v. 5. *Deus dedit nobis arrhabona Spiritus.* Galat. 5. vers. 5. *Spiritu ex fide spem iustitiæ expectamus* [Iustitiam illam, quæ in nouo cœlo habitabit 2. Pet. 3. vers. 13] Ephes. 1. vers. 13. ἐσφραγίσθητε τῷ πνεύματι τῆς ἐπαγγελίας τῷ ἁγίῳ vers. 14. ὅς ἐστιν ἀρραβὼν τῆς κληρονομίας ἡμῶν εἰς ἀπολύτρωσιν τῆς περιποιήσεως. Spiritus S. est Spiritus promissionis, non solùm quia credẽtibus est promissus, sed etiam quia promissionem vitæ æternæ credentibus oblignat) Ephes. 4. vers. 30. id ipsum reperitur 1. Iohan. 3. vers. 24. 1. Iohan. 4. vers. 13. *ex Spiritu cognoscimus Deum in nobis manere*, 1. Ioh. 5. vers. 6. *Spiritus est, qui testatur, quòd Spiritus sit veritas.* Spiritus sanctus in corde interiùs nos certos reddit de promissionibus Euangelij, quæ in verbo, quod est ministerium Spiritus, nobis offeruntur) vers. 10. qui credit in Filium Dei, testimonium non habet in semetipso. Quinimò per Spiritum sanctum πρόγευσις *vitæ æternæ & cœlestis suauitatis in cordibus oritur.* Hebr. 6. vers. 4. & 5. quò etiam pertinet obsignatio seruorum Dei, cuius, mentio fit Ezech. 9. vers. 4 Apocalyp. 7. vers. 4. Hæc omnia breuiter complectitur Basil. lib. de Spiritu sancto cap. 35. *Per Spiritum sanctum datur in Paradisum restitutio, in regnum cœlorum reditus, in adoptionem filiorum reuersio: datur fiducia Deum appellandi Patrem suum, consortem fieri gratiæ Christi, Filium lucis appellari, æternæ gloriæ participem esse, & vt simul dicam omnia, esse in omni benedictionis plenitudine, tùm in præsenti hoc sæculo, tùm in futuro, repositorum bonorum, quibus interim per fidem fruimur, perinde quasi adsint, gratiam velut in speculo contemplantes.*

Peculiaria operagratiæ Spiritus S.

55. Atque hæc sunt opera Spiritus sancti quæ in omnibus omninò saluandis efficit, ideoque dici possunt communia: restat vt agamus de peculiaribus illis gratiæ operibus, quæ in certis tantùm personis ad Ecclesiæ ædificationem Spiritus sanctus operatur. De his ex professo agit Apostolus 1. Cor. 12. v. 4. *Diuisiones gratiarum sunt, idem autem Spiritus* v. 5. *diuisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus* v. 6. *diuisiones operationum sunt, idem verò Deus, qui operatur omnia in omnibus.* vers. 7. *vnicuique autem datur manifestatio Spiritus ad vtilitatem.* vers. 8. *alij quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ, alij autem sermo scientiæ, secundùm autem Spiritum.* vers. 9. *alteri fides in eodem Spiritu: alteri* χαρίσματα *sanitatum in eodem Spiritu.* vers. 10. *alij operatio virtutum, alij verò Prophetia, alij verò discretio Spirituum, alij genera linguarum, alij interpretatio linguarum.* vers. 11. *hæc autem omnia operatur vnus atque idem Spiritus, &c.* Porrò hæc Spiritus sancti χαρίσματα omnia & singula sunt diuinæ potentiæ effecta atque indicia clarissima.

Confirmatur gratia.

Constitutio Ministerij.

56. Ad hanc classem diuinorum operum Spiritus sancti referimus, 1. *quòd constitutio & regimen Ministerij Ecclesiastici* Spiritui sancto tribuitur, ad quod opus diuinam requirit potentiam in propatulo est, siquidem efficax cordium immutatio & hostium etiam infernalium repressio ad illud pertinet Gen. 6. vers. 3. *Non disceptabit Spiritus meus cum hominibus vlteriùs*, quòd confer cum Iohan. 16. vers. 8. *Spiritus sanctus arguit mundum de peccato, &c.* sic Matt. 10. vers. 20. *Non vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris mei per vos loquitur.* Iohan. 15 vers. 26. *Spiritus sanctus de me testificabitur*, (dicit Christus. puta exteriùs per verbum & interiùs in cordibus) Actor. 7. vers. 51. *Vos semper resistitis Spiritui sancto* cap. 13. vers. 2. *Cum Domino ministrarent & ieiunarent, dicebat Spiritus sanctus: segregate mihi Barnabam & Paulum, ad opus illud, ad quod eos elegi.* vers. 4. *emissi à Spiritu sancto venerunt Seleuciam.* cap. 15. vers. 28. *Apostoli in decreto primæ Synodi dicunt: Placuit Spiritui sancto & nobis* cap. 16. vers. 6. *prohibet Spiritus sanctus Verbum DEI loqui in Asia*, vt & vers. 7. *in Bithyniam* cap. 20. vers. 22. *ego vinctus in Spiritu proficiscor versus Ierosolymam.* vers. 28. *attendite gregi, super quem constituit vos Spiritus sanctus Episcopos* 1. Cor. 2. vers. 4. *prædicatio mea in effusione Spiritus.* vers. 10. *nobis reuelauit Deus per Spiritum* 2. Cor. 3. vers. 3. *Epistola Christi estis scripta non atramento, sed Spiritu Dei viui.* vers. 6. *Deus idoneos nos fecit ministros Noui Testamenti, non literæ sed Spiritus.* Phil. 1. vers. 19. διὰ τῆς ἐπιχορηγίας τοῦ πνεύματος (cum quo confer Ephes. 4. vers. 16. vers. 17. *Verbum Dei est gladius Spiritus.* 2. Thess. 2. vers. 13. *Elegit vos Deus ad salutem in sanctificatione Spiritus* (verbum est ministerium Spiritus, per quod nos sanctificat) 2. Tim. 1. vers. 14. *custodi depositum verbi per Spiritum sanctum.* 1. Iohan. 5. v. 6. *Spiritus testatur, quòd Spiritus sit veritas.* v. 7. *tres sunt qui testificantur in terra, Spiritus, aqua & sanguis, &c.* Huc pertinent dicta superiùs enumerata thesi 24. quæ ostendunt Spiritum sanctum locutum esse per Prophetas & Apostolos.

Effusio in Apostolos.

57. Deinde huc referendum est, *quòd Spiritus S. super Apostolos effusus omnium linguarum eos gnaros reddidit*, quod esse diuinæ potentiæ opus negari nulla veritatis specie potest. Promittitur illa Spiritus effusio & vocatur *Baptismus Spiritus* Matth. 3. vers. 11. Marc. 1. vers. 8. Luc. 3. vers. 16. Actor. 1. vers. 5. & 8. complementum promissionis huius describitur Actor. 2. vers. 2. & seqq. cap. 4. vers. 8. cap. 5. vers. 32. quò referendum, quòd peculiaria illa Spiritus sancti χαρίσματα etiam aliis credentibus in primitiua Ecclesia sint data. Actor. 8. vers. 15. 16. 17. cap. 10. vers. 44. & 46. cap. 19. vers. 4. 5. Tertio loco ad peculiaria Spiritus S. *Futurorum* χαρίσματα pertinet, *quòd ventura reuelauit Prophetis & reuelatio. Apostolis*, quod esse diuinæ sapientiæ opus ostenditur Esa. 41. vers. 22. Illam futurorum reuelationem comprobant dicta omnia, quæ testantur, Spiritum sanctum locutum per Prophetas & Apostolos, siquidem in Propheticis & Apostolicis concionibus atque Scripturis plurimæ extant de futuris rebus prædictiones. Luc. 2. vers. 26. *Simeon acceperat responsum à Spiritu sancto non visurum se mortem, antequam Christum viderit.* Iohan. 16. vers. 13. *Spiritus quæ futura sunt, manifestabit.* 1. Timoth. 4. vers. 1. *Spiritus ῥητῶς λέγει, quod in nouissimis temporibus discedent quidam à fide, hinc vocatur Spiritus Prophetiæ* Apocalyps. 19. vers. 10. Quartò huc pertinet, quòd Spiritus sanctus *viros DEI ex improuiso* in alium transtulerit locum, 1. Reg. 18. vers. 2. de *Elia.* Ezech. 3. vers. 14. de *Ezechiele.* Act. 8. vers. 39. de *Philippo.* Denique quòd *prudentiam ac regimen politicum necessarium conferat.* Num. 11. vers. 7. *Ponam de Spiritu tuo super septuaginta seniores, vt portent tecum onus populi.* 1. Sam. 10. vers. 6. dicit Samuel ad Saulem: *Requiescet super te Spiritus Iehouæ, & prophetabis, efficierisque vir alter.* 1. Sam. 16. vers. 13. *Mansit Spiritus Iehouæ à die illa super Dauidem.* Item quòd *Spiritus Dei impleuit Bezaleelem sapientia, intelligentia, scientia & omni arte, ad excogitandum quicquid fabrefieri potest ex auro & argento, &c.* Exod. 31. vers. 3. & 4. quæ omnia sunt diuinæ sapientiæ effecta atque indicia.

Translatio prorum.

Diuinus Sp. S. honor.

58. Expositimus hactenus tertiam argumentorum classem, ex quibus vera Spiritus sancti Deitas comprobari potest, petitam ex diuinis operibus: restat classis quarta, continens dicta, quæ testantur diuino cultu atque honore Spiritum

sanctum esse affectum atque à nobis afficiendum, vbi *tale proponimus argumentum*. Cuicunque diuinus honor tribuitur ac tribui iubetur, is est verus Deus. At Spiritui sancto diuinus honor tribuitur ac tribui iubetur. Ergo Spiritus sanctus est verus Deus. Maior propositio Disp. superiore comprobata est, & ἁγιάσμὸν extat Esa. 42. vers. 8. *Ego Iehouah, hoc est nomen meum, & gloriam meam alteri non dabo.* Assumtum probatur hoc modo: 1. Per nomen Spiritus sancti *iurari* potest Rom. 9. vers. 1. *Veritatem dico in Christo, non mentior, testimonium mihi perhibente conscientia mea in Spiritu sancto*: iam verò per nomen solius veri Dei iurari debet. Deuter. 6. vers. 13. 2. *In nomine Spiritus sancti baptizamur.* Matth. 28. vers. 29. *Baptizate omnes Gentes in nomine Patris, Filij & Spiritus sancti*: iam verò Baptismus est *fœdus cum Deo initum.* 1. Petr. 3. v. 21. 3. Spiritus S. à Seraphin adoratur: Is enim, qui Prophetæ dixit: *Vade, obtura aures populi huius, &c.* cœlesti illa δοξολογίᾳ ab Angelis honoratur Esa. 6. v. 3. 5. 6. atqui Spiritum sanctum ea dixisse testis est Apostolus Act. 28. vers. 25. Ergo Spiritus sanctus est, quem adorat Seraphin: vnde in Synodo Constantinopolitana rectè additum est Symbolo Nicæno, *quòd Spiritus sanctus cum Patre & Filio simul adoretur & conglorificetur*: iam verò cultus adorationis soli Deo debetur Deuter. 6. vers. 13. 4. Denique mentio peculiaris *cuiusdam peccati in Spiritum sanctum.* Matth. 12. vers. 31. Marc. 3. vers. 29. Luc. 12. vers. 10. 1. Iohan. 5. vers. 13. quod quale sit, suo exponetur loco: iam verò, *vt vnus est Legislator* Iac. 4. vers. 12. ita etiam *soli Deo peccamus.* Psalm. 51. vers. 2. (לְךָ לְבַדְּךָ חָטָאתִי *tibi soli peccaui.*) Rectè igitur in tertio Symboli Apostolici articulo profitemur, nos non solùm in Patrem & Filium, sed etiam in Spiritum sanctum credere, quippe qui cum Patre & Filio est vnus verus Deus. Credimus ergo in Spiritum sanctum, qui à Patre & Filio procedens ex plenitudine potestatis sanctam Ecclesiam Catholicam efficit in communione Sanctorum, quorum mentes suis donis illustrat, vt remissis propter Christum peccatis vitam æternam consequantur.

CAPVT IV.

De personali Sp. S. proprietate.

Personalis S.S. proprietas.

59. Dicta hæc sint de primo tractatus huius membro, videlicet de vera Spiritus S. Deitate; accedamus ad alterum, quod de *personali Spiritus sancti proprietate* disseret. Est autem Spiritus S. personalis proprietas ὁ ἁγίου τὸ πατρὸς ἐκ τοῦ υἱοῦ αἰωνίως ἐκπόρευσις, de qua Symb. Athan. ita habetur: *Spiritus S. non factus, nec creatus, nec genitus, sed à Patre & Filio procedens.* De hac ineffabili processione Spiritus S. testantur dicta 1. quæ κατ' ἐξοχὴν processionem istam exprimunt, Iohan. 15. vers. 26. πνεῦμα τῆς ἀληθείας, ὃ παρὰ πατρὸς ἐκπορεύεται. Cogitent piè eruditi, an quodammodo hûc referri possit locus Apoc. 22. v. 1. *Ostendit mihi fluuium aquæ viuæ, splendidum tanquam crystallum*, ἐκπορευόμενον ἐκ τοῦ θρόνου τοῦ Θεοῦ καὶ τοῦ ἀρνίου: agitur quidem propriè eo in loco de effusione copiosa Spiritus S. inclues cœlestis Hierosolymæ, interim tamen obseruandum est idem vocabulum hîc vsurpari, quod de æterna illa & ineffabili processione vsurpatur, Iohan. 15. vers. 26. nimirum quia missio in tempore facta est manifestatio processionis ab æterno. 2. in quibus Spiritus S. dicitur *Spiritus oris Domini, Spiritus labiorum eius, spiraculum omnipotentis.* Iob. 33. v. 4. *Spiritus Domini fecit me, & spiraculum omnipotentis viuificauit me* (in Hebræo est נִשְׁמַת positum in regimine LXX. πνοὴ, quæ vocula vsurpatur Act. 2. v. 2. in visibili effusione Spiritus S.) Psal. 33. v. 6. *Verbo Domini cœli formati sunt, & Spiritu oris eius omnis exercitus eorum.* v. 4. *Messias Spiritu labiorum suorum interficiet impium.* 2. Thess. 2. vers. 8. *Spiritu oris sui interficiet iniquum.* 3. In quibus dicitur *Spiritus faciei Domini*, Esa. 57. vers. 16. *Spiritus qui est à facie mea, induet corpus.* רוּחַ מִלְּפָנַי עָטָף 4. In quibus dicitur *Spiritus ex Deo.* 1. Cor. 1. v. 12. *Non accipimus spiritum mundi, sed Spiritum qui est ex DEO* [τὸ πνεῦμα τὸ ἐκ τοῦ Θεοῦ, per æternam scilicet processionem.] 5. In quibus dicitur, Spiritum à Patre & Filio in tempore mitti, quia illa missio in tempore est manifestatio processionis æternæ. Esa. 44. v. 3. sic dicit Dominus: *Effundam aquas super sitientem, effundam Spiritum meum, &c.* id Ioh. 7. v. 38. refertur ad Spiritum sanctum. Ezech. 36. vers. 25. *Spargam super vos aquam mundam.* vers. 26. *Spiritum meum dabo in medium vestri* [apud Esaiam in Hebræo est יצק, quod notat copiosam effusionem instar fluminis:] Ezech. 39. v. 29. *Effudi Spiritum meum super domum Israël.* Ioël. 2. v. 28. 29. *Effundam Spiritum meum super omnem carnem.* Act. 2. vers. 17. eius complementum ostenditur. Zach. 12. v. 10. *Effundam Spiritum gratiæ & precum super domum Dauid.* Luc. 24. vers. 49. dicit Christus, *Mittam vobis promissionem Patris* Ioh. 14. v. 26. *Pater mittit Spiritum sanctum in Christi nomine* cap. 15. v. 26. *Filius mittit Spiritum sanctum à Patre.* cap. 16. vers. 7. *mittit Spiritum* cap. 20. v. 22. *insufflando dat Apostolis Spiritum.* Actor. 10. vers. 45 *super Gentes effunditur donum Spiritus.* Gal. 4. v. 6. *mittit Deus Spiritum Filij in corda credentium.* Tit. 3. vers. 6. *Deus effundit in nos Spiritum opulenter.* 1. Petr. 1. vers. 12. *Per Spiritum sanctum de cœlo missum.* Apocal. 5. vers. 6. *Agnus habebat septem oculos, qui sunt septem Spiritus missi in orbem terrarum.* 6. In quibus dicitur *Spiritus Dei*, i. d est, Patris & Filij nimirum, quia à Patre & Filio procedit; vbi obserua, quòd dicatur Spiritus אֱלֹהִים in plurali. Genes. 1. vers. 2. quia est Patris & Filij Spiritus ab vtroque procedens. Talia dicta, in quibus Spiritus sanctus dicitur *Spiritus Dei, Spiritus Domini, Spiritus Elohim, Spiritus Patris, Spiritus Filij*, continentur in Scripturis longè plurima. 7. Denique in quibus etiam absolutè dicitur *Spiritus*, primaria enim & potissima appellationis istius ratio consistit in eo, quòd à Patre & Filio per æternam spirirationem procedit Spiritus sanctus.

60. De hac personali Spiritus S. proprietate, vt differamus vberius, ipsa rei necessitas requirere videtur. Ac primò omnium quæritur, quid propriè notet ἐκπόρευσις? *Resp.* πορεύομαι generale nomen est, significans iter ingredior, proficiscor, viam ineo. 1. Pet. 3. vers. 22. Christus πορευθεὶς εἰς οὐρανὸν Matt. 25. vers. 16. πορευθεὶς ὁ τὰ πέντε τάλαντα λαβών. Sic & LXX. Genes. 24. vers. 4. πορεύσῃ εἰς πόλιν μου. vers. 10. ἐπορεύθη εἰς μεσοποταμίαν & alibi passim ἐκπορεύεσθαι, id est egredi, vsurpatur. 1. de fluminum ortu, Genes. 2. vers. 10. ποταμὸς ἐκπορεύεται ἐξ ἐδέμ. Ezech. 47. vers. 1. ἰδοὺ ὕδωρ ἐξεπορεύετο ὑποκάτωθεν τοῦ οἴκου τοῦ Θεοῦ τοῦ οἴκου. 2. de hominibus locum mutantibus. Genes. 24. vers. 11. ἵνα ἐκπορεύονται αἱ ὑδρεύμεναι. vers. 13. αἱ θυγατέρες ἐκπορεύονται. vers. 15. ἡ Ρεβέκκα ἐξεπορεύετο, &c. 3. De manifestatione Dei in signo æterno Psal. 68. vers. 8. ὁ Θεὸς ἐν τῷ ἐκπορεύεσθαι σε ἐνώπιον τοῦ λαοῦ σου. Mich. 1. v. 3. Κύριος ἐκπορεύεται ἐκ τοῦ τόπου αὐτοῦ. 4. de Angelis locum mutantibus ac sese manifestantib. Zach. 2. v. 3. Ἄγγελος ἔτερος ἐξεπορεύετο, 5. de natiuitate ex vtero Iud. 8. v. 30. τῷ Ἰεδιὼν ἦσαν υἱοὶ ἑβδομήκοντα ἐκπορευόμενοι ἐκ μηροῦ αὐτοῦ. 6. de egressu

verbi

verbi ex ore. Deuter. 8. vers. 3. Matth. 4. vers. 4. Non in solo pane viuit homo, sed ὅτι πάντα ῥήματα ἐκπορευόμενα διὰ στόματος Θεοῦ. Mat. 15. vers. 18. Τὰ ἐκπορευόμενα ἐκ τοῦ στόματος ἐκ τῆς καρδίας ἐξέρχεται. Denique generalis quodammodo est huius vocabuli significatio. Sic dicitur μέτεον ἐκπορευόμενον. Zach. 5. vers. 6. ἅρματα ἐκπορευόμενα Zach. 6. vers. 1. ὁ κρυσταλλος ἐκ μαστοῦ πηγὴ ἐκπορεύεται; Iohan. 38. v. 29. ὕδατος ἐκπορεύεται διὰ τοῦ τοίχου. 1. Regum. 4. vers. 33. &c.

61. Primam significationem adhiberi posse ad explicandam & adumbrandam quodammodo Spiritus S. à Patre & Filio ἐκπόρευσιν æternam, ostendit locus Apocal. 22. vers. 1. ἔδειξέ μοι καθαρὸν ποταμὸν ὕδατος ζωῆς ἐκπορευόμενον ἐκ τοῦ θρόνου τοῦ Θεοῦ καὶ τοῦ ἀρνίου, id quod de Spiritu S. intelligendum esse, euincit collatio huius loci cum Iohan. 7. vers. 38. Iustin. etiam vocem ἀπορροίας vsurpat de Spiritu sancto. Quemadmodum fluuius eiusdem Naturæ est cum fonte, ex quo promanat, sic Spiritus sanctus ita procedit à Patre & Filio, vt tamen eiusdem Naturæ sit particeps. Beda lib. 1. in Marcum cap. 1. *Scimus fontem, riuum, stagnum tantam æqualitatem continere, vt si de quolibet illorum in aliud infundas, nullam dissimilitudinem in eis inuenias: dummodo nulla impuritas extrinsecus accedat. Quis ergo sciens hæc in terra visibili inuisibilis creatoris Trinitatem & vnitatem credere nequit? quis sciens fontis & riui & stagni vnam eandemque substantiam, id est, aquam; intelligere non potest illud, quod Dominus in Euangelio dicit: Qui me videt, videt & Patrem.* Hûc referri etiam potest, quod voce effusionis Scriptura vtitur in describenda visibili Spiritus sancti missione.

62. Secunda vocabuli significatio secludenda est ab hoc mysterio, non enim Spiritus sanctus à Patre & Filio procedit loci mutatione, sed in Patre & Filio manens procedit eiusdem essentiæ communicatione. Spiritus sanctus ita est ἐκ τοῦ Θεοῦ. 1. Corinth. vers. 12. vt tamen maneat ἐν τῷ Θεῷ, perinde vt Filius ita à Patre nascitur, vt tamen *sit & maneat in Patris sinu.* Iohan. 1. vers. 18. *in Patre, & Pater in ipso* Iohan. 14. vers. 10. Tertia & quarta significatio itidem parum conferre possunt ad mysterij huius explicationem. Quinta significatio ostendit in distinguenda Spiritus sancti ἐκπορεύσει à γεννήσει Filij non posse nudis vocabulis insisti, & ex propria quadam vocabulorum affectione discrimen erui, quippe cùm ἐκπόρευσις vsurpetur de Natiuitate, quam etiam verbo ἐξέρχεσθαι Græci exprimunt.

63. Sextam significationem quodammodo huc adhiberi posse ostendit locus Esa. 59. vers. 21. τὸ πνεῦμα τὸ ἐμὸν ὃ ἐστιν ὅτι σοι καὶ τὰ ῥήματά μου ἃ ἔδωκα εἰς τὸ στόμα σου, οὐ μὴ ἐκλίπῃ, &c. vbi *Spiritus & verbum Dei* coniunguntur, cùm verbum sit vehiculum & officina Spiritus S. per quod in cordibus hominum est efficax. Quemadmodum igitur verbum ex ore hominis ἐκπορευόμενον ἀπεικονίζει τὸν Λόγον ἐνδιάθετον, vicissim ὁ Λόγος ἀπεικονίζει τὸν νοῦν: ita Spiritus sanctus propter essentiæ identitatem refert Filium, Filius Patrem. Sed nostrum verbum ita procedit ex corde, vt sit sonus euanescens: at Spiritus sanctus ita procedit, vt sit persona subsistens.

64. Ἐκπόρευσιν illam ineffabilem explicat etiam quodammodo nomen Spiritus, ita enim procedit tertia persona Trinitatis, vt respectu istius ἐκπορεύσεως sit & dicatur Spiritus sanctus, & spiraculum omnipotentis. Quemadmodum Spiritus in homine est quasi vinculum omnia continens: ita Spiritus sanctus *est firmissimum & indissolubile Trinitatis vinculum.* Bernhard. serm. de Fest. Pentecost. col. 164. *Spiritus S. est medium ingeniti & vnigeniti, hoc est, vtriusque nexus & medium.* Damascen. lib. 1. orthodo. fid. cap. 20. *Spiritus est homini coæuus, non posterior tempore ipsa anima corpus informante: ita Spiritus est Patri & Filio coæternus tempore neutiquam posterior.* Spiritus hominis est primum animæ organum: ita Spiritus sanctus est substantialis Dei virtus, per quam DEVS agit. Magna tamen est differentia inter Spiritum Dei & nostrum. Spiritus Dei est ἀσώματος, eiusdem omninò Naturæ & essentiæ cùm ipso; noster autem Spiritus est corporeus, quippe exhalatio quædam ex tenuissima & subtilissima sanguinis portione, nec eiusdem omninò cum anima Naturæ.

65. Obseruanda etiam vox spiraculi, de quo ita disserit Damasc. lib. 1. orthod. fidei cap. 7. *Dato verbo, datur Spiritus.* Sed datur in diuinis verbum, & quidem substantiale atque æternum. Ergo etiam Spiritus, & quidem substantialis atque æternus. Ratio desumitur à simili, quo tanquam χειραγωγίᾳ introducimur ad mysterij huius contemplationem. Sicut enim oris humani assiduus & inseparabilis comes est Spiritus vel halitus ille corporeus, qui inter loquendum emittitur: ita verbo illi æterno Spiritum adesse oportet, sed eiusdem Naturæ, essentiæ & potentiæ: siquidem manifestum discrimen est inter nostrum & æternum illum Flatum. 1. Noster Spiritus ab hominis substantia prorsus alienus est, cùm sit aër, qui attrahitur & emittitur: diuinus autem Spiritus à Natura Patris & Filij non est diuersus, sed vtrique ὁμοούσιος. 2. Noster Spiritus non immanet homini, nec est intimus, sed extra profunditur, vicissitudine quadam nunc subiens præcordia, nunc exiens, vnde & separatur à nobis: Spiritus diuinus Patri & Filio intimè immanet & est inseparabilis. 3. Quemadmodum Λόγον nominantes non intelligimus sermonem in aëre fusum & euanescentem: ita Spiritum Dei dicentes, nequaquam intelligere possumus halitum corporeum à nobis expiratum, inque auras dispersum & euanescentem. Qualis enim τῷ Λόγῳ, eadem etiam Spiritus ratio est. Atqui Λόγος non est transitorius. Ergo nec Spiritus. 4. Spiritus noster est ὑπόστασις: at Dei Spiritus peculiare est ὑφίστάμενον. 5. Spiritus humanus & temporalis est, principium finemque obtinens durationis, neque delectum boni habet, aut propositum aut voluntatem ad bonum, cùm sit rationis expers: diuinus ille Spiritus & æternus est, nec solùm rationalis, sed etiam summè bonus, dona sua cumulatè in omnes effundens. Hactenus Damascen. interprete D. Pelargo.

66. Hæc ita balbutire possumus de illa ἀκαταλήπτῳ καὶ ἀῤῥήτῳ Spiritus sancti ἐκπορεύσει, ex quibus quodammodo intelligi potest, quid respondendum sit, si quæratur secundo loco, quid discriminis intercedat τῇ τοῦ Λόγου γεννήσει, καὶ τῇ τοῦ ἁγίου πνεύματος ἐκπορεύσει? Dicimus enim cum Augustino libr. 3. contra Maximian. Arianum cap. 14. *Quid inter nasci & procedere interfit, de excellentissima Natura loquens explicare quis posit?* cum Nazianzeno orat. de Spiritu sancto. Τίς ἡ ἐκπόρευσις; εἰπὲ σὺ πρὸς ἀγέννησίαν τοῦ πατρὸς, καγὼ πρὸς γέννησιν τοῦ υἱοῦ φυσιολογήσω καὶ πρὸς ἐκπόρευσιν τοῦ πνεύματος, καὶ θεολογικώτερον ἄμφω εἰς τὰ τοῦ Θεοῦ μυστήρια ἀποκύπτοντες: cum Rob. Holchet. quæstio. 10. determinat, referente Biele 1. sentent. dist. 13. *Quid interfit inter nasci & procedere.*

quæst. vn. *Dignè loqui de personis, vim transcendit rationis, excedit ingenia, quid sit nasci quid processus: me nescire sum professus*: cum scriptore quodam recentiore. *Enarrent illi prius, qua ratione geniti sint; túmque liceat de Filij generatione percontari: exponant, cur & quomodo Spiritus pulsent in arterijs, tumque in Spiritus sancti processionem inquirant. Quod si in rebus adeò vulgaribus obmutescere coguntur, quas & vident passim & in se metipsis contrectant, liceat sanè & nobis multa in illu ignorare, quæ non vidit oculus, non audiit auris, non mens vlla vnquam penetrauit.*

67. Quidam dicunt, τὸ ἐκπορεύεσθαι esse proprium Spiritus sancti, de Filio autem vsurpari τὸ ἐξέρχεσθαι, id quod lingua Spiritus sancti vt plurimùm studiosè obseruat: interim tamen superiùs ostendimus, τὸ ἐκπορεύεσθαι etiam de natiuitate, perinde vt ἐξέρχεσθαι vsurpari, qui enim Iudic. 8. vers. 20. dicuntur οἱ ἐκπορευόμενοι ἐκ μηρῶν, illi dicuntur alibi passim ἐξέρχεσθαι Gen. 15. vers. 4. cap. 17. vers. 6. c. 25. vers. 25. &c. Vicissim etiam de Spiritu sancto vsurpatur τὸ ἐξέρχεσθαι Esai. 57. vers. 6. πνῶμα παρ' ἐμοῦ ἐξελεύσεται. Aq. Symm. & Theod. προελεύσεται, vbi tamen non de æterna Spiritus S. processione, sed de missione temporali agitur: de Filio dicitur Mich. 5. vers. 2. ex Bethlehem ἐξελεύσεται nascendo *egredietur*, & respectu officij Iohan. 8. vers. 42. Ego ἐκ Θεοῦ ἐξῆλθον missus scilicet ad officium redemtionis. Sic ergo habendum: De Filio Dei nunquam vsurpat Scriptura vocabulum ἐκπορεύεσθαι, neque quoad γέννησιν eius æternam exprimendam (licet aliàs ἐκπορεύεσθαι de propriè dicta hominum, imò etiam metaphorica inanimatorum generatione vsurpetur Iud. 8. vers. 30. Iob. 38. v. 29.) neque quoad natiuitatem eius temporalem ex virgine denotandam, neque quoad significandam missionem respectu officij.

68. Augustus. 5. de Trinit. cap. 14. *Spiritus S. procedit à Patre, non quomodo natus, sed quomodo datus vel donum: Filius autem processit nascendo, exiit vt genitus*: (vbi latiùs vocabulum Procedendi accipit, quàm Scriptura solet accipere) 15. de Trinit. cap. 27. & tract. 99. in Iohan. *Si Spiritus S. diceretur Filius, amborum vtique Filius diceretur, quod absurdissimum est: Filius quippe nullus est duorum, nisi patris & matris, absit autem vt inter Deum Patrem & Deum Filium tale aliquid suspicemur. Absurdissimè ergo Filius diceretur amborum, id est, Patris & Filij, amborum enim Filius diceretur, si ambo eum genuissent, quod abhorret omnium sanorum sensus: non ergo ab vtroque est genitus, sed procedit ab vtroque amborum Spiritus*, lib. 3. contra Max. c. 14. tandem concludit: *distinguere inter generationem & processionem nescio, non valeo, non sufficio.*

69. Cameracensis 1. sent. dist. 13. quæst. 8. art. 3. arguit illos, qui ad discutiendam generationis & processionis distinctionem se intromittere nolunt, inniti tendo præcisè fidei, ipse autem hanc proponit differentiam, *quòd generatio est ab vno tantùm, spiratio autem à duobus*: sed rectè monet Biel. lib. 1. sent. dist. 13. q. vn. *ipsum petere principium*, cùm manifestet non quid, sed à quo fit spiratio. *Thom.* p. 1. quæst. 27. art. 4 & reliqui Scholastici plerique eò confugiunt, vt dicant *processionem Filij ex Patre esse per modum intellectus: processionem Spiritus S. esse per modum voluntatis*, qua de re ita disserit *Thom.* d. l. *Intellectus sit in actu per hoc, quod res intellecta est in intellectu secundùm suam similitudinem: voluntatis sit in actu, non per hoc, quod aliqua similitudo voliti sit in volente, sed ex hoc, quod voluntas habet quandam inclinationem in rem volitam: processio secundùm rationem intellectus est secundùm rationem similitudinis, & in tantum potest habere rationem generationis: processio secundùm rationem voluntatis non consideratur secundùm rationem similitudinis, sed mouentis & impellentis in aliquid, & ideò dicitur spiratio.* Biel. l. d. hanc similitudinem declarat vlteriùs, sed addit, *valeat quantum potest.*

70. Quantum enim huic discrimini tribuendum sit, vel ex eo patet, quod intellectus & voluntas sunt ταυτὸ τῷ & omnibus modis vnum in & cum essentia diuina: ad quod respondere voluit *Thomas* hoc modo: *licet in Deo idem sit intellectus & voluntas, tamen de ratione voluntatis & intellectus est, quòd processiones, quæ sunt secundùm actionem vtriusque se habeant secundùm quendam ordinem, nihil enim potest voluntate amari, nisi sit intellectu conceptum.* Et sanè Basilius ac Nazianzenus vtuntur hac similitudine, vt dicant nasci esse à mente cognoscente, procedere à voluntate: sed non eo fine, similitudinem istam adhibent, quasi exactè per eam discrimen generationis & processionis exprimere velint, vtraque enim manet ἀκατάληπτον καὶ ἄῤῥητον μυστήριον.

71. Scotus 1. sentent. dist. 10. quæst. 1. *generationem Filij dicit esse productionem per modum naturæ, spirationem Spiritus S. esse productionem liberam per modum amoris*, quod Thom. pag. 1. qu. 41. art. 2. ita explicat: *Voluntas in quantum est Natura quædam aliquid naturaliter vult, sicut voluntas hominis naturaliter tendit in beatitudinem, & Deus naturaliter vult & amat seipsum, sed circa alia à se voluntas Dei se habet ad vtrumque quodammodo: Spiritus S. procedit vt amor, in quantum Deus amat seipsum, vnde naturaliter procedit, quamuis per modum voluntatis*: hinc pagin. 1. quæst. 37. artic. 1. concludit, *amoris nomen, si personaliter sumatur, esse proprium Spiritus sancti*, & veterum dicta, quòd Pater & Filius diligant se Spiritu sancto, ita explicat artic. 2. *Si diligere sumitur essentialiter, tunc Pater & Filius non diligunt se Spiritu sancto, sed essentia sua: vt verò notionaliter sumitur, sic diligere nihil aliud est, quàm spirare amorem, sicut dicere est producere verbum. Vt ergo dicitur, arbor floret floribus, ita Pater & Filius dicuntur diligentes Spiritu sancto vel amore procedente se & nos.*

72. Atque hæc sunt, quæ de discrimine generationis & processionis veteres disputant, satis quidem tenuiter & perplexè, quæ rei est difficultas: proinde in simplicitate illa acquiescimus, vt dicamus: Filium ab æterno à Patre genitum esse, & Spiritum sanctum à Patre & Filio ab æterno procedere, quid verò propriè & accuratè loquendo inter generationem Filij & processionem Spiritus sancti intercedat discriminis, nos in huius quidem vitæ caligine ignorare. Accedimus ergo ad quæstionem tertiam de hac processione: *An Spiritus sanctus etiam à Filio procedat, an verò à solo Patre?*

73. *Græci recentiores concedunt, Spiritum sanctum procedere à Patre per Filium*, negant verò *Spiritum sanctum à Patre & Filio simul procedere*: confirmandum igitur erit, Spiritum sanctum etiam à Filio procedere. Producimus proinde hæc fundamenta. 1. Spiritus sanctus est & dicitur Spiritus Elohim (in plurali) Gen. 1. v. 3 hoc est, Patris & Filij Spiritus. Item Spiritus Filij Gal. 4. vers. 6. Spiritus Christi Ro. 8. v. 9. Phil. 1. v. 19. 1. Pet. 1. v. 11. *vnde sic argumentamur.* Quæ ratio est, vt Spiritus sanctus dicatur & sit Spiritus Patris, eadem etiam ratio est, vt sit

&

& dicatur Spiritus Filij. Atqui propter æternam à Patre processionem seu spirationem Spiritus sanctus est & dicitur Spiritus Patris. Ergo propter eandem rationem est & dicitur Spiritus Filij. Augustus de fide ad Petrum cap. 11. *Nullatenus dubitandum est eundem Spiritum sanctum à Patre & Filio procedere, quia non geminus, sed vnus est Patris & Filij Spiritus.* Refer huc locum egregium 1. Corinth. 2. vers. 11. quare Spiritus sanctus dicitur Spiritus Dei? vers. 12. quia est Spiritus ex Deo: Item quare ὁ Λόγος, secunda Trinitatis persona dicitur Filius Patris? quia est μονογενὴς παρὰ πατρός: Sic eadem ratione, quare tertia Trinitatis persona dicitur Spiritus Filij? quia à Filio procedit ab æterno.

Obiectio contra argumentum à Spiritus S. appellatione.

74. *Si quis excipere velit*, Spiritum sanctum dici Spiritum Filij propter essentiæ ταυτότητα. *Respon.* si hæc ratio haberet locum, tùm Pater etiam dici posset Spiritus Filij, & Filius Spiritus Patris, quia sunt vnum essentia: at hoc nemo sanè orthodoxorum vnquam concesserit: præterea Spiritus Filij dicitur relatiuè, quæ relatio non potest fundari in absoluta essentiæ communitate atque vnitate, confunditur ergo absolutum & relatiuum. *Si aliter excipiatur, dici Spiritum Filij, quia Filius in tempore eum mittit, atque eius missionem promeretur. Respon.* statim in prima creatione dicitur Spiritus Elohim, Patris & Filij Spiritus, imò ante conditum mundum ab æterno est Filij Spiritus, vbi hæc ratio nondum habuit locum: præterea inuertitur ordo consequentiæ, ideò enim Filius in tempore mittit Spiritum sanctum, quia ab æterno eum spirat, missio in tempore est consequens & manifestatio processionis æternæ *Thom.* pag. 1. quæst. 43. artic. 4. *missio in sui ratione importat processionem ab alio & in diuinis secundum originem. Biel.* 1. sentent. dist. 15. quæst. vnic. *mitti dicit processionem temporalem connotando æternam.*

2. Dicitur Spiritus oris & labiorum Christi.

75. *Secundò Spiritus sanctus dicitur* Spiritus oris Christi 2. Thes. 2. vers. 8. *Spiritus labiorum Christi* Es. 11. vers. 4. vnde *sic argumentamur.* Propter quam rationem Spiritus sanctus dicitur *Spiritus oris Iehouæ* Psal. 33. vers. 6. *& spiraculum Omnipotentis* Iob. 33. vers. 4. propter eandem dicitur etiam Spiritus oris Christi. Connexio est manifesta, propter spirationem enim est, & dicitur Spiritus, si duplex spiratio, duplex etiam erit Spiritus. Atqui illud fit propter æternam à Patre spirationem seu processionem. Ergo & hoc propter æternam à Filio spirationem seu processionem fieri dicendum est. *Si excipere velint dicta Esaiæ & Pauli agere tantùm de vi & efficacia Euangelij, quod ex ore Christi prolatum est. Respon.* hæc explicatio non est sufficiens, quia per illud Euangelium efficax est Spiritus sanctus, & cum eo adest, qui propterea dicitur Spiritus Christi, quia ab æterno ab eo procedit. Spiritus cum verbo sæpè coniungitur, nusquam autem pro ἰσοδυναμεῖ accipiuntur.

3. In tempore mittitur à Filio.

76. *Tertiò Spiritus sanctus in tempore mittitur à Filio*, Luc. 14. vers. 49. *Mittam vobis promissionem Patris mei*, hoc est promissum à Patre Spiritum. Ioh. 15. vers. 26. *ego mittam vobis Paracletum à Patre.* cap. 16. vers. 7. *cùm abiero, mittam eum* (Spiritum sanctum) vobis: vnde sic argumentamur. Persona diuina non mittitur, nisi ab ea, à qua est producta: Atqui Spir. S. mittitur à Filio. Ergo etiam procedit à Filio. Maior est manifesta. Augustus de Trin. cap. 5. *Solus Pater nunquam legitur missus.* Filius à Patre mittitur, quia ab ipso est ab æterno genitus. Spiritus sanctus à Patre mittitur, quia ab æterno ab ipso procedit: vtique ergo eadem ratio erit missionis Spiritus sancti à Filio, quia ab ipso procedit. *Si excipere quis velit, etiam de Filio dicitur*, Esa. 48. vers. 6. *quòd à Spiritu sancto mittatur, cum tamen ab eo non sit genitus. Respon.* referendum hoc est ad humanam Christi Naturam, iuxta quam Christus plenitudine Spiritus sancti vnctus ab eodem etiam ad officium redemtionis missus est.

4. Christus in sufflando dat Spiritum sanctum.

77. *Quartò Christus* in sufflando dedit Spiritum sanctum Apostolis Iohan. 20. vers. 12. vnde sic argumentamur. Propter quam rationem tertia Trinitatis persona est spiraculum omnipotentis, propter eandem etiam insufflando Spiritum sanctum Christus dedit Apostolis. Atqui dicitur spiraculum Patris omnipotentis, quia ab ipso spiratur ab æterno. Ergo etiam idipsum externo flatus symbolo docere Christus voluit. Augustus tract. 99. in Iohan. *Si non à Filio Spiritus procederet, non post resurrectionem se repræsentans discipulis suis insufflans diceret: Accipite Spiritum sanctum: quid enim aliud significauit illa insufflatio, nisi quod procedat Spiritus sanctus, & de ipso?* tract. 121. in Ioh. *Insufflando significauit Spiritum sanctum non Patru solius esse Spiritum, sed & suum.*

5. Spiritus S. de Christo accipit, quòd reuelat.

78. *Quintò obseruandus est locus* Ioh. 16. vers. 14. & 15. *Spiritus ille veritatis*, inquit Christus, *me glorificabit, quia de meo accipiet, quod renunciabit vobis: omnia quæ habet Pater, mea sunt, propterea dixi, quod de meo accipiet, quod annunciabit vobis.* Ex hoc dicto complura erui possunt argumenta. Aut in tempore accipit Spiritus sanctus à Filio sapientiam illam, qua instruit Apostolos, aut ab æterno per processionem. Non prius, quia hoc aduersatur summæ perfectioni Spiritus sancti: præterea sapientia illa est ipsa Spiritus sancti essentia, quam in tempore non accipit: manet ergo posterius, & per consequens etiam à Filio procedit. Si enim per processionem à Filio Spiritus sanctus accipit sapientiam, vtique etiam à Filio procedit. Augustus tract. 99. in Ioh. *Sic debemus accipere, quod de Spiritu sancto dictum est, non enim loquetur à semetipso, sed quæcunque audiet, loquetur: vt intelligamus non eum esse à semetipso. Non loquetur à semetipso, sed quæcunque audiet, loquetur, ab illo audiet à quo procedit. Audire illi scire est, scire verò esse. Quia ergo non est à semetipso, sed ab alio à quo procedit, à quo illi est essentia, ab illo scientia, ab illo igitur audientia, à quo nihil est aliud quàm scientia: nec moueat, quod verbum futuri temporis positum est, illa quippe audientia sempiterna est, quia sempiterna est scientia.*

Exceptiones Græcorum contra dictum Io. 16. v. 14.

79. *Excipiunt Græci*, Spiritum sanctum dici accipere *de sapientia Filij, quia nihil doceat contrarium iis, quæ docuit Filius*: dicunt etiam *de meo significare de meo thesauro, qui est Pater, ac si Filius diceret: inde accipiet, vnde ego accepi. Respon.* Coacta hæc sunt, vt cuiuis primo apparet intuitu. Si enim ideò dicitur Spiritus sanctus accipere à Filio, quia nihil contrarium docet iis, quæ Filius docuit, vtique & ipse Filius dicendus esset accipere sua à Spiritu sancto, propter eandem consensionem. Deinde rectè quidem dicitur & Filium & Spiritum sanctum habere suam essentiam à Patre, Filium quidem γεννητῶς, Spiritum sanctum ἐκπορευτῶς, sed non debet negari Spiritum sanctum habere etiam à Filio suam essentiam.

80. Ita namque ex dicto Christi colligimus vlterius: Quæcunque Pater habet, ea etiam sunt Filij. Pater autem habet hoc, vt ab ipso procedat Spiritus S. Ergo etiam hoc habet Filius. Aug. 15. de Trin. c. 26. *Si quicquid habet, de Patre habet Filius, de Patre habet vtique, vt ab illo procedat Spiritus sanctus.* Denique quod hoc loco dicit Christus: *Non loquetur*

à semetipso Spiritus sanctus, sed quæcunque audierit, loquetur: id conferendum cum Iohan. 6. vers. 19. *non potest Filius a semetipso operari, nisi Patrem operantem viderit,* & cum Iohan. 8. vers. 28 *quæ audiui à Patre, hæc loquar in mundo.* Filius non operatur à semetipso, quia non est à se, sed à Patre per æternam generationem; Filius audit à Patre, accipiendo ab eo essentiam & sapientiam diuinam per æternam generationem: ita etiam Spiritus sanctus non loquitur à semetipso, quia non est à seipso, sed à Patre & Filio per æternam vtiq; processionem, vt sic in istis dictis tum essentiæ vnitas, tùm etiam personalis distinctio Patris, Filij & Spiritus sancti exprimatur.

81. *Sed & considerandus est nexus verborum Christi. Spiritus sanctus de me accipiet,* inquit, *quod vobis renunciabit, quia quæcunque habet Pater, mea sunt:* quasi dicat, sicut à Patre Sp. S. est per æternam processionem, vnde eum mittit: sic & à me est per æternam processionem, vnde eũ mitto: atq; hinc vtraq; locutione vtitur Scriptura. Pater mittit Spiritum sanctum in nomine Christi. Iohan. 14. vers. 26. Filius mittit Spiritum sanctum à Patre Ioh. 15. v. 26. Pater mittit Spiritum Filij sui Gal. 4. vers. 6. & Filius mittit promissionem Patris sui Luc. 24. v. 49.

82. Hæc ex Scripturis petita fundamenta nobis sufficiunt. Quidam addunt plura argumenta. Si negetur Spirit. S. à Filio procedere, incertus erit ordo personarum Trinitatis, & nulla erit relatio Filij ad S. S. quod absurdum. Connexio probatur: si enim non procedit Spiritus à Filio, dubium erit, an Filius an verò Spiritus S. sit persona Trinitatis secunda? nulla insuper ostendi poterit Spiritus S. relatio ad Filium. Nascitur ex Patre Filius, procedit à Patre Spiritus S. si negetur à Patre procedere Spiritus, quæ erit huius ad illum relatio? *Si excipiant Græci, concedere se à Patre per Filium procedere Spiritum S. atque ita personarum ordinem & Spiritus S. ad Filium relationem conseruari. Resp.* aut vna ex eadem processio Spiritus sancti à Patre simul & Filio, aut distincta est processio à Patre, à processione per Filium prius asseri nequit, quia data duplici processione duplex erit Spiritus. Manet ergo posterius.

Argumenta Scholasticorum.

83. Thomas pag. 1. quæst. 36. art. 2. his vtitur rationibus ad demonstrandam Spiritus sancti à Filio processionem. 1. Si non esset Spiritus sanctus à Filio, non posset ab eo personaliter distingui, non enim possibile est dicere, quòd secundùm aliquod absolutum personæ diuinæ distinguantur ad inuicem, quicquid enim in diuinis absolutè dicitur, ad vnitatem essentiæ pertinet. Ergo solis relationibus personæ distinguuntur, relationes autem non distinguunt, nisi vt sunt oppositæ, quia Pater habet duas relationes. 2. Conuenit ratio processionis. Filius procedit per modum intellectus, Sp. S. per modum voluntatis, vt amor: necesse est autem, quod amor à verbo procedat, non enim aliquid amamus, nisi secundum quod mentis conceptione apprehendimus. 3. Ab vno non procedunt plura absque ordine, nisi in illis solùm, quæ materialiter differunt, si ergo procedunt à Patre duæ personæ, oportet inter eas esse ordinem. Sed has Thomæ, vt & Scoti rationes tanquam insufficientes impugnat Occamus ideoque ipse, & qui eum sequitur Biel. 1. sent. dist. 11. quæst. 1. statuunt, *esse hanc propositionem de fide solùm, quod à Filio etiam procedit Spiritus sanctus:* ponunt etiam hoc argumentum, quod vocant persuasionem: Quicquid Patri competit, cuilibet personæ alteri attribuendum est, nisi contrarium sit expressum in Scriptura sacra, vel ab Ecclesia determinatum, vel euidenter sequatur ex præmissis in sacra Scriptura expressis vel per se vel mediantibus propositionibus per se notis, quandocunque enim aliqua sunt vna res numero simplicissima & indiuisibilis, quicquid dicitur de vna, dicetur de alia.

Testimonia Patrum.

84. Nos, vti dixi, contenti sumus argumentis illis, quæ ex Scriptura produximus ad confirmandam Spiritus S. à Filio processionem, quibus iam subiungimus consensum priscorum Græcæ Ecclesiæ Doctorum, à quibus recentiores hac in parte dissentiunt. Didymus Alexand. libr. 2. de Spiritu sancto. *Saluator, qui est veritas, dicit: Non loquetur à semetipso [Spiritus sanctus] hoc est, non sine me & sine meo, & Patris arbitrio, quia inseparabiliter est à me & à Patris voluntate, quia ex se non est, sed ex Patre & me est.* Athanas. in Symb. *Spiritus sanctus à Patre & Filio non factus, nec creatus nec genitus, sed procedens.* Basil. lib. de Sp. S. cap. 18. *Spiritus sanctus tanquam consolator in seipso exprimit consolatoris [Christi] à quo missus est, bonitatem & in sua propria dignitate eius à quo processit, maiestatem illustrat.* Cyril. lib. 10. in Iohan. cap. 41. *Non est alienus à substantia Filij & Spiritus, sed ex ea naturaliter procedit, Natura omninò idem, in persona verò propria subsistens.* Idem Epistol. 10. nomine Concilij Ephesini scripta tom. 3. col. 32. *Spiritus appellatus est veritatis, & veritas Christus est, vnde & ab ipso sicut ex Deo Patre procedit.* Chrysost. in homil. de expos. symb. tom 5. col. 720. *ille est procedens de Patre & Filio S. qui diuidit dona propria prout vult:* hinc in Concilio Lugdunensi statutum & repetitur cap. fideli de summ. Trinit. in 6. *Fideli ac deuota professione fatemur, quod Spiritus sanctus æternaliter ex Patre & Filio, non tanquam ex duobus principiis, sed tanquam ex vno principio, non duabus spirationibus, sed vnica spiratione procedit, &c. hoc habet orthodoxorum Patrum atque Doctorum Latinorum pariter & Græcorum incommutabilis & vera sententia.* Vide plura Patrum Græcorum dicta apud Bessarionem in Concilio Florentino sess. 8. Tho. de Aquin. opusc. 1. contra error. Græcor. c. 32. Lomb. 1. sent. dist. 11.

Argumenta Græcorum recentiorũ. 1. ex Ioh. 15. v. 26.

Quo sensu veteres dicant Spiritum sanctum procedere à Patre Filioque.

85. Porrò quòd Basilius, & alij ex Græcis Doctoribus scribunt, *Spiritum sanctum procedere à Patre per Filium,* id non dixerunt eo sensu, quasi duplicem constituere velint processionem, vel negare, quod à Filio etiam procedat Spiritus sanctus: ordinem tantùm personarum denotare voluerunt: à quo enim habet Filius vt sit, ab eo etiam habet, vt de se procedat Spiritus sanctus: id quod Græci exprimunt ista phrasi, Spiritum sanctum à Patre per Filium procedere, non negantes interim, esse vnam Patris & Filij spirationem. & à Filio etiam procedere Spiritum sanctum, perinde vt per Filium omnia dicuntur creata, & tamen ipse etiam Filius rectè dicitur omnia condidisse.

86. Recentiores Græci, vt Theophylact. & Damascenus lib. 1. orth fid. cap. 11. ita à Patre per Filium Spiritum sanctum procedere dicunt, vt interim negent à Filio ipsum procedere, sed opponimus illis verba Augustini tract. 99. in Ioh. & 15. de Trinit. cap. 27. *Spiritus sanctus non de Patre procedit in Filium, & de Filio procedit, ad sanctificandam creaturam, sed simul de vtroque procedit, quamuis hoc Filio Pater dederit, vt quemadmodum de se, ita de illo quoque procedat: neque enim possumus dicere, quod non sit vita Spiritus sanctus, cùm vita sit Pater, vita sit Filius, ac per hoc sicut Pater cum vitam habeat in semetipso, dedit & Filio vitam habere in semetipso, sic ei dedit vitam procedere de illo, sicut procedit & de seipso.* Hactenus Augustin.

87. Ergo Spiritus sanctus non procedit à Patre

ἡμιέσως

ἐμμέσως interuentu scilicet Filij, hac enim ratione vni personæ esset propinquior quàm alteri: sed procedit ἀμέσως ab vtroque, velut ex vno fonte essentiali, vt enim Pater & ὁ Λόγος sunt vnum essentia, sic in producendo vno eodemque Spiritu consubstantiali sunt vnum essentiale principium, & sub essentiæ vnitate vnum omninò in spirando συνδυαζόμενον, ita tamen, vt Pater facultatem illam spiratiuam habeat à seipso, Filius autem à Patre per ineffabilem generationem accipiat. Augustin. 15. de Trinit. cap. 26. *Qui potest intelligere in eo, quod ait Filius: sicut habet Pater vitam in semetipso, non sine vita existenti tam Filio vitam dedisse: sed ita eum sine tempore genuisse, vt vitam, quam Pater Filio gignendo dedit, coæterna sit vitæ Patris, qui dedit, intelligat, sicut habet Pater in semetipso, vt de illo procedat Spiritus sanctus, sic dedisse Filio, vt de illo procedat Spiritus sanctus, & vtrumque sine tempore, atque ita dictum Spiritum sanctum de Patre procedere, vt intelligatur, quod etiam procedit de Filio, de Patre esse & Filio.*

Argumenta Græcorum retentiorũ. Lux Ioh. 15. v. 26.

88. Vrgent Græci locum Iohan. 15. vers. 26. *Spiritus veritatis à Patre procedit*, vbi non sit expressa mentio Filij. Resp. 1. Christus non addit exclusiuam, quòd à solo Patre Spiritus S. procedat. 2. Multò minùs addit negatiuam, quod à Filio non procedat Spiritus sanctus. 3. Ergo quò minus excludi debeat Filius ab illa spiratione, obstant fundamenta superiùs allegata. 4. Si valere deberet hæc consequentia: Spiritus S. procedit à Patre. Ergo non à Filio, vtique eadem ratione concludi posset. *Pater maior est omnib.* Iohan. 10. vers. 29. Ergo etiam Spiritu S. maior est. *Pater est solus verus Deus* Iohan. 15. vers. 3. Ergo Spiritus S. non est verus Deus. Hæ & similes consequentiæ ruinosæ sunt ac cadaueroſæ, quia exclusiua solus & vniuersalis omnis respectum habet ad creaturas & Numina fictitia, non autem ad Filium & Spiritum sanctum. Pari ratione quando Christus dicit, S. S. procedere à Patre, non potest nec debet excludi Filius, quippe qui est vnum cum Patre Iohan. 10. v. 30. 5. Inuertimus proinde argumentum. Spiritus S. procedit à Patre. Ergo & à Filio, ratio consequentiæ est euidens, quia Pater essentiam suam, ex qua procedit Sp. S. communicauit Filio per æternam generationem, & quia Pater & Filius ratione essentiæ vnum sunt. 6. Ex quo colligimus, si vel maximè addita esset exclusiua, q̃ à solo Patre Filius procedat, non tamen inferri deberet, à Filio non procedere Spiritum sanctum. Contingimus alia Scripturæ loca: Matth. 11. vers. 27. *nemo nouit Patrem, nisi Filius*, vides additam exclusiuam, at caue dixeris per eam etiam Spiritum sanctum excludi, quippe *qui scrutatur profunditates Dei* 1. Corinth. 2. vers. 10. Sic Christus dicit Ioh. 6. v. 46. *non quod Patrem viderit quispiam, nisi qui est à Patre, is vidit Patrem.* Iohan. 1. vers. 18. *Deum nemo vidit vnquam, Filius qui est in sinu Patris, ipse enarrauit nobis*: at per hæc non excluditur Spiritus sanctus, quippe qui *locutus est per Prophetas, & de mysterio salutis nostræ* προφητεύσαντες. 1. Petr. vers. 11. Rom. 1. vers. 2. Sic. Christus dicit Ioh. 14. vers. 23. *Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus*: hic itidem non excluditur Spiritus sanctus, qui in piis Christum diligentibus habitat 1. Corinth. 3. vers. 6. 1. Cor. 6. v. 16. 7. Si quæras, quid causæ sit, quòd solius Patris expressam mentionem in processione illa Spiritus sanctus faciat. Resp. verbis Augustini tract. 99. in Iohan. 15. de Trinit. cap. 27. *Si & de Patre & Filio procedit Spiritus sanctus, cur Filius dixit, de Patre procedit, cur putas, nisi quemadmodum ad eum solet referre, & quod ipsius est, de quo & ipse est? vnde illud est, quod ait*: Mea doctrina non est mea, sed eius, qui misit me. *Si igitur intelligatur hîc eius doctrina, quam tamen dixit non suam, sed Patris, quanto magis illic intelligendus est, & de ipso procedere Spiritum sanctum, vbi sic ait, de Patre procedit, vt non diceret, de me non procedit? à quo autem habet Filius, vt sit Deus, est enim de Deo Deus, ab illo habet vtique vt de illo etiam procedat Spiritus sanctus, ac per hoc Spiritus sanctus, vt etiam de Filio procedat, sicut procedit de Patre, ab ipso habet Patre.*

2. Sequitur confusio personarum.

89. *Pergunt Græci & dicunt, confundi ordinem personarum, si dicatur à Patre & Filio procedere Spiritum sanctum, commodius ergo esse, vt dicatur à Patre per Filium procedere*, cùm Rom. 11. vers. vlt. *ita vsurpentur particulæ istæ*, vt ex Patre, per Filium, in Spiritu sancto omnia esse asserant. Resp. obseruatur nihilominus ordo & discrimen personarum: fatemur enim, quòd Pater sit à nemine, Filius autem à Patre ab æterno nascendo acceperit Filius, quod de ipso etiam procedat Sp. S. sed quia Patris & Filij est vna essentia, ideò etiam vna spiratio, ac proinde à Patre & Filio dicimus procedere Spiritum sanctum, non autem à Patre per Filium, ne vel spiratio duplex & inæqualis introducatur, vel à Patre magis quàm à Filio Spiritum sanctum procedere intelligatur. Particulæ illæ ἐξ, διὰ, εἰς, propriè pertinent ad opus creationis & conseruationis, quod vocant opus ad extra, non autem ad æternam illam spirationem, quam vocant opus ad intra.

Varias Scholasticorum quæstiones.

90. Porrò occasione huius conclusionis, quòd à Patre & Filio procedat Spiritus sanctus, varias quæstiones mouent *Scholastici*: *Vtrum Spiritus sanctus prius vel plenius procedat à Patre, quam à Filio? An Pater & Filius sint vnum principium spirans Spiritum sanctum? An Pater & Filius dici debeant duo spirantes, an verò duo spiratores? An Pater & Filius spirent Spiritum sanctum inquãtum vnum, vel in quantum sunt distincti? An Pater & Filius spirent omninò vniformiter Spiritum sanctum? &c.* sed rectè pronunciat Lombardus 1. sent. dist. 12. lit. B. quòd quæstiones istæ sint *magis laboriosæ* (addo etiam curiosæ) *quàm fructuosæ*: meminerimus μὴ ὑπερφρονεῖν, παρ' ὃ δεῖ φρονεῖν, ἀλλὰ φρονεῖν εἰς τὸ σωφρονεῖν. Rom. 12. vers. 3. *In summa illa Trinitate, quæ Deus est, interualla temporum nulla sunt, per quæ ostendi aut saltem requiri posset*, (ait Augustin. 15. de Trin. cap. 26.) *vtrum prius de Patre natus sit Filius, & postea de ambobus processerit Spiritus sanctus. Aeterna est Filij à Patre generatio, aeterna etiam Spiritus sancti à Patre & Filio processio.* Nec plenius à Patre quàm à Filio procedit Spiritus S. cùm Patris & Filij vna sit & indiuisa essentia, ex quâ procedit Spiritus sanctus. Pater & Filius sunt duæ personæ spirantes propter pluralitatem suppositorum, non autem duo spiratores propter vnam indiuisam spirationem.

An Spiritus sit imago Filij.

91. Dicta hæc sint de tertia quæstione, an à Patre & Filio simul procedat Spiritus S. accedimus ad quartam. *An Spiritus sanctus sit imago Filij, sicut Filius est imago Patris?* Damasc. lib. 1. orth. fid. cap. 20. ita loquitur, *quòd Spiritus S. sit ἡ εἰκὼν Filii, sicut Filius est ἡ εἰκὼν τοῦ πατρὸς*: sequitur autem priscos Græcæ Ecclesiæ Doctores Basil. lib. 5. contrà Eunom. cap. 8. disputat, ὅτι εἰκὼν ἀληθὴς καὶ φυσικὴ θεοῦ καὶ χριστοῦ τὸ πνεῦμα. Apud Gregor Nyssenum ait Gregorius Thaumaturgus, *Vnus Spiritus sanctus ex Deo ortum & existentiam habens, qui per Filium apparuit, imago perfecta Filij perfecti.* Athan. in Epist ad Serapionem pag. 364. Spiritum sanctum itidem vocat *imaginem Filij*, & hinc probat eandem Filij & Spiritus sancti essentiam siue Naturam.

92. *Quia verò τὸ πρῶτον soli Filio tribuitur, quòd sit imago Patris.* Col.1.ver.15.Hebr.1.v.7.ideò scriptores Ecclesiastici Latini soli Filio tribuunt, quòd sit imago Patris. *Respondemus autem ex Thom.p.1.q.35.art.2.Graci vtuntur nomine Imaginis in sensu latiori pro perfecta similitudine, & hac ratione rectè dicitur, quòd Spiritus sanctus sit imago Filij: sed si nomen imaginis accipiatur strictè pro similitudine perfecta eius, qui ab alio nascitur, tùm non potest dici, quod Spiritus sanctus sit imago Filij. Quamuis enim Spiritus S. sua processione accipiat essentiam Patris sicut & Filius: non tamen dicitur natus: ita licet accipiat speciem similem Patris, tamen non dicitur Imago, quia Filius procedit, vt verbum, de cuius ratione est similitudo speciei ad id, de quo procedit: non autem de ratione amoris, quamuis hoc conueniat amori, qui est Spiritus sanctus, in quantum est amor duinus.*

Missio Spiritus sancti. 93. *Consequens & manifestatio eternæ istius ἐκπορεύσεως: est missio Spiritus sancti in tempore,* de ea igitur quinto loco quæratur, *quotuplex ea sit, & an in persona sua detur Spiritus sanctus, an tantùm in suis donis? Missio illa Spiritus sancti* (quam August.15. de Trin. c.26. Beda lib.2. hom.11. vocant *processionem temporalem*) nihil aliud est, quàm ipsius donatio. *Est autem duplex Spiritus S. missio.* Visibilis & inuisibilis. *Datus enim est* (ait *Visibilis.* Lomb.1. sent. dist.15. lit.A.) *visibilis creaturæ demonstratione, sicut in die Pentecostes, aliisque vicibus: & datur quotidie inuisibiliter, illabendo mentibus fidelium.* De visibili illa Spiritus sancti missione ita scribit August.2.de Trin.c.5. *Facta est quædam creatura species ex tempore, in qua visibiliter ostenderetur Spiritus sanctus, &c. Hæc operatio visibiliter expressa & oculis oblata mortalibus, missio Spiritus sancti dicta est, vt non appareret eis ipsa substantia, qua & ipse inuisibilis est & commutabilis sicut Pater & Filius, sed vt exterioribus visis corda hominum commota à temporali manifestatione venientis, ad occultam æternitatem semper præsentis conuerterentur.*

94. Obseruant autem Scholastici quatuor distinctis vicibus, Spiritum sanctum esse visibiliter missum, qua de re ita scribit Thom. p 1.qu 43. art. 7. *Facta est missio visibilis Spiritus S. ad Christum in baptismo sub specie columbæ, quod est animal fœcundum, ad ostendendum in Christo autoritatem deriuandi gratiam per specialem regenerationem: In transfiguratione sub specie nubis, ad ostendendum exuberantiam doctrinæ: Ad Apostolos sub specie flatus, ad ostendendum potestatem ministerij in dispositione Sacramentorum: sub linguis igneis in festo Pentecostes, ad ostendendum effectum doctrinæ,* Biel.1. sent.dist.16.q.vn. paulò aliter accommodat. *In specie columbæ significatur columbina Christi simplicitas: In specie nubis lucidæ elucidanda veritas: in specie ignis feruida caritas: in figura linguarum docentium prædicatorum integritas: in specie flatus affectus viuacitas, flatus enim vitæ signum.* Latiùs & concinniùs ex Scripturis de visibilibus illis signis: in quibus se manifestauit Spiritus sanctus, disseri poterit ab industrio Interprete.

Inuisibilis. 95. Inuisibiliter adhuc quotidie mittitur Spiritus S. in corda credentium, vt nouos motus in illis accendat. Galat.4.v.6. de hac inuisibili Spiritus S. missione quæritur, *an per ea tantùm dona Spiritus sancti, an verò ipse etiam Spiritus sanctus detur?* Rectè autem scribit D. Lutherus super 51. Psal. *Omitto inutiles Scholarum disputationes, loquarturne* (Scriptura) *de persona diuina, an de dono Spiritus? quid enim hæc etiam accuratè disputata ædificant? cùm habeamus clarum testimonium Christi:* Veniemus ad eum, & mansionem apud eum faciemus. *Habitat ergo verè Spiritus in credentibus, non tantum per dona, sed & quoad substantiam suam, neque enim sic dat dona sua, vt ipse alibi sit aut dormiat, sed adest donis & creaturæ suæ conseruando, gubernando addendo robur, &c.*

Quæstio: An dona tantùm Spiritus sancti, an ipse Spiritus detur credentibus.

96. Referenda hûc dicta superiùs thesi 48.allegata, quæ de inhabitatione Spiritus S. in credentib. loquuntur, ea namq; non tantùm donorum, sed ipsius Spiritus sancti distertam mentionem faciunt. Item quæ testantur, Spiritum sanctum esse omnipræsentem th.37. si enim Spiritus S. vna cum Patre & Filio adest creaturis omnibus, quomodo aberit à credentibus? vbi tamen distinguendi sunt præsentiæ gradus, vt ibidem fuit ostensum. Arbitror autem eos, qui disputant, Spiritum sanctum dari tantùm secundùm sua dona, hoc velle, quòd Spiritus sanctus in cordibus credentium non de nouo secundùm essentiam suam existere incipiat, sed nouos tantùm motus accendat, cùm antea ratione vniuersalis præsentiæ in illis reuera præsens fuerit.

97. Meritò etiam improbatur, quòd Lomb. scribit 1.sent.dist.17.lit.B. *Spiritum S. esse amorem siue caritatem, qua nos diligimus Deum & proximum.* Distinguenda sunt effecta & χαρίσματα. Spiritus sancti ab ipsius persona, diligimus sanè Deum per Spiritum S. at effectiuè, non formaliter. Pulcrè Bernh. tract. de dilig. Deo. *Deus est caritas dicente Iohanne: dicitur ergo rectè caritas & Deus & Dei donum: caritas dat caritatem, substantiua accidentalem.* Præter alia argumenta longè plurima, quæ contra istam Lombardi opinionem proferri possunt, vrgemus locum 1.Cor.12.v.21.& 1.Cor.13.v.1. Apostolus ibi dicit: Æmulamini charismata meliora, adhuc excellentiorem viam vobis ostendo. Si linguis hominum & Angelorum loquar, caritatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans, &c. vtique ergo charitas referenda est inter charismata Spiritus sancti, aliàs nec illatio nec comparatio Apostolica locum habere posset. Gal.5.v.22. Caritas distertè dicitur fructus Spiritus.

Error Lombardi S.S. sine causa.

98. Expositis igitur quinque istis quæstionibus, quibus personalis Spiritus sancti proprietas, æterna scil. eius à Patre & Filio processio quodammodo declaratur (1.Quid propriè notet ἐκπόρευσις. 2.Quid discriminis intercedat inter γέννησιν & ἐκπόρευσιν. 3. An à Patre & Filio simul procedat Spiritus sanctus. 4. An Spiritus S. sit imago Filij.) Quotuplex sit Spiritus S. missio, quæ est processionis æternæ consequens & manifestatio) his, inquam, ordine expositis finem imponimus secundo huius tractatus membro, & progredimur ad tertium, in quo demonstrandum erit, Spiritum sanctum esse personam peculiarem à Patre & Filij realiter distinctam.

CAPVT V.

Quod Spiritus Sanctus sit distincta à Patre & Filio persona.

Spiritus sanctus persona.

99. Spiritum S. esse personam ex definitione personæ demonstrari potest. Omne subsistens, viuum, indiuiduum, intelligens, incommunicabile, non sustentatum ab alio, est persona, (cui enim definitio essentialis competit, eidem etiam definitum competat necesse est. *Damasc.* cap.8.Dial. τέλειος ὁρισμός ἐστιν ὁ ἀπερέφων περὶ τὸ ὁριστόν.) Spiritus sanctus est 1. subsistens, quia in creatione dedit & adhuc conseruat rebus omnibus suam subsistentiam, vtique ergo ipse est ὑφιστάμενον. 2. Viuum, quia viuentibus dat vitam naturalem, credentibus spiritualem, vtique ergo ipse est essentialiter vita. 3. Inuiduum, quia propriam suam habet ἰδιότητα, per quam à Patre & Filio distinguitur, est

tur, vt thesi sequente ostendemus. 4. Intelligens, quia omniscius & liberrimè agens, vt superiùs ostensum fuit. 5. Incommunicabile, quia Spiritus sanctus non est Pater nec Filius, & vicissim. 6. Non sustentatum ab alio, quia ipse potiùs vnà cum Patre & Filio omnia conseruat & sustentat. Obseruant quidam etiam generis mutatione ostendi de persona distincta sermonem institui, quando mentio fit Spiritus sancti. Ioh. 14. vers. 26. Τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, ὃ πέμψει ὁ πατὴρ, ἐκεῖνος ὑμᾶς διδάξει, & cap. 15. vers. 26. τὸ πνεῦμα τῆς ἀληθείας, ὃ παρὰ τοῦ πατρὸς ἐκπορεύεται, ἐκεῖνος μαρτυρήσει Ephes. 1. v. 13. ἐσφραγίσθητε τῷ πνεύματι τῆς ἐπαγγελίας τῷ ἁγίῳ, ὅς ἐστιν ἀρραβὼν, &c. porrò vsitatum esse in sacris literis, per ἕτερον generum personas denotari, apparebit ex Gen. 3. v. 15. Matth. 28. v. 19. Gal. 3. v. 16. Coloss. 2. v. 19. &c.

Patre & Filio distinctas sit.

100. Personalem Spiritus sancti à Patre & Filio distinctionem comprobat, 1. *personalia eius proprietas.* Spiritus sanctus procedit ab æterno à Patre. Ergo alia persona est Pater, à quo procedit, alia Spiritus sanctus, qui à Patre procedit. Item Spiritus sanctus procedit etiam à Filio ab æterno. Ergo alia persona est Filius, à quo procedit, alia Spiritus sanctus, qui à Filio procedit. 2. *Illustris* θεοφάνεια in baptismo Christi, Matth. 3. v. 16. Marc. 1. v. 10. & 11. Luc. 3. vers. 21. 22. Ioh. 1. v. 32. & 33. *Patris vox auditur de cœlo, Filius in Iordane baptizatur, Spiritus sanctus descendit in corporali specie columbæ.* Ergo alia persona est Pater, alia Filius, alia Spiritus sanctus, quò referri etiam potest manifestatio Spiritus sancti in nube lucida, in Christi trãsfiguratione. 3. *Dictum Christi* Iohan. 14. vers. 16. *Ego rogabo Patrem, & alium consolatorem dabit vobis.* Ergo est alia & distincta persona à Patre & Filio. 4. *Effusio Spiritus sancti* in die Pentecostes, non enim Pater nec Filius, sed S. S. cum suis donis super Apostolos est effusus, Act. 2. v. 3. & 4. 5. *Missio S. S.* à Patre & Filio, de qua superiùs egimus th. 59. membro 5. & thesi 67. Spirit. S. mittitur à Patre. Ergo alia persona est Pater, qui mittit, alia persona est Filius, qui mittitur. Spiritus sanctus mittitur etiam à Filio, Ergo alia persona est Filius, qui mittit, alia Spiritus sanctus, qui mittitur. 6. *Omnia illa dicta*, quæ probant tres esse verè & realiter distinctas Trinitatis personas, de quibus egimus in disp. de tribus Elohim thesi 40. & quæ in specie probant, Patrem esse personam à Spiritu sancto, *verè & realiter distinctam*, de quibus egimus in disput. de æterno Patre & Filio th. 12. Filium esse personam verè & realiter à Spiritu sancto distinctam, de quibus. vide eiusd. disp. thes. 181. Ex hisce enim sequitur vi relationis, quod Spiritus sanctus sit persona verè & realiter à Patre & Filio distincta. 7. *Denique referenda huc omnia dicta*, quæ distinctam Patris, Filij & Spiritus sancti mentionem faciunt, quæve tertiæ Trinitatis personæ peculiatiter nomen Spiritus sancti tribuunt, &c. vbi peculiarem obseruationem meretur, quòd distinctè in nomine Patris, Filij & Spiritus sancti Christus baptizare iusserit. Vt ergo baptizamur, ita inuocamus: vt inuocamus, ita credimus, vnum scilicet esse verum Deum & tres distinctas personas Patrem, Filium & Spiritum sanctum.

Neo-Samosatenianorũ exceptiones contra personalitatem Spiritus S. & alia tribuitur Spiritui sancto, quæ non possunt tribui personæ.

101. Neo-Samosateniani in Catech. Racou. c. 6. pag. 245. negant, Spiritum sanctum esse vllo modo personam ex his fundamentis. 1. *Talia tribuuntur Spiritui Sancto, quæ non possunt vlla ratione tribui personæ, vtpote*, quòd ipse detur, Act. 5 vers. 32. *quòd de ipso detur* 1. Ioh. 4. v. 13. idque vel *ad mensuram* Eph. 4. v. 7. vel *non ad mensuram* Ioh. 3. v. 34. *quòd effundatur* Act. 2. v. 33. *& de ipso effundatur* v. 17. *quòd homines Spiritu potentur* 1. Corinth. 12. vers. 13. *eoque impleantur*, Ephes. 5. vers. 8 *quòd augeatur, detur duplex*, 2. Reg. 2. v. 9. *quòd in partes diuidatur, quòd accipiatur & de ipso accipiatur* Iohan 7. vers. 36. *quòd quandoque non sit*, vers. eod. *quod extinguatur* 1. Thessal. 5. v. 19. &c. *Resp.* ostendimus superiùs thesi 18. nomine Spiritus quandoque intelligi dona Spiritus, & si in ea significatione nomen istud vsurpatur, articulum plerunque omitti. Ergo hæc & similia dicta non possunt nec debent eò torqueri, quasi statuatur in eis Spiritum sanctum non esse personam, sed agunt, de donis Spiritus sancti, ea in homines effundi, eadem augeri, eadem etiam quandoque extingui asserunt.

2. Spiritus S. non est extra Deum, sed in Deo, Ergo non est persona.

102. Secundo dicitur: *Spiritus sanctus non est naturaliter extra Deum, sed in ipso Deo: nisi enim esset naturaliter in Deo, Apostolus Spiritum Dei non potuisset conferre cum Spiritu hominis*, qui naturaliter est in homine 1. Cor. 2. v. 11. *Quia verò vna persona reciprocè non potest esse in alia, ergo Spiritus S. non est persona. Resp.* ex eo, quòd Apostolus confert Spiritum Dei cum Spiritu hominis, rectissimè colligitur, quòd Spiritus S. non sit extra Deum, sed in Deo: at minus rectè ex eo infertur vlteriùs, quòd Spiritus sanctus non sit persona: hoc tantùm ex eo sequitur, quòd Spiritus sanctus non sit res quædam, siue persona creata: sed à negata specie vna non potest procedi ad negationem generis. Spiritus S. non est persona creata extra Dei essentiam subsistens. Ergo nullo modo est persona. Falsum hoc est, quia etsi Spiritus sanctus non sit persona creata, tamen est persona Trinitatis tertia increata & immensa. Quod subiungunt, vnam personam non esse in alia, manifestè falsum est in mysterio Trinitatis, disertè enim pronunciat Filius; *quòd sit in Patre & quòd Pater in seipso.* Ioh. 14. v. 10. & 11. vnde rectè dicunt veteres, trium personarum diuinitatis esse mutuam περιχώρησιν, circumincessiionem & immanentiam, (vt loquuntur) quæ non solùm essentiæ vnitatem, sed & personale discrimen complectitur, qua de re egimus in disp. de trib. Elohim thes. 29.

3. Spiritus S. est virtus Dei.

103. Tertiò dicunt: *Spiritus sanctus est virtus Dei*, Lucæ 24. v. 49. *Ergo non est persona Trinitatis, quia est saltem vna persona diuina. Resp.* falsitatem istius hypotheseos, quòd in diuinis, vt vna essentia, ita etiam vna tantùm persona, luculentè ostendimus in superioribus. *Quartò dicunt. Si Spiritus sanctus esset persona, vtique etiam diuinæ essentiæ particeps esset, quia talia illi in Scripturis tribuuntur, quæ propriè pertinent ad diuinam essentiam, iam verò vna tantùm est diuina essentia, quæ pluribus personis non potest esse vllo modo communis. Respon.* vtrumque asserit Scriptura, Spiritum sanctum esse verum Deum, & esse distinctam à Patre & Filio personam, vtrumque igitur firmiter atque indubitatò credimus. Vanissimas illas ratiunculas, ex rationis humanæ luce vel potius densissimis tenebris petitas, quibus probare conantur, diuinam essentiam non posse pluribus personis communem esse, excussimus suo loco. *Contradicunt autem sibipsis*, dum hoc loco asserunt, *ea tribui Spiritui sancto quæ propriè pertinent ad diuinam essentiam*, & tamen superius p. 243. *Spiritum S. nihil aliud esse, quàm firmam & immotam spem vitæ æternæ.* Item p. 245. *Spiritum sanctum extingui, de ipso dari & effundi.* Hæc quomodo cum pronunciato isto conciliare velint, quòd Spiritui sancto ea tribuantur, quæ propriè ad diuinam essentiam pertinent, ipsi viderint.

4. Vna est tantùm Dei essentia.

5 Proprietates personæ tribuuntur illis rebus, quæ non sunt personæ.

104. Pergunt p. 248. & euincere conantur ex illis locis, *quæ propriæ personæ tribuunt Spiritui sancto, non posse euinci, Spiritum sanctum esse personam, quia peccato tribuatur*, quòd decipiat & occidat Rom. 7. v. 11. legi, quòd loquatur Rom. 3. v. 19. Scripturæ, quòd prou-

deat & prænunciet Gal.3.v.8.caritati, quòd sit *longanimis, benigna, non æmuletur, &c.* 1.Cor.13.v.4. & seq. vento, *quod spiret, vbi velit* Iohan.3.v.8. *Ita quoque Spiritui sancto tribui, quæ Dei propria sunt, cùm sit Dei virtus, non autem distincta persona. Respon.* sanè Scriptura per προσωποποιΐαν & metonymiam accidentis quandoque rebus inanimis, quæ animatorum propria sunt, tribuit, & accidentibus, quæ sunt subiectorum, sed longè dispar ratio est, quando Spiritui sancto propria personæ tribuuntur, id quod sic ostendimus. Quandocunque per metonymiam & prosopopœiam proprium personæ tribuitur ei, quod propriè loquendo non est persona, tùm nec tribuitur nec competit illi integra personæ definitio, sed solummodò pars quædam istius definitionis: Exempli gratia, peccato non tribuitur, quòd sit subsistens, viuum, indiuiduum, intelligens, incommunicabile, non sustentatum ab alio, sed vnum tantùm personæ accidens, videlicet operari, & quidem decipere ac occidere. Atqui Spiritui sancto plena & integra definitio personæ tribuitur, ac reuera competit, vt ostendimus th.69. Præterea etsi rectè disputat *Thom.* 22. qu. 58.art.2. *actiones esse suppositorum & totorum, non autem propriè loquendo partium & formarum seu potentiarum,* tamen formalis ratio personæ non pendet neque consistit in operando, sed potiùs in subsistentia personali ἐν τῷ εἶναι τὸ δεῖ *Damasc.* Dial.cap.3. Indiuiduum definit ὃ ἀφ' ὁτῆ τὴ οὐσίας δηλοῖ τὴν ὑπόστασιν: operatio demùm consequens est ὑπάρξεως. Ergo non simpliciter ex operationibus concludimus, Spiritum sanctum esse distinctam à Patre & Filio personam, sed ex eo, quòd habet propriam ὑπόστασιν, & peculiarem proprietatem personalem, quod dicitur alius, &c.

Definitio Spiritus S.

105. Demonstrauimus hactenus, Spiritum sanctum esse verum Deum, eundemque à Patre & Filio ab æterno procedere, & esse distinctam à Patre & Filio personam, ex quibus omnibus facilè colligi potest definitio Spiritus sancti. Apud priscos Ecclesiæ Dd. variæ occurrunt descriptiones. *Augustin.* de Spiritu & litera c.16. *Spiritus sanctus est digitus Dei, per quem sanctificamur, vt ex fide viuentes per dilectionem bene operemur.* lib.5.de Trin.cap.11. *Spiritus sanctus est ineffabilis Patris & Filij communio* lib.6. de Trinit.cap.5. *Spiritus sanctus commune aliquid est Patris & Filij, quicquid illud est: at ipsa communio consubstantialis & coæterna, quæ si amicitia conuenienter dici potest, dicatur, sed aptiùs dicitur charitas, & hæc quoque substantia, quia Deus substantia, & Deus charitas est.* Hieronym.sup.Psal.17. *Spiritus sanctus est dilectio, quam habet Pater in Filium, & Filius in Patrem.* Bernh.serm.8.sup. Cant.col.509. *Spiritus est Patris, Filiique imperturbabilis pax, gluten firmum, indiuiduus amor, indiuisibilis vnitas.* Damascen.1. orth.fid. cap.7. *Spiritus sanctus non est expiratio subsistentia destituta, sed virtus Dei substantialis, secundùm seipsam in propria persona considerata, ex Patre procedens, & in Filio requiescens, ipsum manifestans, nec separabilis à Patre & Filio,* Phauorinus. Πνεῦμα ἅγιον δέ δύναμις ἁπλῆ ἀσύνθετος, ἀπρόσκοπος, ἀπαθὴς, ἀμετάβλητος, ἀπερίσπαστος, ἀπερίσκεπτος, ἀπερίσκοπος, ἀπερίσταλτ

Eunomius dissimilem Patri per omnia Filium, & Filio Spiritum sanctum esse asseruit. In orat. contra Iud. Pagan. & Arian.cap.19. *Credimus in Spiritum sanctum, quem nos credimus Deum, aqualem Patri & Filio, manentem in Patre & Filio, regnantem cum Patre & Filio, &c. hunc & Ariani blasphemant, Patre Filioque esse minorem.* contra serm. Arian. c. 19. *Consolatorem, quod officium illi* (Ariani) *tanquam personæ infimæ in illa Trinitate Spiritui sancto deputant, Deum dicit Apostolus:* cap.22. *Filius*, inquiunt, *minister est Patris, Spiritus sanctus minister est Filij.*cap.23. *Filius*, inquiunt, *adorat & honorat Patrem, Spiritus sanctus adorat & honorat Filium.* cap. 25. *Filius*, inquiunt, *pro nobis interpellat Patrem, & Spiritus pro nobis postulat Filium.*cap.33.dicunt, *alium esse à Filio Spiritum sanctum Natura & ordine, gradu & affectu, dignitate & potestate, virtute & operatione.* Refutata & damnata est hæc hæresis itidem in Synod. Constantinopolitana.

Anabaptista Campanus.

110. Ad hanc classem pertinent tertio loco quidam Anabaptistæ,& Campanus,qui Spiritus S.æternitatem negant, eumque primum post glorificationem Christi cœpisse asserunt, abusi ad blasphemiam suam fucandam dicto Ioh.7.vers.39. Nondum erat Spiritus sanctus,quia Iesus nondum erat glorificatus, cuius veram expositionem dedimus th.34. 4. *Illi qui derogant Spiritui sancto cultum adorationis*, quorum meminit Nazianz.lib.6.de Theolog.quibus opponenda dicta Scripturæ omnia, quæ Spiritum sanctum verum Deum esse testantur, quia negatio adorationis est realis abnegatio Deitatis: præcipuè considerandæ & vrgendæ est collatio Esa.4.v.4.& Act.28.v. 25. Videatur etiam homil. Chrysost. de adorando Spiritu sancto. 5. *Illi, qui disputant dari* credentibus non ipsum Spiritum S.sed tantùm eius dona & Spiritum S. habitare in cordibus credentium, non vt personam, quoad substantiam suam, sed tantùm effectiuè, sicut Sol dicitur esse in agro, quorum meminit *Lomb.* lib. 1. sent. dist.14. illis opponenda sunt dicta, quæ de παταχεσία Spiritus sancti testantur,præcipuè locus 1.Cor.12.v.4.& seq. vbi manifestè Spiritus sanctus distinguitur à suis donis. Huc referendi,qui non distinguunt inter personam Spiritus S. & inter dona ac effecta, quæ operatur in credentibus,qua de re superius diximus. 6. Denique ad hanc classem pertinent Tritheitæ, qui vt personam, sic etiam essentiam peculiarem Spiritui sancto tribuunt, sicque ὁμοεσίαν Spiritus sancti cum Patre & Filio labefactant,de quibus egimus in disp.de tribus Elohim. Affinis huic errori est Valentin.Gentilis insania, Patrem appellantis essentiatorem,Filium autem & Spiritum sanctum essentiatos.

Negantes Spiritui S. adorationē.

Tritheitæ.

Valentin. Gentilis.

111. Ad classem secundam referimus Græcos recentiores, qui negant, Spiritum S. etiam à Filio procedere, qua de re diximus thes.73. & seqq. *In Synodo Florentina* Ann.1438. inter Græcos & Latinos de hac quæstione disputatum fuit, & sanè Græci Latinorum sententiam approbasse in ea scribuntur, sed non præstiterunt in eo constantiam, verùm redierunt ad pristinam opinionem, vnde adhuc hodie negant à Filio Spiritum sanctum procedere. Vid.respon.Ierem. Patriarch.Constantin.ad Theol. Wirtenberg.c.1.

2. Graci recentiores.

112. Ad tertiam errantium classem pertinent Sabelliani, Samosateniani veteres & recentiores, Seruetus & ipsius asseclæ, qui vnam tantùm esse personam Diuinitatis statuunt, quæ diuerso respectu sit & vocetur Pater, Filius & Spiritus sanctus.Sic Neo Samosateniani in Catech.Racou.p.245.scribunt, *Spiritum sanctum non esse personam, sed ipsam substantialem Dei virtutem, quæ in credentibus est efficax*, pag.243.scribunt, *Spiritum sanctum nihil aliud esse, quàm firmam & immotam spem vitæ æternæ*: quem furorem refellunt omnia Scripturę dicta, quæ Spiritus sancti personam à donis & motibus in cordibus hominum ab eo accensis distinguunt,& Spiritum sanctum esse peculiarem hypostasin à Patre & Filio realiter distinctam euincunt.

3. Samosateniani. Seruetus.

CAPVT VII.

De praxi huius doctrinæ.

Praxis huius doctrinæ de Spiritu S.

113. Praxin huius doctrinæ complectuntur sequentia Theoremata, 1. Spiritus sancti donatio est euidens diuinæ bonitatis testificatio. Ro 5.v.5. Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis.Deus ex immensa charitate mittit Spiritum sanctum in corda nostra, qui accendit in nobis veram dilectionem Dei & proximi, & ex charitate datur, impellit vicissim ad charitatē.Aug.serm.34.de verb.Apost. *Magna est misericordia Dei, qui dat donū sibi æquale, quia donum eius Spiritus S. est.* Fidelis mater vtraque infantulo præbet vbera: Sic æternus Pater non solùm dedit Filium, sed & donat Spiritum sanctum, *hæc duo vbera vino sunt pulcriora.* Cant.2.v.4. Perennes sunt hi duo beneficentiæ diuinæ fontes.Vnde etiam per *oris osculum*, quod sponsa expetit Cant.1.v.1. non absurdè intelligitur Spiritus sanctus, Interprete Bernhardo ser.8. sup. Cant. col. 509.Substantialis amor Patris & Filij est Spiritus sanctus; vtiq; ergo Spiritus sancti donatio est diuini erga nos amoris euidens demonstratio. Augustser. de Fest.Pentec. *Quanta & quàm ineffabilis est pietas redemptoris! hominem portauit ad cœlum, & Deum misit ad terras; quanta est creatori cura pro instauratione factura suæ! Ecce iterum noua de supernis Medicina mittitur: ecce iterum infirmos suos per se ipsa maiestas visitare dignatur, ecce iterum humanis diuina miscentur.* Chrysost. & Oecumen. sup. cap.5. Roman. ἀκήκοπε δέδοται, ἀλλ' ἐκκέχυται τὸ δᾶρ ἐλπὶς σημαίνων· τὸ γὰρ μέγιστον ἐνεργῶ τοῦτο ἐδωκεν· οὐ γὰρ οὐρανὸν καὶ γῆν καὶ θάλατταν, ἀλλ' ὧν πάντων ἀπάντων τιμιώτερον ἦν καὶ ἀγγέλους ὧν ἐθεώμεθα, καὶ υἱοὺς θεοῦ καὶ ἀδελφοὺς τὸν χριστὸν κατεσκεύασε.

Spiritus S. inhabitatio est nota veri Christiani.

114. Secundò: Spiritus sancti inhabitatio est vera veri Christiani demonstratio. Rom.8.v.14. Qui Spiritu Dei aguntur, hi sunt Filij Dei vers.9. Qui Spiritum Christi non habet, non est eius. 1.Ioh.4. vers.13. In hoc cognoscimus, quoniam in eo manemus, & ipse in nobis. Nos in peccatis fumus mortui, à Spiritu sancto est regeneratio & viuificatio: nos peccati sumus serui, ab ipso est in Dei Filios adoptio: nos sumus tenebræ, ab ipso illuminatio: nos immundi sumus, ab ipso sanctificatio: nos sub vetustate carnis constituti,ab ipso est Spiritus renouatio: nos fragiles & imbecilles,ab ipso est in bono confirmatio.Epiph. lib.3.contra hæreses hæres.54. pag.379.in Græc. citat ex suo ancyroto, ὅσοι πνεύματι θεοῦ ἄγονται, οὗτοί ζῶσι θεῷ, ὅσοι δὲ μὴ, ἔτι θανάτῳ λελογισμένοι εἰσὶ, ψυχικοὶ, ἤτοι σαρκικοὶ ὄντες καλοῦνται· ἅγια πνεύματα θεοῦ πᾶς νεκρὸς, Sacerdotes & Reges Veteris Testamenti vngebantur oleo sacro, Christus fecit nos Reges & Sacerdotes Patri suo Apoc.1.vers.6.vt simus regale Sacerdotium 1.Pet.2.vers.9. Vnctio, quam accepimus ab eo, est *Spiritus sanctus* 1.Ioh.vers.10. *Prophetæ V.Testamenti loquebantur φερόμενοι ὑπὸ πνεύματος ἁγίου* 2. Petri 1.vers. 21. Sic veri Christiani sunt διδακτοὶ τοῦ θεοῦ Ioh.6.v.45. Vnctio illa, quam acceperunt, docet eos de omni-

bus 1.Ioh.2.v.27. Omnes verè pij manent in Christo tanquam palmites in vite Ioh.15.vers.5. vnde autem sciunt se in Christo manere? *ex Spiritu, quem acceperunt* 1.Ioh.3.v.4. Spiritus sanctus est *salutis arrha* Eph. 1.v.14. quæcunq; ergo anima est verè Christi Sponsa, ei datur hæc salutis arrha, per quam confirmatur, fore *vt olim* ad nuptias agni *introducatur* Apoc.19.ver.8. In corpore humano omnia vera & viua membra habent vitalem Spiritum: sic qui est verum corporis mystici membrum, agitur etiam Spiritu Christi.

Nota inhabitationis Spiritus S.

114. Tertio. *Inhabitationem Spiritus cognoscere possumus ex Spiritus fructibus.* Rom.8.v.14. *Qui Spiritu Dei aguntur, hi sunt Filij Dei*: Spiritus sanctus in cordibus piorum non est otiosus, sed impellit eos vtique ad bonum, quia est bonus & sanctus Spiritus. Gal.5.v.25. *Si Spiritu viuimus, Spiritu etiam ambulemus.* v.22. *Fructus Spiritus est charitas, gaudium, pax, longanimitas, benignitas, bonitas, fides, mansuetudo, continentia.* Arbor ex fructibus cognoscitur, in quo apparent fructus Spiritus, spiritualis est: in quo dominantur opera carnis, ille adhuc carnalis est. Bernh.serm.8.super Cant. col.509. *Qua in vobis anima sensit aliquando in secreto conscientiæ suæ Spiritum Filij clamantem Abba Pater, ipsa paterno se diligi præsumat affectu, qua eodem se spiritu, quo & Filius, affectam sentit. Conside quæcunque es illa: in Spiritu Filij filiam cognosce te Patris, Sponsam Filij & sororem.* Qui verè Christum & verbum Christi amat, Spiritus sancti templum est, quia *nemo potest dicere Dominum Iesum, nisi in S.S.* 1.Cor.12.v.3. Qui sentit interius testimonium de gratia Dei & remissione peccatorum, S.S. habitaculum est, quia *Spiritus testimonium reddit Spiritui nostro, quòd simus Filij Dei* Rom.8.vers.16. *Qui in Spiritu adorat, & vera cordis fiducia Deum, vt Patrem compellat, agitur Spiritu sancto, quia per illum clamamus Abba Pater.* Galat.4.v.4. Qui in angustiis & tentationibus potest ἐμπεφοδεῖν δεῖ πίστιν πῶ καρδίαν ἑαυτῶ 1. Ioha.3.v.19. Spiritum Dei habet, quia Spiritus συναντιλαμβάνεται τῶς ἀσθενείας ἡμῶν Rom.8.v.26. Qui resistit concupiscentiis carnis, & peccata odio habet, is demùm Spiritus in se dominium agnoscat, *qui enim Spiritu ambulant, desideria carnis non perficiunt* Galat.5.v. 16. *qui Christi sunt carnem crucifigunt cum concupiscentiis.* Interim tamen cum magnis infirmitatibus hæ operationes Spiritus sancti in credentibus sunt coniunctæ, quia *primitias tantùm Spiritus habent* Rom.8.ver.23. *& interior homo renouatur de die in diem* 2.Cor.4.vers.16. quando ergo sentiuntur infirmitates, non protinus est desperandum, sed precandum, reluctandum, & ad perfectionem totis viribus aspirandum.

Media adquirendi & conseruandi Spirit.S.

115. *Quarto*: datur Spiritus sanctus per verbum & Sacramenta, per eadem etiam vti & per preces augentur Spiritus sancti dona. Verbum Dei tam ὀργὸν, quàm ἄκτιστον Spiritus sancti officina est: verbum est Spiritus S. ὄχημα & vehiculum Actor. 10. vers. 44. *Adhuc loquente Petro verba hæc, cecidit Spiritus sanctus super omnes, qui audiebant verbum.* Galat.3. vers.2. *Ex operibus legis Spiritum accepistis, an ex auditu fidei?* Luc.11. vers.13. *Pater cœlestis dabit Spiritum sanctum petentibus.* Rectè ergo D.Lutherus in enarr.Psal.131. *Verbum Dei est vterus, in quo gestamur & formamur per Spiritum Christi.* Et propter perpetuam illam Spiritus sancti & verbi coniunctionem pronunciat D. Bernh. serm.de multipl.vul.verbi col.307. *Verbum Dei est noster cibus, gladius, medicina, confirmatio, requies, resurrectio, consummatio.*

Amissio Spiritus S.

116. *Quinto*: Si te fraudare nolis Spiritus sancti inhabitatione, caue à peccatorum contra conscientiam perpetratione, Rom.8.ver.13. Si secundum carnem vixeritis, moriemini. Si autem Spiritu actiones carnis mortificaueritis, viuetis Gal.5.v.24. Qui sunt Christi (& Spiritu Dei aguntur) carnem crucifigunt cum concupiscentiis & παθήμασι. Macarius hom.15. egregiis quibusdam similitudinibus declarat, quomodo per peccata contra conscientiam excutiatur Spiritus S. & subiungit p.178.edit Franc. τῆ ψυχῆ δὲ τῆς χάριτος ὁπηνικαοῦν τὸν θεὸν τὸ πνεῦμα παραχωρεῖ, ἅτε καθαιρεθεῖσα ἀπὸ τῆς προτέρας ἁμαρτῶν ἐν τοῖς τῆ ἁγίᾳ πνεύματι κοσμηθεῖσα, καὶ μεταλαβοῦσα θείας καὶ ἐπουρανίου τροφῆς, μὴ δέοντος ἢ ἐν πολλῇ γνώσει αὐτὰ ἐρευνῶν ἐν ἁμαρτάνοντας μὴ τηρῆσα πάλιν ὀφειλομένην τῷ ἐπουρανίῳ νυμφίῳ χάριν ὠθεῖ ἐὐνοιαν ἐν ἀγάπην ἀπορρύπτεται καὶ σκαλλεται τὸ ζωῆς, ἧς ποτὲ μέτοχος γέγονε. Notum est dictum Basilij: *Sicut fumus apes, & fœtor columbas, ita Spiritum S. expellit graueolens peccatum.* Bernh.serm.3.in Fest.Pent. col.165. *Spiritus iste odit sordes, nec habitare poterit in corpore subdito peccatis. Cui enim proprium est peccata repellere, ipsi & proprium est peccata odisse, nec in vno domicilio pariter morabuntur munditia tanta, & immunditia tanta. Recepto ergo Spiritu sancto per sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum, audet quis ante faciem eius apparere tanquam lotus & mundus, vtpote qui contineat se ab omni malo, & qui actiones, etsi non cogitationes frenauerit &c.* Atque hæc dicta sunt de Spiritu S. per quem, *ô Domine Iesu, nos illumina, renoua, sanctifica, recrea, viuifica, glorifica, vt reddamur vasa misericordiæ tuæ, organa Spiritus S. plantulæ Paradisi, columnæ cœlestis Hierosolymæ, quam splendor gloriæ tuæ illuminabit, & domicilia sacrosanctæ Trinitatis in æternum, AMEN.*

DE PERSONA ET OFFICIO CHRISTI.

CAPVT I.

De appellationibus Christi.

I.

Appellationes Christi.

MVLTA sunt omnino Nomina, quæ in Scripturis sacris Christo tribuuntur, quorum quædam sunt propria, quædam figurata, quædam typica, quædam respectu personæ, quædam respectu officij, quædam ratione personæ & officij simul Christo competunt, potissimæ verò appellationes, eæque vsitatissimæ sunt, quòd Saluator ille noster Dei & Mariæ Filius dicitur Iesus Christus.

Iesus.

2. Iesus (à Iaschah) Saluatorem notat, cuius appellationis rationem exponit Angelus, Matth.1.vers. 21. quia saluum fecit populum suum à peccatis ipsorum. Quidam disputant nomen *Iehouah* anteà ineffabile intertione literæ ש effabile in hoc nomine factum, sed quia Iosua & Iesus indifferenter in Scripturis accipiuntur, simplicius videtur statuere, hanc appellationem Christo cum aliis communem fuisse.

3. Præter reliquos duo præcipui viri in V.Test. Iosua siue Iesus sunt appellati, primùm Mosis minister, qui populum Israeliticum in terram promissionis introduxit: deinde filius Iosedec, qui in reditu populi ab exilio Babylonico summus Pontifex fuit; In vtroque pulcerrimus typus Christi proponitur, ideò etiam diuinitùs hoc nomen Christo impositum est.

4. Quia

4. Quia nomen Iesu non solùm è cœlo delatum, sed etiam ἐπιπρωτὸς Christi beneficia pleraq; omnia complectitur, ideò Veteres pulcerrimas de eo habẽt meditationes, de quibus videantur Bernh. serm. 3. super Missus est serm. 2. de circumc. serm. 15. sup. Cant. Anshelm. in libris, Cur Deus homo, & in lib. de miser. hominis. *Nomen Iesus nomen dulce & delectabile est, quid enim est Iesus nisi Saluator? Propter hoc nomen tuum fac mihi secundum nomen tuum: nomen Iesus est lux, cibus & medicina animæ, &c.*

Christus. 5. Christus siue Messias vnctum significat, non enim à χρίομαι descendit, vt vult. Iustin. Apol. 2. p. 42. sed ἀπὸ τοῦ χρίω, quod significat vngo Ioh. 1. v. 41. Vncti autem sunt in Vet. Test. Reges, Sacerdotes, Prophetæ, qui omnes fuerunt typi Christi vngendi *non oleo externo*, sed Spiritu Sancto Psal. 45. v. 8. Es. 61. v. 1. Dan. 9. v. 24. Act. 10. v. 38.

6. Vnctio illa Christo competit secundùm humanam Naturam, vt suo ostendetur loco, proinde vtramque Naturam, videl. vngentem Deitatem & vnctam humanitatem hoc nomen complectitur, Aug. in Psal. 44. χριστὸς τὸ σὺν ἀμφοτέροις νοεῖσθαι. Athan. Orat. 5. contr. Arian. p. 321. nec δίχα συρκὸς Christo tribuitur. Idem de salutari aduentu Christi p. 495. qua de re vide etiam Damasc. lib. 3. de orth. fid. cap. 3. præsertim lib. 4. cap. 6. Facta quidem est vnctio illa in tempore, videl. primo momento incarnationis, interim tamen appellatio Messiæ & Christi tribuitur Saluatori nostro etiam in Vet. Testam. propter πρωτότυπα personæ, & quia vnctio illa non tantùm in æterno consilio definita, sed etiam prædicta & in typis adumbrata fuit.

CAPVT II.

De duabus Naturis in Christo.

7. Cæterùm nulla potest esse maior commendatio doctrinæ de persona Christi quàm quæ ex parallelis illis V. & N. Test. locis colligitur. Esa. 53. v. 11. Seruus meus iustus (dicit Pater cœlestis de Filio suo) scientia sui iustificabit multos. Ioh. 17. v. 3. Hæc est vita æterna (dicit Filius ad Patrem cœlestem) vt cognoscant Te solum verum Deum & quem misisti Iesum Christum. vbi obserua, Verba notitiæ apud Hebræos simul denotare affectum cordis.

Persona Christi. 8. Cognitio illa Christi consistit in personæ & officij eius consideratione. In persona Christi considerandæ duæ naturæ, Diuina & Humana; earundem personalis vnio, atque ex ea resultans idiomatum communicatio.

Est enim verus Deus. 9. Christus est verus Deus, quia vocatur Iehoua, & Deus (vbi cumprimis obseruanda diligens & accurata collatio testimoniorum V. & N. Test. quibus vaticinia de Christo & complementum eorum continentur, atque in N. Test. applicantur ea ad Christũ, quæ in Veteri de Iehouah ac vero Deo fuere dicta) vocatur *vnigenitus ac proprius Dei Filius, substantialis æterni Patris imago*, tribuuntur ei attributa & opera soli Deo propria, diuino cultu ac gloria afficitur & affici iubetur, qua de re egimus suo loco.

10. Multi *nos filij, sed non talis hic est Filius. Hic enim verus & proprius & vnigenitus est Filius origine, non adoptione; veritate, non nuncupatione; natiuitate, non creatione.* Hilarius lib. 3. de Trinit. p. 36. & lib. 12. pag. 255. atque ex ea Lomb. 1. sent. dist. 26. *Nec fas est Dei Filium degenerem suspicari, sed æqualis necesse est facere altitudinis & eiusdem penitus dignitatis*, Bernh. serm. 1. de adu. Domini col. 1. à Patre est; sed non post Patrem; à Patre genitus est, verus Deus de Deo vero.

11. Christus etiam est verus homo in tempore, ex Maria virgine natus, corpore & anima & essentialibus eorum proprietatibus præditus, nomen, definitio, propria, & operationes hominis verè ei tribuuntur. *Verus homo.*

12. Est autem humana illa in Christo Natura vera, integra & sancta, non enim eam de cælo secum attulit: sed peculiari Spiritus sancti operatione ex purificato virginis Mariæ sanguine, verum corpus & veram animam, in personæ suæ vnitatem assumsit. τὸ γὰρ ἀπρόσληπτον, ἀθεράπευτον.

13. Peculiaris illa Spiritus Sancti operatio consistit in tribus. 1. quòd præter Naturæ ordinem sine virili semine virgo concepit. 2. quòd massa illa, ex qua Filius Dei assumsit humanam Naturam, mundata fuit à peccato. 3. quòd admirabilis illa vnio diuinæ & humanæ Naturæ facta est. Habes ἄμεσον ἐνέργειαν, ἁγιασμὸν, ἕνωσιν ἄφραστον.

14. Eiusdem periculi res est, in Christo vel Diuinitatem vel carnem nostri corporis negare, *alterum enim sine altero nihil spei tribuit ad salutem. Nescit, planè nescit vitam suam, qui Christum vt verum Deum, ita & verum hominem ignorat*, Hilar. 9. de Trin. p. 160. *Nec quisquam potest eo capite gloriari, in quo asserit Naturam suam non haberi.* Leo Ep. 11.

15. Seiungimus igitur nos fide cordis & confessione oris ab omnibus omninò hæreticis, qui vel directè vel obliquè veritatem humanæ Naturæ in Christo negarunt, & adhuc negant. Sic Valentinus & Marcion contendebant, Christum è cœlo secum attulisse corpus sidereum ac cœleste, non autem ex Maria veram ac nobis consubstantialem carnem assumsisse. Manes somniabat, Christum habuisse non verum sed imaginarium corpus. Apollinaris negabat, Filium Dei assumsisse carnem ἔμψυχον anima rationali præditam. Eutyches post factam vnionem humanam Christi Naturam nobis consubstantialem esse negabat; de argumentis horum χριστομάχων consulantur veteres.

CAPVT III.

De personali duarum Naturarum vnione.

16. Duæ hæ naturæ, Diuina τῷ λόγῳ ab æterno à Patre genita, & humana, assumta ex Maria virgine, sunt personaliter in Christo vnitæ: non est alius Deus, alius homo in Christo, sed ipse est Deus; qui & homo: nec personaliter Filius Dei designari potest vel nominari sine Filio hominis, nec Filius hominis sine Filio Dei, quia idem ipse est Filius Dei, qui Filius hominis. *Personalis Vnio.*

17. Quòd duas Naturas, diuinam & humanam personaliter in Christo vnitas diximus, opponendum ¶ Λόγῳ inest illis, qui disputant, *personam Filij, non Naturam carnatam. An Natura*

diuinam, si propriè loqui velimus, esse incarnatam, cùm persona sit Filij propria, sed natura diuina sit ipsi communis cum Patre ac Spiritu sancto. Sohnius in exeg. Augu. Conf. pag. 192. qui desumsit id ex Beza part. 1. resp. ad colloq. Mompelg. p. 183. & Danæo in exam. contra Chemn. p. 81.

18. At Scriptura disertè non tantùm personæ, sed etiam Naturæ diuinæ mentionem facit. Col. 2.

vers. 9. in Christo habitat omnis plenitudo Deitatis corporaliter. 1. Timoth. 3. vers. vlt. Deus manifestatus est in carne. Ac repetendum est ex articulo de Deo, quòd Natura & essentia diuina ita communis sit Trinitati, vt tamen tota & indiuisa sit in singulis personis. Vrgendum etiam presse, ὑποστασιν & essentiam diuinam in qualibet Trinitatis persona non differre realiter, aliàs pro Trinitate inttoduceretur quaternitas, pro simplicitate cuiuslibet personæ introduceretur διθεότης.

19. Hinc Damascen. lib. 3. orthod. fid. cap. 6. ex Dionysio, Athanasio & Cyrillo ita scribit: ἡ θεότης ὁλικῶς ἡμῖν ἐν μιᾷ τῇ ἑαυτῆς ὑποστάσεων ἐκοινώνησεν. Athanasius in Symbolo incarnationem definit, μετάληψις τῆς ἀνθρωπότητος εἰς θεότητα. Et Confess. Augusta. art. 3. disertè dicit: *Duas Naturas diuinam & humanam in vnitate personæ inseparabiliter coniunctas.*

20. Argumentum ipsorum quod attinet: *Persona Filij est ipsi propria, Natura diuina est ei communis cum Patre & Spiritu sancto. Ergo persona Filij, non Natura diuina propriè loquendo est vnita carni. Respon.* Persona in diuinis non est nudus τρόπος ὑπάρξεως, sed est ipsa essentia certo charactere hypostatico insignita, qua de re diximus suo loco. Ergo persona Filij complectitur etiam in se diuinam Naturam, vel potiùs est ipsa Natura diuina, sed certo charactere hypostatico insignita. Ideò etiam non dicimus simpliciter, diuinam Naturam totam esse carni vnitam, sed addimus ἐν μιᾷ τῇ ἑαυτῆς ὑποστάσεων, videl. in persona Filij. Diuinitas tota & perfecta est in qualibet persona, ergo incarnata vna persona rectè dicitur totam diuinitatem incarnari, videlicet in vna illa persona τοῦ λόγου.

25. Hoc sensu accipiendum est, quod dicunt Veteres: *solam personam Filij esse incarnatam*: nam in hac & similibus locutionibus persona Filij non opponitur diuinæ eius Naturæ, sed personæ Patris & Spir. S. Lombar. 3. sent. dist. 5. sect. B. *Nos orthodoxis Patribus atque Catholicis Doctoribus nulla prauæ intelligentiæ suspicione notatis consentimus dicentes, & personam Filij assumsisse Naturam humanam & Naturam diuinam humanæ Naturæ in Filio vnitam, eamque sibi assumsisse vel vniuisse, vnde & verè incarnata dicitur. Quod verò dicitur solus Filius formam serui accepisse, per hoc non excluditur diuina Natura ab acceptione seruilis formæ, sed aliæ duæ personæ, scilicet Pater & Filius. Item & illud aliud, scilicet id quod proprium est Filij, non quod est commune Trinitati hominem accepit, sic oportet intelligi, id est, propriè in hypostasi Filij, non in tribus communiter personis diuina Natura humanam Naturam sibi vniuit.*

22. Eodem respicit Thom. p. 3. q. 3. art. 4. *Dicitur tota Natura diuina incarnata, non quia sit incarnata in omnibus personis, sed quia nihil deest de perfectione diuinæ Naturæ personæ incarnatæ.* Vrsinus (assecleis suis hac in parte contrarius) part. 2. explicat. Catech. p. 274. *Non quicquid est essentia diuina, est incarnatum, hoc est, non omnis persona in essentia diuina subsistens est incarnata, seu non incarnata est essentia diuina in tribus personis, sed in vna tantùm, nempè in persona Filij.* p. 184. *Essentia diuina in solius Filij persona est incarnata.*

23. Duæ sunt in Christo Naturæ, & tamen vnus solùm Dominus Iesus Christus 1. Cor. 8. v. 6. Vnus Mediator. 1. Tim. 2. vers. 5. Vnus Christus pro nobis mortuus 2. Cor. 5. v. 15. Vnus vir. 2. Cor. 11. v. 1. Vnus Magister. Matth. 23. vers. 8. hinc vocabulum vnionis. Quia autem Christus non est vnus essentia (est enim & Deus & homo) sed vnus persona siue ὑποστάσει, hinc vnio vocatur personalis: est in Christi persona ὅλῳ τῷ ὅλῳ, sed non ἄλλῳ τῷ ἄλλῳ. Est vnio Naturarum, sed non naturalis: Est vnio personalis, sed non personarum. Damasc. 5. orth. fid. c. 5.

24. Summum hoc doctrinæ cœlestis caput in huius vitæ caligine plenè ac planè intelligere non possumus. Est enim μυστήριον, est μέγα μυστήριον, est ὁμολογουμένως μέγα μυστήριον. 1. Tim. 3. vers. vlt. *Si quis ergo illud non intelligit, non immittat cornua ad ventilandum, sed caput ad venerandum: Citius enim potest in se confidens humana sapientia impingendo sibi cornua atterere, quàm innitendo petram hanc euellere*, Anshelm. de incarn. verb. cap. 2.

25. Obseruandæ cumprimis voces, quibus in vnione hac explicanda Scriptura vtitur ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο Ioh. 1. v. 14. ne existimetur id factum per conuersionem, sicut ex aqua factum erat vinum: aut per confusionem, sicut ex aqua & melle fit melicratum: ideò Hebr. 2. v. 16. σπέρματος Ἀβραὰμ ἐπιλαμβάνεται v. 14. quia pueri κεκοινώνηκε communicarunt carni & sanguini, sic & ipse μέτεσχε participauit iisdem, & 1. Tim. 3. v. vlt. θεὸς ἐφανερώθη ἐν σαρκί.

29. Singulariter obseruanda verborum pondera in loco Apostolico Col. 2. v. 9.. In ipso (Christo) habitat tota plenitudo Deitatis corporaliter. Non dicitur diuinos habitus aut dona diuina in Christo esse, sed τῷ θεότητα; nec dicitur simpliciter θεότητα sed πλήρωμα τῆς θεότητος; additur etiam παῦ πλήρωμα θεότητος, id est, ipsam perfectissimam Naturam, diuinam τοῦ λόγου: hanc dicit Apost. οἰκεῖν inhabitare: quod non potest intelligi, quod in diuina Natura Filij inhabitet plenitudo Deitatis, in Deo enim omnia essentialia, sed distinctè indicatur inhabitans Deitas & templū in quo habitat, scil. assumta Natura id quod ostendit vox σωματικῶς, scil. quod Natura humana sit illud habitaculum: vel etiam personaliter inhabitare dicit, non vt in cæteris Sanctis, in quibus itidem Filius Dei κατοικεῖ Ephes. 3. v. 17. sed quòd tota plenitudo Diuinitatis Filij cum assumto corpore animato, id est cum humana Natura sit vna persona. Diuinitas vnita est Naturæ humanæ personaliter, & humana Natura assumta est in vnitatem τοῦ λόγου.

27. Res ipsa vberiorem de hac personali vnione meditationem requirit. Natura humana in Christo non assumsit personam diuinam: nec diuina persona assumsit personam humanam) quia Natura humana non subsistit per se ante hanc vnionem, ita vt fuerit peculiaris ac in se subsistens persona, quam postea Filius Dei assumserit) sed persona Filij Dei, seu, quod idem est, Natura diuina τοῦ λόγου assumsit Naturam humanam, ἄμα σὰρξ, ἅμα λόγος σὰρξ, ἅμα σὰρξ, ἔμψυχος λογικὴ. Dam. l. 3. c. 2. *Vberius clarius nionis personalis.*

28. Vnio illa est inseparabilis: non enim eo modo facta est, sicut Filius Dei in V. T. in forma hominis quandoque conspectus fuit, ac repræsentatione docuit, quod inter homines homo futurus esset: aut sicut Spiritus S. in Baptismo Christi apparuit in specie columbæ: sed carnem, quam semel assumsit λόγος, nunquam deponet.

29. Vnio illa facta ad constituendum vnum ὑιοτάμειον, cum persona λόγου ab æterno fuerit simplex ὑπόστασις, in diuina tantùm Natura subsistens, per incarnationem in sui unitatem assumsit Naturam humanam (quæ non est ἰδιοὐπόστατος, nec ἀνυπόστατος, nec ἐνυπόστατος. Dam. l. 3. c. 9.) Hinc Athan. Naz. Damasc. dicunt, *post incarnationem* ὑπόστασιν *Filij Dei esse σύνθετον* (quod sano sensu accipiendum) cùm in se non vnam tantùm Naturam habeat, sed duas

sed duas Naturas personaliter, vnitas, ita vt ad personam Christi post incarnationem non solùm diuina, sed etiam humana Natura pertineat.

30. Post factam igitur incarnationem, nec persona Λόγε extra carnem, nec caro extra personam Λόγε statui debet: nec per nudam quandam ἁφὴν unas duæ illæ Naturæ coniunctæ sunt, sed per intimam περιχώρησιν, quod veteres declarant exemplo ferri igniti & corporis animati. Et quidem declarationis gratia multa ex hisce exemplis accommodari possunt ad hoc mysterium: ἁμῶς ἕξει εἶσιν, sed ὑπὲρ πάντα. Anima & corpore fit vnum tertium: non ita in Christo, quia Christus subsistit in duabus, & ex duabus Naturis, & duæ illæ Naturæ personaliter vnitæ sunt vnus Christus.

Λόγ. non est extra carnem.

31. Ne vel personæ vnitas, vel Naturarum distinctio aboleretur, veteres dixerunt factam esse vnionem ἀδιαιρέτως, ἀσυγχύτως, ἀτρέπτως, ἀδιαστάτως, ἀσυγκλήτως, ἀδιαζεύκτως.

Quo sensu dicatur vnio essentialis.

32. Quando Cyrillus & Bernhardus vocant hanc vnionem essentialem, termino illo latiùs vtuntur, & opponunt eum vnioni accidentali: nec vnionis terminum notant, sed duas essentias, hoc est, duas Naturas vnitas esse volunt dicere. Dam. l. 3. orth. fid. c. 3. ὑποῖόν φαμεν τὸν ἕνωσιν, τοῦτ' ἐστιν ἀληθῶς καὶ φανταστέον, ὑποῖόν δὲ οὐχ ὡς τῆς δύο φύσεων διαφορωσῶν εἰς σωζόμενον φύσιν, ἀλλ' ἑνωθεισῶν ἀλλήλαις καὶ ἀληθείαν εἰς μίαν ὑπόστασιν συνθέτην.

Gestatio à Λόγῳ num sufficienter exprimat vnionem.

33. Ex quibus constat. 1. Vnionem personalem non plenè explicari per hoc quod dicitur, Naturam humanam à Λόγῳ gestari. 2. Nec dicendum esse, quòd totus Λόγος ita sit in carne, vt tamen totus sit extra carnem: 3. Nec similitudines illas de Planeta affixo orbi: de gemma inclusa annulo; de clauo infixo rotæ; de Antuerpia adiacente magno mari; de capite & pede vnitis, mysterio huic explicando satis accommodas esse. 4. Placuit Scholasticis similitudo ducta à surculo arbori inserto: placet eadem Scriptori cuidam recentiori, atque ita placet, vt subiungat, *ita prorsus verbum diuinum instar magnæ arboris suscepisse ramusculum Naturæ humanæ*, sed & hæc similitudo multis modis est dissimilis.

34. *Primò: sufficit* (ait personatus ille Palatinus Kednadon Dial. de pers. vni. p. 7. & Martyr. Dial. orth. f. 10.) *Deitatem quamuis immensam & infinitam sua hypostasi fulcire ac sustentare humanitatem, vbicunque illa fuerit*, σεβίσμα. pseudo Witeb. hhh. 1. *In Christo sic vnita sunt duæ Naturæ, vt sint vnum ὑφ' ἁυτὸν, id est, vt gestetur humana Natura à Λόγῳ sic vt sint inseparabiles Naturæ in tota æternitate, & vt humana Natura redigeretur in nihilum, nisi sic gestaretur.*

35. Atqui gestare est actus secundus, non ergo plenè exprimit actum personalem; gestare est actus talis, qui respectum habet ad omnes creaturas, siquidem Λόγος *omnia portat verbo virtutis suæ.* Heb. 3. v. 1. ergo non exprimit plenè actum illum, qui ad solam assumtã Naturam respectum habet. Hinc B. Lutherus tom. 2. Witeb. f. 228. *Hæc Philosophia est hæreticissima, quia negat, Filium Dei esse hominem actu primo, sed fingit eum sustentare humanam Naturam velut actu secundo.*

36. Si dicas, additur, quòd gestatio illa fiat in vnitate personæ. *Resp.* illud ipsum in definito siue subiecto iamdum erat positum, quærebatur enim quid sit illa personæ vnitas, siue in quo consistat vnio personalis? ergo non potest hoc differentiæ specificæ locum in definitione siue in prædicato obtinere. *Si dicas, sensum illorum verborum esse, quòd non mediante propria aliqua hypostasi caro à Λόγῳ gestetur: Resp.* nec hoc modo plenè definitur vnio personalis, quia saltem negatur, aliquid in assumta Natura: non autem exprimitur actus aliquis positiuus, iam verò nullus terminus negatiuus potest exprimere differentiam rei specificam positiuam.

ὑπόστασις & quid significet.

37. Quando Dam. lib. 3. c. 9. ex veteribus Naturam assumtam vocat ἀνυπόστατον, id non ita accipiendum, q. tantùm gestetur à Λόγῳ assumta Natura, nulla mediante propria hypostasi, & q. in eo consistat differentia specifica vnionis, sed quòd Natura assumta propriam hypostasin quidem non habeat, interim ipsa Λόγε ὑποστάσει subsistat, qui est actus eius personalis. Quicquid enim subsistit, id vel sua vel alia ὑποστάσει subsistit: Natura assumta subsistit (aliàs esset αὐτυπόστατος.) Ergo vel sua vel alia ὑποστάσει subsistit. Non sua (aliàs esset ἀνυπόστατος καὶ ἰδιοϋπόστατος) Ergo alia videlicet ipsius Λόγε ὑποστάσει.

38. Hanc esse Damasceni mentem probamus ex ipso Damasc. sic enim exponit suum illud ἀνυπόστατον dicto c. *Ipsius Verbi hypostasis vtriusque Naturæ hypostasis existens* (ἀμφοτέρων τῶν φύσεων ὑπόστασις χρηματίσασα) *nullam earum αὐτυπόστατον esse permittit, neque alterius esse ὑποστάσεως, nec quandoque quidem huius, quandoque verò illius, sed semper vtriusque indiuisibiliter & inseparabiliter est hypostasis*, vnde etiam assumtam Naturam vocat, non tãtùm ἀνυπόστατον, sed etiam ὑποστᾶσαν, Scholastici reddunt *personatam*, ὑπὸ θ' ἑαυτῷ sed ipsius Λόγε ὑποστάσει.

39. Eodem pertinet, quòd scribit Damasc. lib. 3. c. 11. *Carnem factum esse Verbum, est ipsam Verbi hypostasin* ἀπερίτρεπτος *factam esse carnis hypostasin* c. 6. *Caro suum esse personale habet in persona* τοῦ Λόγε. c. 23. *Vna Verbi hypostasis & anima & corporis fuit hypostasis, nunquam enim vel anima vel corpus propriam habuere hypostasin præter eam, quæ Verbi est hypostasis.* Augustin. de fide ad Petrum cap. 17. *Verbum caro factum vnam habet diuinitatis carnisque suæ personam*: vnde etiam Damascen. ex veteribus carnem vocat θεωθεῖσαν, λογωθεῖσαν, τεθεωμένην, videl. ὑπὲρ μεταβολὴν, ἀλλὰ κατὰ ἕνωσιν καὶ περιχώρησιν τῆς φύσεως ἀλλήλαις.

ὑπόστασις σωζομένη.

40. Inde apparet, quare veteres ὑπόστασιν τοῦ Λόγε post factam incarnationem, dicant σωζομένην, nimirum quia non amplius est solius Naturæ diuinæ (sicut ante incarnationem) sed etiam assumtæ Naturæ hypostasis: τὸ gestari in ea humanam Naturam nondum faceret ὑπόστασιν σωζομένην, quia effectus & actus secundus non ingreditur rei essentiam, sed quia assumta Natura ἕξιν ὑποστατικὴν sortita est à diuina Natura Filij in quam est assumta, ideò & inde Λόγε ὑπόστασις est ac dicitur σωζομένη.

Subsistentia carni communicata.

41. Relinquitur igitur, quòd assumta Natura ideò dicatur ἀνυπόστατος, quia in vnione & per vnionem hypostaticam Verbi subsistentia ei est communicata, quam communicationem Apostolus Col. 2. 9. vocat ἐνοίκησιν, vbi distinguitur inter inhabitantem Deitatem, & inter habitaculum, in quo plenitudo Deitatis τοῦ Λόγε personaliter inhabitat, quod est corpus siue assumta Natura, perinde vt Christus Ioha. 2. v. 21. *corpus suum vocat* templum. Ignat. Epist. ad Smyrn. *Verbum in carne* ᾠκησεν, *sapientia enim ædificauit sibi domum.* Epist. ad Trall. *Maria genuit corpus, habens Filium Dei* ἔνοικον. Athan. Orat. 4. cont. Arian. *Corporaliter Deitas habitauit in carne.* Oecum. sup. h. l. σωματικῶς, id est, ἐνσάρκως siue σεσαρκωμένως, &c. semper autem addendum, quòd sit ἐνοίκησις ὑποστατικὴ ad differentiam inhabitationis istius gratiosæ, de qua Eph. 3. v. 17. Ioh. 14. v. 23. 1. Cor. 6. &c.

42. Concedunt hanc subsistentiæ communicationem carni factã. Bell. lib. 3. de Christ. c. 18. Buseus disp. contra Gerl. c. 4. thes. 35. sed insidiosè addunt vocem

solius, vt realem diuinarum ἕξεων communicationem carni factam excludant, qua de re posteà plenius: negant verò eam Grab. contra Hunn. p. 49. & alij monstrosam verborum formam appellantes, si dicatur, λόγον suam hypostasin realiter communicasse assumtæ carni. Ex quo de consensu istorum, qui maiestatem Christi vti homini datam aliàs ὁμοδυμαδὸν oppugnant, iudicari potest.

43. *Secundò*: Totum λόγον ita esse in carne, vt tamen etiam totus sit extra carnem, scribunt Zanch. 2. de Natu. Dei cap. 6. pag. 137. Pezel. p 1. obiect. p. 177. Sohn. & alij. Atqui Apostolus vnionem hypostaticam definit per τὸ τῆς θεότητος πᾶν πληρωματος ἐνοίκησιν: vnde ex veteribus Damascen. lib. 3. cap. 4. Vnionem vocat τὸ δι' ὅλου φύσεως εἰς ἄλληλα περιχώρησιν, quæ efficit, vt post factam incarnationem, nec λόγος sit extra carnem, nec caro extra λόγον. Non coæquatæ sunt hæ duæ Naturæ, cùm finitatem assumta Natura suam non amiserit, interim tamen ἀδιαστάτως sunt vnitæ, absit enim, vt locorum διαστήματα separent, quod summum vnionis personalis vinculum coniunxit.

An λόγος sit extra carnem.

44. Carnem non esse extra λόγον, concedunt illi, de quibus paulò antè diximus, sed λόγον non esse extra carnem strenuè negant, metuunt enim, ne vel caro coextendatur λόγῳ, vel λόγος infinitatem suam amittat, & in corpore circumcludatur: vnde distinguunt inter personam & Naturam λόγου, personam λόγου non esse extra carnem concedunt, sed propter Naturæ diuinæ infinitatem λόγον esse alicubi dicunt, vbi non sit Natura assumta. At persona & Natura diuina τοῦ λόγου non differunt realiter, neque enim λόγος ex duobus realiter distinctis est compositus: Si persona λόγου non esset pariter infinita, eadem scil. infinitate, ac Natura λόγου, vtique persona & Natura λόγου differrent realiter.

45. Veteres passim dicunt, λόγον non esse extra carnem: Athan. Orat. 2. contra Arian. p. 170. Orat. 4. p. 275. Cyrill. ad Regin. de recta fide f. 129. Naz. Epist. 1. ad Cledon. Epiph. l. 2. to. 2. contra Ariom. Qui indices in Athanasium confecerunt, assignarunt quædam loca contraria, sed textus inspectio euidenter illos falsitatis arguit. Vt λόγος δίχα σαρκὸς post factam vnionem non operatur, ita etiam ἔξω τῆς σαρκὸς non subsistit, τὸ γὰρ ἐν σαρκὶ λόγου τοῦ ἔξω σαρκὸς contradictoriè sibi inuicem opponuntur: si λόγος ὅλος non est ὁλικῶς ἐν σαρκὶ, vtique hactenus & hoc respectu non erit ἔνσαρκος.

46. Tota plenitudo Deitatis (τοῦ Λόγου) habitat in Christo σωματικῶς, vel ἐν τῷ σώματι χριστοῦ, dicit Apostolus: quid hoc aliud est, quàm λόγον cum tota Deitatis plenitudine siue ὅλον ὁλικῶς in carne habitantem nullibi esse extra Λόγον? Finge totum λόγον esse ita in carne, vt tamen propter sui infinitatem sit etiam totus extra carnem, nulla jam erit differētia inter inhabitationem gratiosam τοῦ λόγου in Sanctis, & inter hanc ἐνοίκησιν ὑποστατικὴν in carne: quod enim superiùs afferebatur de substentatione immediata absque ὑποστάσει carnis propria, id tenuiùs est, quàm vt hujus ὁμολογουμένως μεγάλου μυστηρίου maiestatem exprimere possit.

47. Secedat paulisper cogitatio de magnitudine & διαστήμασι locorum, vbi de personali Λόγου & assumtæ Naturæ vnione agitur. Omnia locorum διαστήματα ad λόγον comparata sunt angustiora quàm minimum punctum, quemadmodum omnia temporum interualla respectu ad λόγον habito sunt breuiora, quàm minimum momentum. Quare cum tota plenitudo Deitatis τοῦ λόγου in assumta natura habitet, neutiquam extra eam ὁ λόγος vel statuendus vel cogitandus propter illam de locorum διαστήμασι cogitationem.

48. Non est quidem ὁ λόγος propter personalem in finita carne inhabitationem factus finitus, nec caro propter assumtionem siue περίληψιν in λόγον infinitum facta est infinita, interim tamen ὁ λόγος extra omnes creaturas subsistens personaliter ac proinde ἀδιαστάτως & ἀδιαστατῶς in carne habitat: vnde Dam. lib. 3. ca. 4. ex veteribus statuit δι' ὅλου φύσεων ἑνωθεισῶν περιχώρησιν *mutuam Naturarum immeationē vel circumincessionem*, vt loquuntur Scholastici. Quemadmodum propter mutuam περιχώρησιν personarum in diuinis Pater non est extra Filium, nec Filius extra Patrem: ita propter mutuam περιχώρησιν duarum Naturarum in Filio, λόγος non est extra carnem, nec caro extra λόγον.

49. Si λόγος ita asseritur esse totus in carne, vt etiam totus sit extra carnem, tollitur ita Naturarum in Christo περιχώρησις, neque tam arcta erit inter λόγον & assumtam naturam περιχώρησις, quàm est inter corpus ἔμψυχον & animam ἐνσώματον, si quidem durante corporis & animæ vnione, nec corpus est extra animam, neque anima extra corpus. Si quis velit excipere, λόγον propter sui infinitatem esse extra carnem, animam autem propter sui finitatem non esse extra corpus, is ipsa fatebitur, se cogitationibus de infinitate in simplici fide huius mysterij turbari, quæ tamen erant sub fidem captiuandæ. *Surculi insitio.*

50. Quòd finita anima habitet in finito corpore, nullum est mysterium, sed theorema rationi admodùm obuium: at quòd infinitus λόγος personaliter habitet in finita carne, est ὁμολογουμένως μέγα μυστήριον, fide igitur opus est, nec in consilium adhibenda ratio. Ratio immediata, quare anima sit in toto corpore, & non extra corpus, non est finitas vel animæ vel corporis, sed eorundem arctissima vnio, ita quoque infinitas λόγου non tollit illam personalem & longè arctiorem inhabitationem in assumta carne, per quam fit, vt ὁ λόγος non sit extra carnem.

51. Nec dici potest, *totum λόγον, sed non totum τὸ λόγου habitare in carne*, quia Apostolus notanter dicit, πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος totam plenitudinem diuinitatis τοῦ λόγου carnem inhabitare; si λόγος sua ὑποστάσει totus esset extra carnem, negaretur ex toto τοῦ λόγου ἐνσάρκωσις: si λόγος sua ὑποστάσει ex parte dicitur esse extra carnem, vel, quod idem est, si non totum τὸ λόγου in carne habitare dicitur, ex parte negatur λόγου ἐνσάρκωσις.

52. Breuiter, manet finita caro in ipsa vnione, proinde non fit Naturarum exæquatio vel coextensio: infinitæ ὑποστάσεως per vnionem particeps fit caro, proinde non fit Naturarum per locorum spacia separatio, sed ἀδιαστάτως sibi inuicem præsentes sunt. Vnum ergo alteri non opponatur, quia infinitas hypostaseos non tollit finitatem carnis, nec finitas carnis tollit infinitatem hypostaseos: agnoscatur hîc mysterium omni Angelorum, nedum hominum καταλήψει maius atque eminentius.

53. Tertiò: Similitudines de Planeta affixo orbi, de gemma inclusa annulo, de clauo infixo rotæ, de Antuerpia adiacente magno mari, de capite & pede vnitis, placēt Bezæ Apolog. 3. cont. Selnec. Neostad. in admon. p. 27. 79. &c. aliisq; compluribus, sed nimis tenues sunt ac ieiunæ, quàm vt huic mysterio conueniant. Nulla enim in his exemplis est vnio totius cum toto, nec dici potest totum orbem cum vno Planeta, totum annulum cum gemma, totum mare cum Antuerpia, &c. vnum constituere *Similitudines Calvinianorum.* *Propositiones ex vnione personali.*

ὑφιστάμε-

ὑφιστάμενον, perinde vt Apostolus dicit *totam plenitudinem Deitatis habitare in assumta carne*. Nec dici potest, Planeta est orbis, gemma est annulus, &c. sicut rectè dicitur, Filius Dei est homo, & Filius hominis est verus Deus.

54. Si placet similitudinibus hoc mysterium ἀναλήπτου quodammodo adumbrare, cur repudiamus veterum similitudines de corpore animato & ferro ignito, quæ propriùs accedunt, licet nec hæ sint satis κατὰ πάντα congruæ? Ex anima enim & corpore fit Natura quædam tertia, videl. homo: at non ita in Christo, ὑπόστασις ἐστὶν ἑτέρων ἑτέρων, οὐκ ἐξ ἑτέρων ὅλων τὰ. Partes istæ hominis videlicet anima & corpus sunt imperfectæ, solum corpus non est homo, sola etiam anima non est homo: at non ita in Christo, quia ante incarnationem λόγος perfecta fuit persona. Cæterum applicationes harum similitudinum pulcerrimas vide in incomparabili libello D. Chemn. de duabus in Christo Naturis c. 6.

Surculi insitio.

55. Quartò: Insitio surculi videtur aliquid habere vltra σύνθεσιν, quia surculus vitam à trunco accipit, vnde Scholasticis ista similitudo inoculationis siue insitionis placuit. Alex. Alens. part. 3. q. 2. membr. 3. *Vnio duarum Naturarum in Christo assimulatur vnioni per modum insertionis. Vt enim surculus dependet, sustentatur & nutritur per truncum: sic Natura humana dependet à Verbo: & sicut in tota arbore manent distincta Natura, ita res se habet in proposito.*

56. At hæc similitudo non explicat actum personalem Naturæ humanæ, sed effectum solum aliquod vnionis explicat, nec vel minima ex parte adumbrat communicationem hypostaseos, quæ tamen est specifica personalis huius vnionis differentia. Vanũ ergo est, quod Bellar. lib. 3. de Christo col. 471. ita sibi placet in hac similitudine, vt subiungat, *ita prorsus verbum diuinum instar magnæ arboris suscepisse dicitur ramulum humanæ Naturæ*: rectiùs Alens. d. l. *Cuiusmodi sit hæc communicatio, qua Natura humana communicatur Verbo, non est hominis definire*: rectiùs Ariminensis 1. sent. dist. 28. q. 2. *Qualiter Deus & homo sit vnus Christus, puto omni viatori naturaliter fore incomprehensibile*: rectiùs Biel. 1. sent. dist. 30. q. 4. *Vnio Naturæ humanæ ad Verbum non solùm ineffabilis est, sed etiam pro statu isto intellectui incõprehensibilis.* Ridiculi admodùm sunt Scholastici, quando hanc similitudinem probare cupiunt ex Iac. 1. v. 21. *Suscipite τὸν ἔμφυτον λόγον*, non enim ibi de Verbo hypostatico, sed de σωτηρικῷ agitur.

57. Atque hæc de vnione personali ἐν δέσει τῇ ἀϊδίῳ diximus vberiùs, sunt enim fundamentum sequentium omnium: & ex his de aliorum incommodis locutionibus & sententiis facilè iudicari potest, vt quod Danæus lib. contra Chemnit. p. 84. scribit: *Naturam humanam accurrisse ad verbi ὑπόστασιν, & ad personam iam existentem & per se plenè subsistentem fuisse adiunctam*: quod alij negant vllam esse, vel esse posse inter Naturas Christi communicationem, quæ olim fuit præcipua pars Symboli Samosateniani τὰς δύο φύσεις πάντα ἀπάσας ἀκοινωνήτους εἶναι.

CAPVT IV.

De propositionibus personalibus.

Propositiones ex vnione personali ortæ.

58. Ex vnione hypostatica diuinæ & humanæ Naturæ in Christo sequitur, vt rectè dicatur, Filius Dei est Filius Mariæ, & viciissim, Filius Mariæ est Filius Dei: Deus est homo, & homo est Deus.

59. Quæ propositiones non sunt regulares, nec tropicæ: sed inusitatæ: possunt etiam dici personales, quia arguunt vnionem personalem duarum naturarum in Christo, & earum vis, natura, veritas & connexio indicanda est ex vnione personali: Filius hominis est Filius Dei personaliter, id est, per & propter vnionem personalem, quia natura humana in Christo propria personalitate destituta in ipsam λόγου ὑπόστασιν est assumta, & in eadem subsistit. Filius Dei est Filius hominis personaliter, id est, per & propter vnionem personalem: non enim ὑπόστασις Filij Dei subsistit extra hanc humanitatem: sed est non tantùm suæ Naturæ diuinæ, verùm etiam huius humanæ Naturæ ὑπόστασις.

60. Semper obserua, in his propositionibus, non agi de Naturarum distinctione, sed de ipsarum personali vnione: & sic facilè iudicare poteris, quid de ieiuna aliorum ἀναλύσει statuendum.

Analysis Scholasticorum.

61. Sic facilè animaduertitur analysin illam Scholasticorum nimis tenuem esse, qua dicunt, propositionis huius: Filius hominis est Deus, sensum hũc esse, *Filius Dei, qui sustentat humanam Naturam, est Deus.* At non est hîc quæstio de Naturarũ distinctione, sed de personali earum vnione, Filius Dei est Deus essentialiter, per & propter æternam à Patre generationem, qua de re nõ agit propositio: Filius hominis est Filius Dei personaliter, per & propter vnionem personalem, quia assumta Natura in ὑπόστασιν τοῦ λόγου subsistit, & hac de re propriè agit propositio.

62. Rectè ergo Caluin. 2. Instit. cap. 14. sect. 4. & ex eo Chassanio lib. 2. Locor. Comm. c. 1. sect. 3. contra suos asseclas statuunt: *Christum secundùm humanam Naturam esse & dici Filium DEI per vnionem personalem.* Vt enim ratione Diuinitatis est Filius Dei per Naturam, ita ratione humanitatis est Filius Dei per vnionis gratiam. Sanctum quod ex te nascetur, Filius Dei vocabitur, dicit Angelus ad Mariam Luc. 1. v. 35. Quò pertinet, quòd olim Felix Orgelli Episcopus, cùm scriptis quibusdam editis Christum humanæ Naturæ respectu adoptiuum tantùm Dei Filium asseruisset, in Concilio Erroris sui conuictus, eundem publicè damnarit.

65. Nec referendum est, quòd quidem disputant, *propositiones illas personales referendas esse ad accidentales*, vt sicut per accidens de homine prædicatur, quòd sit canus, ita quoque per accidens prædicatur, de Filio Dei, quòd sit homo. Atqui ipsa vnio non est accidentalis. Ergo nec istæ propositiones ad accidentalium classem relegandæ: accidentales propositiones nunquam sunt reciprocæ, neque enim dicere possum, homo est canus, & canum est homo. Iam verò personales propositiones reciprocæ sunt: Filius Dei est homo, & Filius hominis est Deus.

64. Ab ista ἀναλύσει non procul abesse videtur Bellarm. quando l. 3. de Christo c. 15. λόγον assumentem humanam Naturam confert cum Rege, qui induit purpuram, cùm tamen purpura nunquam vnum cum Rege ὑφιστάμενον constituat. Rectiùs Bonauentura disputat, *propositiones illas personales non posse reduci ad alios modos prædicandi vsitatos & consuetos, non enim esse prædicationem per essentiam, nec per inhærentiam, nec per causam, nec per se, nec per accidens, sed esse modum prædicandi singularem propter hypostaticam vnionem ad vnum ὑφιστάμενον.*

65. Nimis etiam tenue est, quòd quidam propositiones istas ita resoluunt. Hic homo est Deus, id est, qui est Filius Dei, est etiam homo, vel hæc persõa est verè Deus & verè homo. At hæ posteriores propositiones duas distinctas Naturas explicant, prior de ipsa personali vnione agit: præterea hæc

ratione ex simplici Axiomate fit copulatum: Deus est homo, simplex est Axioma: Hæc persona est Deus & homo, copulatum est Axioma. Denique analysis illa fauet Nestorio, qui Filium Dei esse hominem in vnitate personæ negauit. Christum esse Deum & hominem concessit. Rectiùs *Beza* ἀπαλύϊ p. 1. Respon. ad Colloq. p. 93. *Propter vnitatem personæ hic homo, non quidem qua homo siue suæ Naturæ respectu, sed propter suam in Filio Dei subsistentiã est verè ille Dei Filius: id simplicius & euidentius ita explico. Christus secundùm humanam Naturam est Dei Filius non per & propter essentialem aliquam assumtæ Naturæ proprietatem subiectiuè inhærentem, sed per & propter vnionem personalem, qua hæc humana Natura propria personalitate destituta in ipsam Λόγου ὑπόστασιν assumta est & in eadem subsistit.*

An sint locutiones synecdochicæ?

66. Quid si quis dicat, *synecdochicas esse has propositiones*, Homo est Deus, & Deus est homo, cùm vocabulum Dei vsurpetur non pro tota S. Trinitate, sed pro secunda tantùm persona? Minimè verò, quia Λόγος nec pars, nec species est Deitatis. Ergo synecdochica partis pro toto, speciei pro genere ὁμοίωσις hîc locum neutiquam habet. Tota & integra Deitas est in omnibus tribus Diuinitatis personis, & in qualibet persona tota, integra & indiuisa, qua de re suo loco plura diximus. Quid Apostolus? *Tota plenitudo diuinitatis habitat in Christo* σωματικῶς Col. 2. vers. 9. Quid pij veteres? ὅλη ἡ θεότης ὁλικῶς ἐν μιᾷ τῇ ἑαυτῆ ὑποστάσεων οἰκονόμησεν ἡμῖν.

67. Per vocabulum *Hominis* itidem non intelligitur homo vt species, sed intelligitur hic homo, Mariæ Filius etiamsi particula δεικτικὴ non semper expressè additur. Monet *Damasc.* lib. 3. orthod. fid. c. 11. trifariam considerari humanam Naturam: 1. ψιλῇ θεωρείᾳ, quando secundùm simplicem rationem ab omnibus individuis separata, nuda & quasi per se sola consideratur, vbi nullum nisi in animo considerante locum habet, καθ' ἑαυτὴν γὰρ οὐχ ὑφέστηκεν. 2. ἐν τῷ εἴδει in specie, quando eam in ipsis individuis pariter existentem communi singulisque conueniente ratione contemplamur, κοινῶς ἐν πάσαις ταῖς ὁμοειδέσιν ὑποστάσεσι ταύτας σεσαπῆσαι, ἤγουν λέγεται ἐν τῷ εἴδει θεωρουμένη φύσις. 3. ἐν ἀτόμῳ, quando eam, vt in vno existentem singulari cum proprietatibus individualibus ab omnibus aliis illud secernentibus contemplamur, ἐλλιπῶς ἐν μεροληψίᾳ συμβεβηκότων ἐν μιᾷ ὑποστάσει λέγεται ἐν ἀτόμῳ θεωρουμένη φύσις ἡ αὐτὴ ὅσα τῇ ἐν τῷ εἴδει θεωρουμένῃ, & concludit ibidem *Damasc.* non primo, nec secundo, sed tertio sensu humanam Naturam à Filio Dei assumtam esse.

68. Addendum tamen necessariò contra Nestorianos, quod cùm τὸ ἄτομον humanæ Naturæ siue massa illa animæ & corporis considerari possit bifariam, tùm quatenus habet propriam ac peculiarem ὕπαρξιν, sicut omnes in mundo singulares substantiæ, tàm quatenus in alio sustentatur & existit, Filium Dei non priore, sed posteriore modo ἐν τῷ ἀτόμῳ humanam Naturam assumsisse, vel vt *Damascenus* loquitur, καθ' ἑαυτὴν ὑποστᾶσαν καὶ ἄτομον ῥηματήσασαν μετέπειτα καὶ ὅπως ἂν αὖθις μεταληφθεῖσαν, ἐν τῇ αὖθις ὑποστάσει ὑπάρξασαν.

CAPVT V.

De communicatione idiomatum.

Idiomatum communicatio.

69. *Consequens huius vnionis (non temporis, sed naturæ ordine) est idiomatum communicatio.* Quia enim naturæ non singulæ seorsim & solæ subsistunt ac agunt, quæ cuiusque propria sunt: sed persona subsistit in duab. illis naturis, & agit omnia iuxta cuiusque, proprietatem: ac quia altera Natura non otiosè quieuit, aut sua tantùm priuatim agit, aliud agente aut patiente altera, sed vtraque Natura agit cum communicatione alterius: denique quia Naturæ diuinæ in Christo, quæ per se perfectissima est, nihil accessit, humana v. nõ solum retinet suas essentiales proprietates, sed ex hypostatica illa vnione, præter, supra & vltra essentiales proprietates διδοὺς χάριτος ἀπόδοσις sortita est, hinc tria nascuntur communcationis genera.

Hæc communicatio non est verbalis.

70. *Primum genus dicitur à veteribus ἰδιωμάτων, ἀπόδοσις, χάριτος ἀποδόσεως*, &c. & est, quando propria vnius Naturæ tribuuntur personæ in concreto. Quia enim duæ Naturæ non subsistunt separatim, vt alia persona sit Deus; alia homo: sed vnitæ sunt in vnam hypostasin: ideò Naturarum idiomata non tantùm tribuuntur illi naturæ, cuius sunt propria: nec ita distribuuntur, vt alia Christo Deo, alia Christo homini tanquam duabus personis tribuantur: Sed, sicut Naturæ vniuntur ad vnum ὑφισάμενον: ita etiam Naturarum propria prædicantur de persona.

71. Adduntur autem in hoc genere quandoq; particulæ distinctiuæ, quæ ostendunt, secundùm quam Naturam personæ aliquid tribuatur: vt, Filius Dei γενόμενος est ex semine Dauid secundùm carnem Rom. 1. v. 3. *Nec interest, ex qua Christus substantia nominetur, cùm inseparabiliter manente vnitate personæ idem sit, & totus hominis Filius propter carnem, & totus Dei Filius propter vnam cum Patre Deitatem. Leo* Epist. 41.

72. *Ex eo intelligi potest, esse non minus communicationem idiomatum*, si dicatur: Filius hominis patitur, crucifigitur, moritur, &c. quàm si dicatur, Filius Dei patitur, crucifigitur, moritur, &c. quia non de nudo homine, sed de hoc homine, qui in vnitate personæ est verus Deus περὶ τοῦ θεανθρώπου talia enunciantur. Pertinent ergo huc propositiones tales: 1. cùm idioma diuinum prædicatur de Christo Deo, siue de persona à diuinitate denominata. 2. cùm idioma humanum prædicatur de Christo homine, siue de persona ab humanitate denominata. 3. cùm idioma diuinum prædicatur de Christo homine. 4. cùm idioma humanum prædicatur de Christo Deo. 5. quando proprietas diuina vel humana prædicatur de Christo, hoc est, de concreto vtriusque Naturæ.

2. Genus communicationis.

73. In hoc primo genere subiecti loco semper ponitur nomen personæ, non autem nomen alterius Naturæ, atque ita contra *Nestorium* vindicatur personæ vnitas, de qua & diuina & humana prædicantur: contra *Eutychen* asseritur Naturarum distincta proprietas: & quia personæ vnitas est fundamentum & origo talium prædicationum, ideò propter personæ vnitatem tales prædicationes sunt reciprocæ, tàm enim diuina de homine, quàm humana de Deo prædicantur.

74. *De hoc primo communicationis genere extant apud Veteres multa præclara dicta. Ignat.* Epist. 4. *Hic ipse qui est ex muliere natus, Filius est Dei, & qui crucifixus est, primogenitus est omnis creaturæ. Iust.* in exposit. fid. *Quando audieris de vno Filio voces contrarias, distribue ea, quæ dicuntur, inter Naturas, vt cuique id, quod proprium eius est, assignetur. Athanas.* ser. 4. contra Arian. *Singularum Naturarum proprietatem cognoscentes, & vtraque ab vno agi intelligentes rectè credemus & non aliquando errabimus. Christ.* Epist. 28. *Euangelicas & Apostolicas de Domino voces scimus veros Theologos tanquam ad vnam personam pertinentes ratione duarum Naturarum diuidere, & alias quidem, vtpotè diuinitati conuenientes ad diuinitatem Christi, alias verò humiles ad ipsius humanitatem referre. Leo* serm. 10. *Etsi vnum manet ab æterni-*

nate,

tate, aliud cœpit in tempore, qua tamen in vnitatem conuenerunt, ita sibimet inhæserunt, vt siue in omnipotentia siue in contumelia, nec diuina in Christo careant humanis nec humana diuinis. Vig. lib. 2. contra Eutych. *Quæ sunt propria Naturarum, fiunt communia personæ, quod repetit Theod.* dial. 3. Cassian li. 1. de incarn. *Ex tempore susceptæ carnis sic omnia quæ erant hominis, in Deum venire.* Vide etiam Damasc. lib. 3. c. 3.

Hæc communicatio non est verbalis.

75. Non agnoscimus hanc esse communicationem verbalem, quia qualis vnio, talis communicatio: iam verò vnio Naturarum realis est. Neque Tropum agnoscimus in propositione illa: Deus est passus: quia quàm verè Deus est homo, tam verè etiam Deus est passus. Cùm λόγος Naturam humanam, & omnia eius idiomata sibi appropriauerit, assumendo eam in personæ vnitatem, ideò passio & mors Christi, quamuis per Naturæ conditionem Diuinitati non competant: tamen propter intimam illam & ineffabilem Naturarum vnionem, non minùs ad Filium Dei pertinent, quàm si illas in ipsa sua Natura diuina sustinuisset. Hoc est, quod dicunt Veteres, *quamuis Deus non sit passus in proprietate Naturæ: tamen passus est in vnitate personæ*, id est, in Natura humana in vnitatem personæ assumta. *Vigilius* libr. 2. contra Eutych.

76. *Pulcrè id explicant veteres: Athanas.* apud Cyril. in Apoc. *Sicut proprium Domini esse dicimus corpus, ita & corporis passiones propriè eius dicuntur, etiamsi non contingant secundùm diuinitatem eius, alioqui alterius esset corpus, alterius dicerentur passiones: si autem caro Verbi caro est, necessarium & passiones carnis dici eius, cuius & caro est. Ambr.* 2. de fid. c. 4. *Dominus maiestatis crucifixus est, non quasi maiestate sua crucifixum putemus, sed quia idem Deus idem homo, per diuinitatem Deus, per susceptionem carnis homo Iesus Christus, &c. Fulgent.* lib. 3. ad Thras. *Sic vtriusque in Christo mansit vnita proprietas, vt in carne patiens impassibilis Deus & veram passionem in carne sentiret, & in diuinitate prorsus impassibilis permaneret, nec alius in carne passus fuerit, nisi ille, qui in vera carnis passione impassibilis permansit. Cyrill.* in explicat. anath. 13. *Dicimus Deum passum, non quod Deus Verbum in sua Natura clauorum transfixiones susceperit, sed quia corpus illud, quod ipsius proprium factum est, hoc sustinet: inerat enim in eo corpore, quod patiebatur, Deus qui pati non poterat.*

2. Genus cõmunicationis.

77. *Secundùm genus dicitur* κοινοποιΐα *seu* ἀντίδοσις; & est, quando nomina officij prædicantur de Christo secundum vtramque Naturam. *Quidam hoc reuocant in locum vltimum, & præmittunt id, quod nos vocamus genus tertium*, quorum sententiam ipse Naturæ ordo confirmat; quia humana Natura Christi in officij operibus non secundùm essentiales suas proprietates agit; sed etiam secundùm prærogatiuas diuinas, quas per & propter vnionem accepit: sed nolumus vsitatum ordinem turbare.

78. In hoc genere idem est, siue dicas, personam Christi operari secundùm vtramque Naturam: siue personam Christi operari in vtraque Natura: siue vtramque Naturam in Christo operari cum communicatione alterius: vtriusque enim Naturæ actiones concurrunt ad ἀποτέλεσμα quoddam commune, & fit actio θεανδρική Dei virilis. *Damasc.* lib. 3. orth. fid. c. 19.

79. *Agunt autem Naturæ in operibus officij non diuisè, sed ἀμφιέως vnitè. Neque enim humana* ἀδιαφόρως *humanè operatur Christus, (quandoquidem non nudus homo) nec diuina* θείως, *secundùm Deum solum* [*quandoquidem non est nudus Deus*] *sed Deus simul existens & homo. In ignito gladio quemadmodum Naturæ saluantur ignis & ferri: sic & actiones & perfectiones eorum: Habet enim ferrum incidendi virtutem & ignis vrendi & incisio actionis ferri perfectio, absolutioque operis: combustio verò ignis: & saluatur horum differentia in combusta incisione & in incisa combustione; tametsi, nec incisio sine combustione fiat; nec combustio sine incisione, nec propter duplicitatem naturalis actionis duos ignitos gladios dicimus: neque propter singularitatem ignitæ gladij, confusionem substantialis eorum differentiæ inducimus. Sic in vna persona Christi diuersæ sunt actiones, sicut & diuersæ proprietates; & actiones istæ realiter inter se distinctæ sunt, ad commune tamen ἀποτέλεσμα vnitæ communionemque inuicem habentes Damascen.* libr. 3. orthodox. fidei cap. 15.

80. *Huc referenda veterum dicta. Irenæus* lib. 3. c. 21. referente Theodoreto Dial. 3. ὥσπερ ἦν ἄνθρωπος, ἵνα πειρασθῇ, ἔτω καὶ λόγος, ἵνα δοξασθῇ, ἠσυχάζοντος ὡς τοῦ λόγου ἐν τῷ πειράζεσθαι, καὶ παυθῆναι, καὶ ἀποθνήσκειν, συγχωροῦντος τῷ ἀνθρώπῳ ἐν τῷ γινέσθαι καὶ ὑποφέρειν καὶ λιμοῦσθαι καὶ διψᾶν καὶ ἀλαμβάνεσθαι. *Athanas.* orat. de blasphem. in Spiritum sanctum. *Vt Deus saluauit, excitauit mortuos, mutauit aquam, non enim hæc erant opera hominis, sicut sitire, defatigari, mori, nequaquam erant Deitatis, fiebant autem ista non diuisim, vt hæc quidem designarentur à corpore absque Deitate, illa verò à Deitate seorsim à corpore, sed coniunctim ista omnia fiebant: vnusque erat Dominus, qui illa faciebat per suam gratiam. Spuebat quidem vt homo, sputamentis autem illud diuinum erat siquidē per illam saluans oculos cæci sanauit. Damasc.* lib. 3. cap. 15. *Diuinitas operabatur* θεοπρεπῶς, *sed non sine carne, caro operabatur humiliæ, sed non sine Deitate, patienti enim carni coniuncta erat Diuinitas manens impassibilis, & passiones efficiens salutares: non autem sicut Diuinitas Verbi per carnem operabatur, ita & caro per Diuinitatem patiebatur, erga non enim Deitatis caro est.* Vide ibidem commentar. Damasc.

81. Quæ postrema Damasceni verba illud innuunt, quod idem alibi videlicet lib. 3. cap. 17. diserte scribit, humanam Naturam in officio Mediatoris, non agere tantùm humana, sed quia τὰς θείας ἐνεργείας ἐπολυπτσε propter purissimum ad Verbum vnionem, ideò est & vocatur organon, non separatum aut diuisum, sed personaliter vnitum, in quo, cum quo, & per quod officia Mediatoris Christus exequitur: qua de re in tertio communicationis genere plura dicentur.

82. *Absit ergo vt probemus illud Danæi contra Chemn.* pag. 118. *carnem Christi ad efficienda miracula non plus contulisse, quàm virgam Mosis ad ipsius miracula edenda.* Minimè verò, quia caro Christi non est instrumentum ἄεργον, sed in ὑπόστασιν Λόγου assumtum & diuinis ἐξοχαῖς ditatum Actor. 10. vers. 38. *Christus* secundùm humanam Naturam *vnctus est Spiritu & virtute ea*, quam in θαυματουργίαις exeruit. *Damasc.* lib. 3. orth. fid. c. 17. *Non secundùm propriam ἐνέργειαν, sed propter vnitum sibi Verbum caro Domini diuina operatur, Verbo per eam propriam suam ἐνέργειαν ostendente ac manifestante*: quò referri potest distinctio *Thom.* p. 3. qu. 13. art. 2. *animam Christi considerari dupliciter: 1. secundùm propriam virtutem siue naturalem siue gratuitam. 2. vt est instrumentum verbi sibi personaliter vniti. sic enim habuit instrumentalem virtutem ad immutationes miraculosas faciendas.*

3. Genus cõmunicationis.

85. Tertium genus vocatur ὑπερῴωσις, δόξασις, μετάληψις τῆς θείας ἀξίας, μετάδοσις καὶ μετοχὴ θείας ἐξουσίας, &c. & est, quando explicatur & diuina Natura Filij propriam suam gloriam & excellen-

tiam humanæ Naturæ communicauit, manens ipsa passionum carnis expers.

84. De hoc genere cùm magnæ sint controuersiæ, per quinque distincta membra id explicare placet: 1. Quis det. 2. Cui. 3. Quid. 4. Quomodo. 5. Quando det.

1. Quis? 85. Quis dat? dicimus, Deus Pater, vel ὁ Λόγος seu Deitas Filij, vel Spiritus S. vel tota Trinitas: hæc enim omnia optimè congruere, ostendit collatio Scripturarum. dicitur à Patre collocatus Filius ad dextram Dei: dicitur ipse Filius consedisse ad dextram Dei: *Pater eum vnxit Spiritu & virtute: & Sp. S. descendit in ipsum, &c.* Idem ostendit summa vnitas diuinæ essentiæ: Quæcunque Pater facit, ὁμοίως facit Filius, Iohan. 5. vers. 19. Trium personarum vt vna essentia, ita vna potentia. Hinc Nazian. Orat. 2. de Theol. *id quod agit, est vna communis tribus Deitas.* Hinc Veteres: *impleuit carnem Christi, Pater & Spiritus S. maiestate non susceptione.* Augustin. serm. 3. de temp.

86. Cyril. lib. 4. thesaur. *Pater & tota Trinitas vitam Filio, vt homini præstat.* Athanasius Orat. 2. contra Arian. *Admirabile est, quòd Filius cum Patre donat, id idem cùm sit Filius à seipso accipit, eò quòd corpus ista recipiat.* August. tract. 106. in Iohan. super verba cap. 17. Tui erant, & dedisti illos mihi, &c.. *Cùm Patri potiùs tribuisse videatur, vt ab eo illos acceperit, quoniam ex ipso est, quicquid est, de quo est, etiam ipse sibi eos dedit, hoc est, cum Patre Deus Christus homini Christo, quod cum Patre non est, homines dedit.* Et postea. *Quos Deus Filius de mundo elegit cum Patre, idem ipse homo Filius de mundo eos accepit à Patre.* Leo Epist. 41. *Quæ Filius Dei in forma serui à Patre accepit, eadem in forma Dei etiam ipse donauit.*

Argumentum aduersariorũ contra tertium genus communicationis.

87. Ex hoc fonte respondendum ad argumentum, quod illis, qui Maiestatem carnis Christi oppugnant, perquàm familiare est. *Pater dicitur exaltare Filium, & illi dare omnem potestatem. Ergo est relatio inter Patrem & Filium, non inter λόγον & assumtam carnem. Respon.* Est relatio inter Patrem & λόγον, sed respectu Naturæ assumtæ, nam λόγῳ respectu diuinę Naturæ est essentialiter vnum cum Patre, & *quæcunque agit Pater, eadem ὁμοίως agit Filius* Iohan. 5. vers. 19. quare cùm relatio sit inter Patrem dantem & Filium in tempore accipientem, vtique illa μεσάλη προσθήκη non ad diuinam τῷ Λόγῳ Naturam referri potest, sed quod carni facta sit, asserendum.

2. Cui? 88. *Cui dat?* Christo Immanueli, Filio Dei & Mariæ: vt enim omnes actiones & passiones sunt personæ, ita quicquid datur, personæ datur. Cùm autem in eadem persona sit ἄλλο καὶ ἄλλο: Et quicquid de Christo dicitur, vel secundùm diuinam tantùm, vel secundùm humanam tantùm, vel secundùm vtramque Naturam de eo dicatur: statim quæritur, secundùm quam Naturam data sit? Respondemus secundùm Naturam humanam.

89. Fundamenta huius sententiæ nostræ hæc sunt. Primùm, caro Christi est viuifica Ioh. 6. *quia est verbi omnia viuificare valentis propria facta caro* vers. 5. 11. inde potuit dari pro mundi vita v. 51. 111. hinc *qui eam manducat, habet vitam æternam.* v. 54. qua tria simul debent coniungi.

90. Secundò: Iohan. 5. vers. 27. per particulam distinctiuam designatur Natura humana, Pater dedit Filio ἐξουσίαν faciendi iudicium, ὅτι quia & quatenus Filius hominis est: atque inde efficacia illa vocis Filij Dei, quòd possit mortuos excitare v. 25.

91. Tertiò, notatione circumstantiarum, quandoque digitus intenditur ad Naturam humanam Apocal. 1. v. 33. appellatur Filius hominis: describuntur *caput, oculi, pedes, vox, &c.* ac de eo dicitur, quòd ambulet in medio candelabrorum aureorum, id est, Ecclesiarum Apoc. 5. v. 5. Christus Leo de tribu Iuda v. 6. Agnus stans tanquam occisus v. 12. Is dignus accipere virtutem & sapientiam & fortitudinem & honorem & gloriam in secula seculorum. Psal. 8. v. 7. Omnia subiecta pedibus Christi. Ioh 3. v. 35. Pater dedit omnia in manus Filij.

92. Quartò, describitur exhalatio tanquam consequens quoddam exinanitionis. Ergo secundùm eandem Naturam ea accipienda, secundùm quam fuit exinanitus, id est, secundùm humanam. Eph. 1. v. 20. Deus suscitauit illum à mortuis, & constituit ad dextram suam in cœlestibus. Psal. 110. vers. vlt. De torrente in via bibet, propterea exaltabit caput. Phil. 2. v. 9. Quapropter Deus ὑπερύψωσε super exaltauit ipsum, &c. Hebr. 2. vers. 9. Eum, qui paulisper diminutus infra angelos, cernimus Iesum per cruciatum mortis gloria & honore coronatum. Luc. 24. v. 26. Per passionem oportebat ipsum intrare in gloriam. Rom. 14. v. 9. εἰς τοῦτο Christus mortuus & resurrexit, vt mortuis & viuis dominetur. In Symbolo coniunguntur Christi passio, mors, sepultura, resurrectio, ascensio in cœlum, sessio ad dextram Dei, reditus ad iudicium: quæ esset ratio, cur aliqua omnia de humana Natura accipienda, sessio ad Dei dextram ad solam diuinam referenda? Aug. Confes. art. 3. adhuc firmius nectit argumenti nodum: *Ascendit ad cœlum, vt sedeat ad dextram Dei:* quæ hæc foret analysis? ascendit ad cœlum secundùm humanam Naturam, vt secundùm diuinitatem sedeat ad dextram Dei?

93. Quintò, Hebr. 1. v. 3. & 4. connectuntur hæc duo: sedit ad dextram Dei, tantò melior factus angelis, quantò excellẽtius nomen sortitus. Collige, Christus secundùm humanam Naturam præstantior factus angelis: Ergo secundùm eandem sedet ad dextram Dei.

Aduersariorum vergiuersationes

94. Sextò: Maiestas illa in tempore Christo data. Dan. 7. v. 13. & 14. Filius hominis venit ad Antiquum dierum, & dedit ei potestatem & honorem & regnum. Daniel. 9. v. 24. Septuaginta hebdomades determinatæ, vt vngatur Sanctus Sanctorum. Ioh. 17. v. 1. Pater, venit hora, clarifica Filium tuum, &c. non ergo hæc intelligi possunt secundùm diuinam Naturam, secundùm quam omnia ab æterno habet à Patre.

95. Septimò: Deitas est αὐτάρκης, perfectissima, nullius indiga ἀμεταδλήτος: dari ergo aut addi ei nihil potest.

96. Octauò, quæcunque Christo in tempore data leguntur, eò spectant, vt Christus officium Mediatoris exequatur: Atqui Christus secundùm Deitatem Natura, & ab æterno habet infinitam potentiam & virtutem, &c.

97. Denique ad consensum Patrum tutò prouocare in hoc doctrinæ capite possumus, quorum consentiens vox est: *Quæcunque Christo in tempore data leguntur, secundùm humanam Naturam, cui quæ non habuit, collata sunt, data intelliguntur.* Theod. dial. 2. ex Veteribus.

98. Si in specie Patrum dicta enumerare vellemus, longè plurima & euidentissima afferri possent. Videatur autem de his Apol. Form. Conc. & Dn. Chemn. in lib. de duab. Nat. c. 25. Vnum solummodò atque alterum afferemus. Athan. Orat. 2. cont. Arian.

p. 167.

p. 167. *Exaltauit eum, non substantiam Verbi exaltatam significat, fuit enim & semper est æqualis Deo, sed ad humanitatem eius spectat: eius enim exaltationis indigus erat homo ob humilitatem carnis suæ & mortis, &c.* Cyprian. in expos. Symboli pag. 574. *Sedere ad dextram Patris carnis assumtæ mysterium est, sedu cœlestis profectum non diuina, sed humana Natura acquirit.* Hilar. 9. de Trin. *Gloria non verbo, sed carni acquirebatur.* Greg. Nyss. contra Eunom. *Ipsa dextra Dei vnitum sibi hominem in propriam celsitudinem euexit.* Basilius lib. 2. contra Eunom. *Petrus cùm dicit, hunc Iesum, quem crucifixistis, fecit Dominum, voce demonstratiua humanitatem Christi designat, atque ipsi principatum ac dominium à Patre commissum dicit.* Epiph. tom. 2. lib. 2. hæres. 69. *Dominum fecit hunc Iesum, manifestum est, quod de carne dicit, quam crucifixerunt.* Ambr. 5. de fid. cap. 6. *Christus secundùm carnem omnia subiecta accepit, & secundùm carnem omnia ipsi subiecta traduntur.* August. tract. 105. in Iohan. *Glorificatum à Patre Filium secundùm formam serui, res ipsa indicat & nullus ambigit Christianus.* Plura ex his ipsis Scriptoribus, vti etiam ex Cyrillo, Chrysostomo, Theophylacto, Vigilio & aliis afferri possent, sed nolumus actum agere. Peculiariter notandus locus Leonis Epist. 22. (aliis est 11.) *Dicant Aduersarij veritatis, quomodo omnipotens Pater vel secundùm quam Naturam Filium suum super vniuersa prouexerit, vel cui Naturæ cuncta subiecerit? Deitas enim verbi par in omnibus & ὁμοούσιος est Patri, atque intemporaliter vna eademque potentia est genitoris & geniti, huic (diuinæ Naturæ) si addita potestas est, si illustrata dignitas, si exaltata sublimitas, minor erat prouehente, quæ creuit, nec habebat diuitias eius Naturæ cuius indiguit largitate, sed talia sentientem in societatem suam Arius rapuit, cui multùm suffragatur hæc impietas.*

99. *Concedunt* Beza p. 1. *Resp. ad Colloq. p. 137. 144. & seqq.* Danæus in exam. Chemn. p. 361. *ea quæ Christo in tempore data, non secundùm diuinam, sed secundùm humanam Naturam intelligenda esse.* Sed alij tergiuersantur, quorum classem constituere possumus triplicem.

Aduersariorum tergiuersationes

100. *Primò enim quidam dicunt personæ Mediatoris talia communicata esse, ibidemque subsistendum.* Trelcat. in locis p. 58. 59. & alij complures. Resp. fatemur & nos personæ talia data, sed cùm in persona συυθέτῳ sint duæ distinctæ Naturæ, ideò statim quæritur, secundùm quam Naturam ea data sint, quicquid enim de hac persona prædicatur, vel ad diuinam, vel ad humanam Naturam, vel ad vtramque pertinet, quartum non datur, quia persona Christi non est aliquod tertium præter duas Naturas, non est tale quoddam compositum, quod neque Deus sit, neque homo, sed est θεάνθρωπος, vnde Damasc. l. 3. cap. 15. ex Veteribus: *Duæ Naturæ vnus est Christus, & vnus Christus duæ Naturæ personaliter vnitæ. Christus constat ex duabus Naturis, subsistit in duabus Naturis, & duæ Naturæ sunt Christus* ἐξ ὧν, ἐν αἷς, καὶ ἅπερ. Nullo autem idoneo exemplo confirmari potest, quædam de Christo prædicari, quæ nec ad alteruram, neque ad vtramque pertineant Naturam, sed tantùm de persona sint intelligenda.

2. 101. *Secundò*, quidam illa in tempore data, referunt ad Diuinitatem Christi, *non quidem propter restitutionem maiestatis Deitati factam, sed propter manifestationem.* Resp. Deitas est immutabilis & modis omnibus ἀύταρκης, illi ergo nec addi nec demi potest quicquam, vnde in medio exinanitionis statu Christus dicebat, Pater meus operatur, & ego operor. Ioh. 5. v. 15. Si dicas de manifestatione maiestatis, non autem de restitutione quæstionem esse. Resp. suo loco confirmabitur exinanitionem illam, de qua Philip. 2. v. 9. agitur, & cuius consequens est glorificatio, tantùm ad humanam Christi Naturam pertinere. Quòd Christus in diebus carnis plena luce maiestatem sibi datam non exeruerit, id nequaquam arguit Deitatem quodammodo exinanitam esse, sed potiùs ad humanam Naturam illam exinanitionem referendam esse ostendit: siquidem Deitas τῷ λόγῳ cum Patre & Spiritu sancto semper operatur, sed in carne ἀνυπάρξει. Et accuratè obseruandum, quòd Christus Ioh. 17. vers. 5. *petat glorificari* apud Patrem. Ergo non potest illa glorificatio exponi de manifestatione quadam Deitatis coram hominibus hactenus absconditæ, quæ δίχα σαρκὸς soli diuinæ Naturæ ascribenda sit.

102. *Tertiò*, quidam glorificationem illam Christi in tempore factam ad vtramque Naturam referunt, atque eò progrediuntur, vt Christum *secundùm vtramque Naturam etiam surrexisse* scribant, statuunt etiam *duplicem sessionem ad dextram Patris, duplicem adorationem, &c. quarum altera tanquam superior Deitati, altera vtpote inferior humanitati sit tribuenda.* Sohn. in exeg pag. 246. 255. 262. Herbonensis Scriptor contra D. Menzerum, &c. Resp. proxima hæc ad Nestorianismum via, si enim duplex exaltatio, duplex sessio ad dextram, Dei duplex adoratio, vtique etiam duplex persona. Destituitur hęc sententia fundamentis Scripturæ & consensu antiquitatis, cuius perpetuum est pronunciatum. *Quæ Christo in tempore data, secundùm humanam Naturam data intelligenda sunt.* Repetenda igitur & vrgenda hîc sunt argumenta illa omnia, quibus probarum dedimus, Christo vt homini illa data esse, quibus solidam aliquam responsionem nunquam opponere poterunt.

103. Quæ data? *Verè infinita & immensa dona.* 3. *Quid* ἐξουσία. 1. Matth. 28. vers. 18. Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra, quam esse descriptionem omnipotentiæ diuinæ patet ex 1. Paralip. 29. vers. 11. & 12. Tua est Domine magnificentia & gloria & potentia & victoria: cuncta enim quæ in cœlo sunt, & in terra, tua sunt. Psal. 103. v. 19. Dominus in cœlo parauit sedem suam & regnum ipsius omnibus dominabitur. Matth. 11. v. 25. Gratia Deo tibi Pater Domine cœli & terræ. Ne quis excipiat ἐξουσίαν non esse diuinam omnipotentiam, obserua Apocal. 5. vers. 12. Agnus mactatus accepit δύναμιν καὶ πλοῦτον & ἐξουσίαν πάσης σαρκός. Iohan. 17. vers. 12. ac omnia illi subiecta Psal. 8. vers. 7. Hebr. 2. vers. 8. Factus est Dominus Actor. 2. vers. 26. ac potestas ei data æterna. Dan. 7. vers. 14. Vide emphaticum locum Ephes. 1. versic. 20. 21. 22.

104. Si ἐξουσίαν accipere quis velit de nuda ἐλευθερίᾳ καὶ αὐθεντίᾳ, ab eo quærendum, num velit nudum & inane nomen absque re Christo tribuere? quasi ἐξουσίαν quidem habeat sibi traditam hostes debellandi, non autem δύναμιν: opponendum quoque huic effugio, quòd *πᾶσα ἐξουσία Christo dicatur data.* Matth. 28. v. 18. & quidem talis, quæ includat δύναμιν. Apoc. 5. v. 12. *per quam* factus sit Dominus Act. 2. v. 36. secundùm diuinam Naturam est ab æterno à Patre natus Deus & Dominus, sed secundùm humanam Naturam in tempore factus est Dominus, vnde etiam ὃν ἐξουσίᾳ καὶ δυνάμει imperat immundis Spiritibus. Luc. 4. vers. 54. & Apostolis suis δύναμιν καὶ ἐξουσίαν dat super omnia Dæmonia Luc. 9. v. 1. quomodo ergo ab assumta Natura ipsius τῷ λόγῳ eam segregabimus?

105. Hinc pij veteres Augustin. tract. 105. In Ioh. *Quòd potestas Christo à Patre data omnis carnis secundùm hominem intelligendum est.* Eusebius Emiss. homil. post

Pasch. *Secundùm humanitatem omnium rerum potestatem accepit, vt homo ille, qui nuper passus est, cœlo & terra dominetur.* Theoph. in 28. Matth. ex Chrysostomo. *Humana Natura in Christo, quæ autea omnibus seruierat, nunc omnibus imperat.* Damasc. li. 3. c. 18. *Humana Christi voluntas. Naturaliter quidem omnipotens non erat, vt autem verè & secundùm Naturam Dei Verbi voluntas est facta, ita & omnipotens est.*

2. Gloria. 106. *Secundò:* Gloria quam Filius Dei habet ab æterno apud Patrem, & quæ se declarat per miracula diuina, illa est verè diuina & infinita gloria. Talis est ea, quam Christus in tempore accepit. Iohan. 17. v. 5. *Glorifica me Pater apud temetipsum ea gloria, quam habui apud te, priusquam mundus fieret.* Obserua singulariter duplicem repetitionem illius membri *apud temetipsum:* & coniunge Psalm. 8. vers. 6. *minuisti eum paulò minus ab Angelis, gloria & honore coronasti eum, &c.* Iohan. 2. v. 14. *Vidimus eius gloriam, gloriam velut vnigeniti à Patre* Ioh. 2. v. 11. *hoc edidit initium signorum, & manifestauit suam gloriam.*

107. De hac gloriæ diuinæ κοινωνίᾳ carni factæ scribit Athanas. orat. 4. contra Arian. p. 271. *Quam gloriam habet vt Deus, eandem petit vt homo.* Idem repetit Cyrill. 11. in Iohan. cap. 17. August. contra Felician. cap. 10. *maiestate diuinitatis glorificatam nouimus carnem.* Gregor. Nyssen. dial. 2. ex dict. Act. 2. *ipsa dextra Dei vnitum sibi hominem in propriam euexit celsitudinem.* Damasc. lib. 3. orth. fid. lib 3. c. 15. *Diuina Natura proprias excellentias communicauit carni.* Bernhard. serm. 2. pent. col. 161. *Quanta ascendentis gloria, cùm medius Angelorum & animarum sanctarum ad Patrem deduceru & triumphatrice palma cœlu inuectus susceptum hominem in ipsa diuinitatis (τὸ Λόγῳ) claudit identitate.*

3. Thesauri sapientiæ. 108. *Tertiò: Omnes thesauri sapientiæ in Christo conditi.* Coloss. 2. vers. 3. & cùm creseceret sapientia, erat πληρώμενῳ σοφίας. Luc. 2. vers. 40. Et quomodo secundùm assumtam Naturam nostris infirmitatibus posset compati Hebr. 4. v. 15. si secundùm eandem miserias & gemitus nostros non intelligeret? Esa. 11. v. 1. *Super virgam, quæ oritur ex radice Iesse requiescet Spiritus scientiæ, sapientiæ & intellectus.* Iam verò *Pater non dat Filio Spiritum ad mensuram.* 1. Ioh. 3. v. 34. *sed vnctus est oleo latitiæ præ consortibus suis.* Psalm. 45. v. 8. *Vnde ex plenitudine eius nos accipimus.* Iohan. 1. vers. 16.

109. Epiph. in Ancor. *Humanitas vnita est diuinitati & in ipsa perfectissimè nouit omnia.* In Synod. VI. Constantin. act. 11. damnati sunt Agnoëthæ, qui docuerunt, *Christum secundùm humanam Naturam in gloria sua non scire omnia,* referente Greg. 8. Epist. 42. Liberat. in breu. cap. 19. Damasc. in Catal. hæret. Niceph. lib. 18. cap. 50. Videatur de hac omniscientia Christo secundum carnem data omninò Damasc. lib. 3. cap. 21. & 22. *Anima Christi propter ἕνωσεως identitatem & vnionem inseparabilem locupletata est futurorum cognitione, &c. Caro perfectè ditata est omnisapientia & gratia propter vnionem secundùm hypostasin.*

4. Viuificatio. 110. *Quartò: Sicut Pater vitam habet in seipso, ita Filio dedit habere vitam in seipso,* Ioh. 5. v. 26. *quia Filius hominis est* v. 27. atq; hinc vox Christi viuificabit eos, qui sunt in monumentis. v. 8. De viuifica carnis suæ vi agit Christus Ioh. 6.

111. Grauiter pronunciat Ephesin. Conc. c. 11. *Si quis nõ confitetur carnem Christi esse viuificam, propterea quod propria Verbi omnia viuificare valentis facta est caro, anathema sit.* Cyril. lib. 4. in Iohan. c. 23. *Caro quia sum viuificante verbo coniuncta est, tota effecta est viuifica, &c. quamuis ergo Natura carnis, vt caro est, viuificare nequeat, facit tamen hoc, quia totam Verbi operationem suscepit,* Theophyl. in cap. 6. Iohan. *Nuda hominis caro nihil prodest, sed quia Deus vniuit sibi carnem secundùm ineffabilem contemperationem, viuifica est caro, non quòd in DEI Naturam transierit, absit: sed ad similitudsnem candentis ferri, quod & ferrum manet & ignis ostendit operationem.* Damasc. lib. 3. cap. 17. *Caro Domini mortalis erat propter seipsam, viuificans propter vnionem ad Λόγον secundùm hypostasin.*

5. Iudicij potestas. 112. *Quintò: potestas faciendi iudicium Christo data, quia est Filius hominis,* Iohan. 5. vers. 27. non autem humana Natura solùm apparebit in iudicio, ipsa verò opera iudicij diuina Natura executura est seorsim & per se sola: Sed Actor. 17. v. 17. & 31. *DEVS statuit diem, in quo iudicaturus est orbem in iustitia, per virum, per quem decreuit, postquam suscitauit eum de mortuis,* & Matth. 16. vers. 27. *Filius hominis rediturus est in gloria, & reddet vnicuique secundùm opera sua.* Pertinent autem ad executionem iudicij occultas cogitationes in lucem proferre: secundùm iustitiam de illis decernere: potenter adiudicare, vel vitam, vel mortem: sententiam definitiuam executioni mandare.

113. Cyrillus lib. 2. in Ioh. c. 144. *Christus causam subiecit, quare vitam & potestatem iudicij sibi à Patre tradita dixerit, dicens: quia Filius hominis est, vt intelligamus omnia sibi data esse, vt homini.* August. insuper Psal. 47. col. 171. *Quia vt Filius hominis accepit potestatem iudicandi, ideò ait in Euangelio: dedit ei potestatem iudicij faciendi, quia Filius hominis est, secundùm quod Filius DEI nunquam accepit potestatem iudicandi, quia nunquam caruit potestate iudicandi.*

6. Cultus diuinus. 114. *Sextò:* Cui tribuitur cultus diuinus, eius gloria & Maiestas diuina prædicatur. Iam verò quãdo in Christum vt Redemtorem & Saluatorem nostrum credimus, in ipsum speramus & eum inuocamus, non tantùm diuinam eius Naturam intuemur: sed totam personam, quæ in & ex duabus Naturis subsistit. Philip. 2. v. 9. *Christo datum nomen super omne nomen, &c.* Iohan. 6. v. 5. *qui manducat* (vera fide) *carnem Christi, viuet in æternum.* Apoc. 5. v. 9. *turba magna ex omnibus gentibus & tribubus, & populis & linguis ante thronum & in conspectu Agni.* v. 10. *clamabant voce magna dicentes: Salus Deo nostro.* Act. 7. v. 55. *Stephanus vidit Iesum stantem à dextris Dei,* & dicit v. 59. *Domine Iesu, suscipe Spiritum meum,* Dan. 7. v. 14. *Omnes populi, tribus & linguæ seruire debent Filio hominis, qui vsque ad Antiquum dierum peruenit.*

115. De cultu adorationis, qui propter personæ identitatem carni Christi tribuendus, multa extant apud Veteres. Concil. Ephesin. anath. 8. *Si quis audet dicere assumtum hominem coadorandum Deo Verbo & conglorificandum & connuncupandum Deum tanquam alterum cum altero, ac non potius vna supplicatione veneratur Emmanuelem, vnamque ei glorificationem dependit, iuxta quod Verbum caro factum est, anathema sit.* Athanas. orat. 5. contr. Arian. *Quî fieri posset, vt corpus Domini vndiquaque sanctissimum à Spiritu S. formatum amiculumque Λόγῳ Dei non sit adorabile?* August. serm. 58. de verb. Dom. *Ego Dominicam carnem, imò perfectam in Christo humanitatem ideò adoro, quod à diuinitate suscepta & Deitate vnita est, vt non alium & alium, sed vnum eundemque Deum & hominẽ Filium Dei esse confitear.* Chrys. hom. 5. in 2. c. Heb. *Reuera magnum & admirabile & stupore plenum est, carnem nostram sursum sedere & adorari ab Angelis & Archãgelis, & Cherubin, & Seraphin, hoc ego sapius in mente versans excessum patior & maiora de genere humano concipio.* Damasc. lib. 4. orth. fid. cap. 3. ex professo agit de adoratione carnis Christi, & ostendit,

quamuis

quamuis caro Christi nec proprietate quadam Naturali, nec ob ἰδιότητα & ἰδιότητα aliquam cum diuinitate, neque nuda & sola inuocari possit aut debeat, tamen in persona λόγου adorandam esse.

116. *Septimò*: Quia humana Christi Natura in illocalem λόγου ὑπόστασιν assumta & per exaltationem ad thronum dextræ Dei euecta: ideò in ea, & per eam Christus dominatur in medio inimicorum, Psal. 110. v. 2. præsens adest Ecclesiæ, Matt. 18. v. 20. Matth. 28. v. 20.

117. Hîc ne quis excludat humanam Naturam, his vtitur argumentis. 1. Secundùm eam Naturam Christus præsens in terris, cuius præsentiæ testimonium in sacra Cœna non adest sola Natura diuina; sed mediante benedicto pane, distribuitur corpus Christi; mediante benedicto vino, distribuitur sanguis Christi.

118. 2. Ephes. 4. v. 10. *Ascendit Christus super omnes cœlos, vt impleret omnia*: quem locum conferimus cum illo, qui habetur cap. 1. eiusdem Epistolæ v. 20. *Christus sedet ad dextram Dei in cœlestibus.* v. 21. *super omnem principatum ac potestatem & virtutem & dominationem, & omne nomen quod nominatur, non solùm in hoc seculo, sed & in futuro*, v. 22. *& omnia subiecta sub pedibus eius.* Et cum illo loco, qui habetur Marc. 16. v. 19. *Dominus Iesus assumtus est in cœlum, & sedet à dextris Dei.* Addimus collationem Psalmi 110. vers. 2. & 1. Corinth. 15. v. 25. ibi enim τὸ sedere ad dextram Dei, exponitur pro τὸ regnare: atque ex his concludimus: implere omnia præsentia maiestatis: sedere ad dextram DEI: potenter dominari in cœlo & in terra: esse ἰσοδυναμοῦντα. Afferri huc potest descriptio *dextræ DEI* ex Scriptura, quòd scilicet sit infinita & increata potentia, ac præsentissima maiestas diuina in cœlo & in terra: vnde etiam dicitur maiestas, dextra virtutis, dextra sedis, dextra DEI, &c.

119. 3. Nomina officij competunt Christo secundùm vtramque Naturam: Adesse Ecclesiæ, eam regere ac defendere, dominari in medio inimicorum, tàm est nomen officij Christi scilicet regij, quàm esse Redemtorem. Ergo competit ei secundùm vtramque Naturam.

120. 4. Denique typo respondere debet Antitypus. *Iam verò Christus ambulat in medio candelabrorũ aureorum*, id est, Ecclesiarum Apoc. 1. v. 1. & describuntur eius membra. *Paulus in via ad Damascum* videt IESVM. Actor. 9. v. 27. Dominus ipsi affuit. Actor. 23. vers. 11. 23. Tim. 4. vers. 17. ex quibus apparitionibus probat resurrectionem Christi. 1. Corinth. 15. vers. 8.

121. Hæc cùm statuimus, nullam introducimus expansionem, vel extensionem, vel diffusionem, vel diductionem, vel multiplicationem, (quæ omnia sunt absurda rationis cogitata) sed potentissimam ac præsentissimam cœli & terræ gubernationem, & in primis Ecclesiæ Christo secundùm humanam Naturam competere asserimus.

122. Qui doctrinam hanc de omnipræsente Christi in cœlo & terra Dominio nouitatis accusant, *audiant veteres*. Athan. de sol. adu. Christi. *Stolidi sunt qui carnem Christi γεωμετρῶσιν*. Cyrill. lib. 12. in Ioh. cap. 32. *In quatuor partes vestimenta Christi diuisa sunt, & tunica sola indiuisa mansit, quod mysticæ cuiusdam rei signum esse dixerim. Nam quatuor orbis partes ad salutem reducta indumentum Verbi, id est, carnem eius impartibiliter inter se partitæ sunt: in singulis enim partibiliter transiens vnigenitus & animam & corpus eorum per carnem suam sanctificans impartibiliter atque integrè in omnibus est, cùm vnus vbique sit nullo modo diuisus.* Augustin. tract. 50. in Iohan. *Christus discipulis deducentibus videndo non sequendo ascendit ad cœlum, & non est hîc: ibi enim sedet ad dextram Patris, & hîc est, non enim recessit præsentia maiestatis.* Chrysost. hom. 2. ad pop. Ant. *Helias meloten discipulo reliquit. Filius autem Dei ascendens suam carnem nobis dimisit, sed Helias quidem exutus, Christus autem & nobis reliquit & illam habens ascendit.* Theoph. & Oecum. dictum Apostolicum Ephes. 4. ascendit super omnes cœlos, vt impleret omnia in omnibus, disertè ad carnem Christi referunt, & Christum μετὰ σαρκὸς καὶ ἐν σαρκὶ omnia implere dicunt. Bernhard. sermon. de cœn. Domini. *Vnde nobis hoc, piissime Domine, vt nos vermiculi reptantes super faciem terræ, nos inquam, qui pulueris & cinis sumus, te præsentem habere mereamur, præ manibus, præ oculis, qui totus & integer sedes ad dextram Patris, qui etiam vnius horæ momento ab ortu Solis ad occasum, ab Aquilone vsque ad Austrum præstò es omnibus, vnus in multis locis, idem in diuersis?*

123. Hæc fundamenta opponenda sunt omnibus argutiis & strophis, quibus maiestas Christo secundùm carnem data oppugnatur, quarum pleræque ex Philosophicis principiis malè intellectis & peius ad hoc mysterium applicatis procedunt, vtpote quod finitum non sit capax infiniti, quòd propria non possint communicari, &c. quibus tamen ita confidunt, vt propter tertium hoc genus communicationis exquisitissimis conuitiis non proscindant. *Strophæ aduersariorũ.*

124. Apolog. adm. Neost. pag. 14. ita intonat. *Tertium prædicationis genus nouum & ante hac inauditum nihil aliud est, quàm monstrum partim ex Eutychetis delirio, partim ex Nestorij blasphemia, Monophysitarum & Monotheletarum somnijs conflatum, feneſtram & Arianismum & alios errores aperiens.* Theologi Saxonici, qui in Synodo Dresdensi An. 71. Caluini partes defendebant, ita scribunt. *Quod præcipuum fidei nostræ & Ecclesiæ caput est, videlicet articulus de duabus Naturis in Christo, id cõmentitia idiomatum reali & physica* (calumnia hęc est, nemo enim nostrum statuit communicationem physicam) *in ipsis Naturis communicatione deprauari horribiliter, atque è contrario hæreses iam olim damnatas Marcionitarum, Valentinianorum, Manichæorum, Samosatenianorum, Sabellianorum, Arianorum, Nestorianorum, Eutychianorum & Monothelitarum reduci atque renouari, alibi* (in pseudostereomate puta) *demonstratum est.*

125. Eadem audacia scribit Bellarmin. 3. de Christo cap. 1. col. 452. *Lutherani duo docent, ex quibus sequitur, eos vel esse Eutychianos vel Nestorianos vel monstrum ex vtraque hæresi compositum: primò dicunt, Christi carnem habere attributa diuinitatis atque imprimis omnipræsentiam: secundò dicunt, hypostaticam vnionem consistere in ista communicatione. Si volunt ista attributa coniungi essentialiter humanitati, sunt Eutychiani, sin accidentaliter, sunt Nestoriani.*

126. At nec vnicè nec imprimis omnipræsentiam Christo secundùm humanam naturam competere dicimus, sed vnà etiam omniscientiam, vim viuificandi, omnipotentiam, &c. nec hypostaticam vnionem in ista communicatione formaliter consistere dicimus, sed communicationem illam essevnionis consequens asserimus: nec essentialiter vel accidentaliter attributa illa coniungi humanitati dicimus, sed personaliter assumtæ Naturæ ea competere disertè pronunciamus.

127. *Si præfractè quis vrgere velit, inter communicationem essentialem & accidentalem nullum dari medium siue tertium*, ab eo quæremus, an personas Sp. S. Trinitatis essentialiter vel accidentaliter distinguere, vel

distinctas dicere velit? neutrum profectò salua mysterij istius integritate asserere poterit. Agnoscat ergo immediatam illam inter substantiale & accidentale diuisionem à Philosophis receptam, nec posse nec debere mysteriorum diuinorum integritati opponi. Atque hac collatione inter mysterium Trinitatis & vnionis hypostaticæ duarum Naturarum in Christo eò libentius vtimur, cùm ea vsitata itidem sit Bernh. l. 5. de consid. ad Eug. & Dam. lib. 3. orth. fid. cap. 5.

128. Videamus quænam sint illæ machinæ, quibus istam diuinæ maiestatis communicationem, quæ Christo secundùm carnem facta est, expugnare potissimùm nitantur. Primò dicunt, Finitum non est capax infiniti. *At idiomata illa diuina sunt infinita. Ergo caro Christi eorum non est capax.* Resp. 1. agnoscimus Theorema Aristotelicum, Λόγος ὑδεὶς ἔστι τῶ ἀπείρω πρὸς τὸ πεπερασμένον. 1. de cœlo c. 6. & vicissim τὸ ἄπειρον πρὸς τὸ πεπερασμένον ἐν ὑδενὶ λόγῳ ἔστιν: sed quærimus, an pronunciata Philosophicâ caput aliquod doctrinę cœlestis ex firmis & immotis Scripturæ fundamentis comprobatum euertere possint? minimè verò: ac proinde talia axiomata, ne quidem opponenda sunt veritati cœlesti in Scripturis patefactę, vt suo loco prolixè ostendemus, μὴ δεῖ μεταβαίνειν εἰς ἄλλο γένος. 2. verè quidem dicitur, finitum non esse infiniti capax, ita vt subiectiuè illud infinitum finito inhæreat, eidémque includatur, (qua ratione nemo nostrum dicit carnem Christi idiomatum diuinorum capacem factam) interim tamen finitum infinito personaliter vniri potest. 3. Hanc personalẽ vnionem & inde promanentem idiomatum diuinorum communicationem, si quis capacitatis nomine impugnare velit, ei considerandum proponimus, quòd finita caro Christi infinitæ hypostaseos τῶ Λόγῳ particeps facta sit. Si ergo locum haberet pronunciatũ illud Aristotelicum in hoc mysterio, eadem ratione concludere possem. Finitum non est capax infiniti. Hypostasis τῶ Λόγῳ est infinita. Ergo finita caro eius non est capax siue particeps facta. 4. Quid contra Apostolus? Col. 2. vers. 9. Tota plenitudo diuinitatis habitat in Christo σωματικῶς, vnde etiam 1. Tim. 3. vers. 16. vocat hoc ὁμολογουμένως μέγα μυστήριον, nimirum, quia est ὑπὲρ νῦν, ὑπὲρ λόγον, ὑπὲρ κατάληψιν, ac proinde ὑπὲρ πάντας τοὺς τῆς φιλοσόφων κάνονας.

1.

129. *Secundò dicunt: proprium non potest communicari. At idiomata illa diuina sunt τῶ Λόγῳ propria. Ergo assumta carni non communicantur. Respon.* de hoc argumento ita neruosè & accuratè egit Dn. Schroderus Theolog. eximius amicus noster singularis, in peculiari libro de communicatione proprij, vt omninò sperem, eum omnibus cordatis satisfecisse, ne vllo opus fit additamento. Breuiter, idiomata diuina manent τῶ Λόγῳ propria, neque vnquam carni assumtæ κατὰ μέθεξιν ita communicentur, vt desinant esse τῶ Λόγῳ & fiant assumtæ carnis propria, interim tamen quia caro εἰς τὸν τῶ Λόγῳ ὑπόστασιν assumta, eiusdémque particeps facta, vtique etiam communicatio idiomatum κατὰ συνδύασιν eidem facta negari nequit, cuius communicationis exempla in corpore animato & ferro ignito ὀφθαλμοφανερῶς ostendi possunt.

2.

130. *Tertiò dicunt*: Aut omnia, aut quædam, aut nulla idiomata diuina sunt carni commuuicata. *Non omnia, quia humana Natura non est æterna, infinita immensa, &c. Non quædam, quia idiomata diuina, sunt realiter ταυτὸ τῇ, nec eorum vnum ab altero separari potest. Relinquitur igitur quod nulla.* Resp. de hoc argumento, cui multum tribuunt Aduersarij, egimus in peculiari quadam oratiuncula, quam huic disputationi subiungemus.

3.

131. *Quartò dicunt*: Qualis est vnio, talis est communicatio. *Iam verò vnio est reciproca, vt enim possum dicere, Homo est Deus, ita quoque rectè dico. Deus est homo. Ergo etiam communicatio est reciproca. Vlterius: Reciproca idiomatum communicatio locum tantùm habet in concreto siue in persona, non autem in Naturâ: Vt ergo Deitas non potest dici mortalis, ita nec Natura humana omnipotens.* Resp. 1. Vnio quidem Naturarum est æqualis, interim tamen λόγος est persona assumens, Natura humana ab ea & in eam assumitur: λόγος ὑπόστασιν suam carni communicat, caro autem non habet propriam subsistentiam, sed λόγου ὑπόστασις ei communicatur. 2. Hinc Damasc. lib. 3. orth. fid. cap. 11. discrimen vocabulorum vnionis & incarnationis explicat. Et apud Latinos differunt vnire & assumere: λόγος rectè dicitur vnitus carni non autem assumtus, caro & vnita & assumta rectè dicitur. 3. Quo sensu quidam disputãt humanitatem esse instar δυνάμεως, diuinitatem instar ἐντελεχείας. Vide Dn. Schroderum de Nestor. & Eutych. pag. 213. 4. Proinde etsi vnio Naturarum est æqualis: tamen conditio vnitarum Naturarum est inæqualis: Natura diuina est perfectissima & immutabilis, nec habet vllam indigentiam, ideò addi ei nihil potuit, sed humana Natura potuit βελτιῶθαι, potuit ὑψωθῆναι, potuit μεγάλην illam προσθήκην τῶ θείων αὐχημάτων sortiri. 5. Idipsum disertis verbis confitentur pij veteres. Athanas. in Epist. ad Epict. pag. 459. *Non propter προσθήκην Deitatis verbum caro factum est, sed vt caro resurgeret, neque vt melius redderetur Verbum ex Maria prodiit, sed vt genus humanum liberaretur. Cur igitur existimant, corpus per verbum liberatum & viuificatum verbo ad Deitatem incrementum aliquod addere, cùm potiùs ingens auctarium ex verbi cum ipso communione & vnione accesserit.* Cyrill. lib. 4. in Iohan. cap. 23. pag. 707. *Quoniam cum viuificante verbo caro coniuncta est, tota effecta est viuifica, non enim ad corruptibilem suam Naturam iunctum Dei verbum detraxit, sed ipsa ad melioris virtutem eleuata est.* Augustin. contra Felician. cap. 11. *Iniuria sui corporis affectam non fateor Deitatem, sicut maiestate Deitatis glorificatam nouimus carnem.* Leo Epistol. 5. *Assumsit formam serui sine sorde peccati humana augens, diuina non minuens*, Epist. 6. *Assumti non assumentu est prouectio.* Basilius homil. in sanct. natiu. pag. 247. *Humana Domini caro ipsa participauit Deitate, non suam propriam tradidit Deitati imbecillitatem.* Damasc. lib. 3. orth. fid. cap. 15. *Diuina Natura Filij propriam suam gloriã humanæ Naturæ communicauit* αὐτὴ τῆς τῆς σαρκὸς παθῶν ἀλλοίωσις ἀμέτοχος, &c. 6. Afferri huc possunt exempla, quibus ipsi veteres mysterium vnionis personalis declarant. Inter animam & corpus hominis est vnio reciproca, anima est ἐνσώματος & σῶμα ἔμψυχον, interim corpus non facit animam crassam & longam, sicut anima facit corpus viuum & sensu præditum. Ignis & ferrum æqualiter vniuntur, interim ignis à ferro non fit opacus, sed ferrum ab igne fit lucidum, vi vrendi præditum, &c.

132. *Quintò dicunt*: Quod non est in vnione, id non est in communicatione, quippe *habet se communicatio ad vnionem tanquam effectum ad causam per emanationem. At non dico humana Natura est Deus, Ergo nec dicendum humana Natura est omnipotens. Respon.* 1. Iustin. in ἐνθ. πίς. Euseb. lib. 4. demonstr. Euangel. cap. 14. Cyrill. lib. 10. thesauri cap. 17. carnem vocant τεθεωμένην, λογωθεῖσαν, θεωθεῖσαν. Damasc. lib. 3. cap. 2. ex Nazianzen. ponit θέωσιν τῆς σαρκός, Athanas. vocat θεολόγωσιν. Augustin. de quibus

Christi

Christi corpus vocat Deificatum. 2. Quæ omnia sunt intelligenda, ὐ κατὰ μεταβολὴν ὑποῦδὲ τῆς σαρκὸς, ἀλλὰ καθ' ἕνωσιν ὑποστατικὴν, quia caro personaliter Verbo vnita, tùm etiam καθ' ὑπερβολὴν assumtæ carnis, quæ & ipsa carnem extulit, non sustulit; perfecit, non interfecit. 3. *Sic ergo corrigendum est argumentum.* Christus secundùm humanam Naturam est Dei Filius, videlicet personaliter, quia propria Verbi hypostasis carni communicata, ita etiam Christus secundùm humanam Naturam est omnipotens itidem personaliter. 4. Propter Eutychianos igitur non vtimur propositione illa, humana Natura est Deus, interim verissimum est, quòd humana Christi Natura sit λόγῳ ἑνυπόστατος, & ad ipsam Dei dextram super omnia euecta: sic propter Arianos non vtimur illa propositione, Christus est creatura, interim verissimum est, quòd humana Natura Christi sit creatura.

133. De reliquis argumentis hac vice non disseremus, saltem duo ἀξιομνημόνευτα huc referemus. 1. Abstracti & concreti vocabula insidiosis ambiguitatibus sæpè inuolui. Si *abstractum* accipiatur Grammaticè pro distracto & seperato, negamus humanam Naturam in abstracto, id est, separatam à diuina esse omnipotẽtem, viuificam, &c. quia talis abstractio realis siue separatio post vnionem amplius non habet locum. Λόγῳ quod semel assumit, nunquam deponit. Si *abstractum* accipiatur Logicè pro quidditate rei, quæ est ἡ αὐτὴ οὐσία, τὸ καθ' αὐτὸ, ipsum τὸ εἶναι cum proprietatibus essentialibus, τὸ τί ἦν εἶναι & per quam res in se, per se, ex sua Natura, secundùm propriam definitionem & Naturales proprietates consideratur, tùm itidem negamus, humanam Naturam Christi in abstracto esse omnipotẽtem, viuificam, &c. Si *concreti* nomine intelligitur τὸ σύνθετον, res integra, τὸ συναμφότερον, ὑπόστασις σύνθετος siue duæ Naturæ in vnione consideratæ, dicimus Christum secundùm Naturam humanam in concreto esse omnipotentem, viuificum, &c. tàm autem nomine concreti ab idiomatum diuinorum participatione humana Natura Christi non excludenda est, quàm ab ipsa τῷ Λόγῳ ὑποστάσει siue concreto personæ est exclusa.

134. Alterum hoc esto. Vocula κατὰ itidem insidiosis ambiguitatibus ab aduersariis inuoluitur. Sic ergo habendum. In primo communicationis genere phrasis κατ' ἄλλο est distinctiua, *vt Dominus gloriæ est crucifixus*, nimirum κατ' ἄλλο, hoc est, secundùm propriam humanitatem siue κατὰ σαρκά: sed in tertio genere phrasis καθ' ἄλλο est causalis; Caro est viuifica, nimirum κατ' ἄλλο, hoc est, non ex proprietate suæ Naturæ, sed per & propter vnionem personalem. Quando ergo phrasis κατ' ἄλλο in hoc tertio genere communicationis vsurpatur, per eam ipsa caro à participatione diuinorum idiomatum non excluditur, sed causa & immediata ratio istius participationis explicatur.

135. Egimus hactenus de tribus membris in hoc tertio communicationis genere apprimè obseruandis, videlicet: Quis det, Cui det, Quid det, restant adhuc duo alia membra, videlicet: Quomodo & Quando det, quibus pari fidelitate explicatis tota huius tertij generis ἐργασία erit (vt spero) perspicuè & dilucidè expolita.

136. *Quomodo dat?* Communicatio illa diuinorum attributorum, non est verbalis tantùm, sed realis; nec tamen essentialis, quia Naturæ manent distinctæ; nec Physica, quia λόγος effuderit extra se in assumtam Naturam diuina idiomata (facessat ergo omnis cogitatio de confusione, conuersione, abolitione vel exæquatione Naturarum) sed vt ipsa vnio, ita communicatio est personalis: quia diuina Natura Filij sua idiomata intra suam ὑπόστασιν retinet: assumendo autem Naturam humanam in vnitatem & κοινωνίαν ὑποστάσεως simul eandem in κοινωνίαν ἰδιωμάτων siue illius ὑποστάσεως, euehit. Patres tribus potissimùm similitudinibus hoc declararunt, corporis animati, ferri igniti, & lucis primogenitæ. Fontes & applicationes harum similitudinum vide apud Dn. Chemnit. libr. de duabus Natur. cap. 23.

137. Ex hac diserta sententiæ nostræ expositione, quòd videlicet communicationem illam nec essentialem, nec Physicam esse statuamus, multa argumenta profligari possunt. Eutychianum est, inquiunt, statuere τὰ ἰδιώματα θεία carni factam communicationem. *Resp.* Veteres duo tribuunt Eutychi. 1. quòd statuerit in Christo ante vnionem fuisse duas Naturas, post vnionem verò vnam tantùm in illo Naturam mansisse, idque partim per diuinæ Naturæ in humanitatem conuersionem, partim per humanæ Naturæ κατάπτωσιν factum fuisse. 2. Quòd statuerit, Corpus Domini non esse nobis cõsubstantiale neque ex substantia Mariæ virginis conceptum, sed cœlitùs allatum Euagrius lib. 2. c. 4. ὀρθῶς εἰρηκὼς ὁμολογῶ ἐκ δύο φύσεων γεγονέναι τὸν κύριον ἡμῶν μετὰ τὴν ἕνωσιν, καὶ οὐ πλὴν ἕνωσιν μίαν φύσιν ὁμολογῶ. Apud Theodor. Dial. 2. dicit Eranista: ἐγὼ πλὴν θεότητος λέγω μεμενηκέναι, καὶ ἀποδέχομαι ὃ καὶ ταύτης πλὴν ἀνθρωπότητα. Vide omninò Epistolam Flauiani ad Leonem, & Dn. Schroder. lib. de Eutych. qui de sententia Eutychis te edocere possunt: quid verò nobis cum illa commune?

138. Si attributa diuina communicantur humanæ Naturæ, erit, *inquiunt*, Naturarum exæquatio, *erit duplex omniscientia, erit duplex Deitas, ex attributis illis non poterit amplius Deitas Christi monstrari.* *Respon.* Ad hæc omnia vna responsio sufficit, τὸ ἰδίον esse ἀκίνητον, propria illa Diuinitatis non fieri propria Naturæ assumtæ, nec subiectiuè ei inhærere, sed personaliter communicari. Vt Natura humana non desinit esse humana Natura, etiamsi assumatur in consortium ὑποστάσεως τοῦ Λόγου, ita non pereunt proprietates humanæ Naturæ essentiales, etiamsi attributa diuina personaliter ei communicentur, neque enim humana Natura in sese, sed in persona τοῦ λόγου est omnipotens. Nec duplicem fingimus omnipotentiam, sed ipsa τοῦ Λόγου propria omnipotentia in Natura assumta, cùm ea & per eam sese exerit, sicut nec duplex fit ὑπόστασις, etiamsi ὑπόστασις Λόγου sit non solùm diuinæ, sed etiam humanæ Naturæ hypostasis. Nec minùs firmum argumentum ducitur ex his attributis ad probandam Christi diuinitatem: nisi enim Christus esset verè & Natura Deus, talia attributa assumtæ Naturæ personaliter communicari non potuissent.

139. Quando dat? *In primo incarnationis momento*, est enim communicatio illa consequens vnionis. Dan. 9. vers. 24. tempus incarnationis definitur, & additur tunc vngendum Sanctum Sanctorum, *nimirum plenitudine Spiritus sancti*, non ad mensuram dati Esa. 11. v. 1. & 2. Ioh. 1. v. 34. Ac quæ possit maior humanæ Naturæ gloria & Maiestas obtingere, quàm assumi in vnitatem personæ τοῦ Λόγου, & fieri proprium templum, in quo tota plenitudo Deitatis Λόγου habitet?

Strophe ad. uersariorũ.

Abstractũ.

Concretum.

Vocabulum.

IV. Quomodo.

V. Quando?

CAPVT VI.

De Statu exinanitionis.

140. Quia verò Christus in diebus carnis suæ gloriam & maiestatem illam, secundùm humanam Naturam sibi communicatam, plena luce non exeruit (radios licet quosdam illius in miraculis, in transfiguratione, &c. emiserit) hinc nascitur distinctio inter statum exinanitionis & exaltationis. *Exinanitio* ex Phil. 2. v. 7. & 8. ita describi potest, *quòd sit Christi in forma seruili humilis obedientia vsque ad mortem crucis.* Exinanitio.

141 Κένωσις euacuatio illa non est omnimoda carentia seu absentia diuinæ potentiæ & gloriæ, sed tantùm retractio vsus, & quasi intermissio quædam, quod Veteres declarant exemplo Solis, cuius radij nubibus intercipiuntur, non autem tolluntur.

142. *Nazianzenus tom. 2. tract. de fide fol. 134. Vt Sol, cùm nube tegitur, claritas eius comprimitur, non cæcatur, & lumen illud, quod toto orbe diffusum, claro splendore cuncta profundit, paruo admodùm obstaculo nubis includitur, non aufertur: sic & homo ille, quem Dominus IESVS Saluator noster, hoc est, Deus Deique Filius induit, Deum tamen illo non intercepit, sed abscondit*, quam sententiam *Ambrosius* transcripsit li. de fide contra Arian. c. 8. Idem super 2. Philip. *semetipsum exinaniuit, hoc est, potestatem suam ab opere retraxit.* Vide plura huc referenda *in Apolog. Concord.* c. 4.

Argutiæ Aduersariorum.

143. Ex hoc fonte plurima possunt dextrè explicari, quæ itidem magno conatu huic tertio communicationis generi opponuntur. Christus profecit (*inquiunt*) *sapientia. E. ei non est communicata omniscientia.* Christus mortuus est. *E. non est ei secundùm carnem communicata omnipotentia, &c. Respon.* Distinguendus est status exinanitionis à statu exaltationis, ratio officij requirebat, ne Christus maiestatem & potentiam suam plenario vsu statim exerceret, sed vt pro nobis omnibus mortem gustaret, interim mors Christi est nostra vita, quin etiam ipsemet vna eadémque cum Patre & Spiritu sancto potentia templum corporis sui è morte suscitauit.

144. Porrò status exinanitionis incipit in primo incarnationis momento, & durat vsque ad tempus sepulturæ. Epistol. ad Hebr. istum statum vocat dies carnis Christi cap. 5. vers. 7. Pertinent igitur ad hunc statum *conceptio, gestatio in vtero, natiuitas, incrementum ætatis & sapientiæ, obedientia in forma seruili vsque ad mortem, mortem autem crucis, quam secuta est sepultura*: quo tempore varios dolores & cruciatus in sanctissimo suo corpore & anima ἔσω καὶ ἔξω Christus persensit, nimirum propter nos & nostram salutem.

145. Quod dixi, conceptionem & gestationem in vtero, ac natiuitatem ex vtero matris pertinere ad exinanitionis statum, ex eo potest intelligi, si consideremus, Adamum fuisse verum hominem, qui tamen nec in vtero conceptus, nec ex vtero matris natus, potuisset igitur eodem modo Dei Filius absque tali conceptione, & natiuitate veram humanam Naturam assumere, sed voluit in omnibus fratribus similis fieri absque tamen peccato. Hebræor. 2. vers. 17. *Ephesina Synodus* pulcerrimo vocabulo id exprimit, dicit enim, quòd Filius Dei ὑπέμεινε *sustinuerit natiuitatem ex virgine.*

146. Veteres magno consensu docent, quòd Christus saluis virginei pudoris claustris ex Maria natus. *Cyprian.* serm. de Natiu. *August.* Epist. 3. 13. de Trinit. cap. 18. tract. 121. in Iohan. serm. 14. & 158. de tempor. *Nazianz.* in tragœd. cuius tit. Christus patiens *Chrysosto.* homil. de Ioan. Bapt. hom. 1. in Symb. Gregor. M. de Octau. Pasch. *Beda* in Luc. *Sedulius* in carm. *Bernh.* serm. 3. in vig. nat. dom. *Damasc.* li. 4. orth. fid. c. 15. ad quam sententiam accommodant, quod Esa. 7. vers. 14. dicitur, *Ecce Haalmah concipiens pariet: Insuper etiam rubum ardentem, nec tamen consumtum.* Exod. 3. *Virgam Aaronis germinantem* Num. 17. *Lapidem sine manibus à monte abscissum.* Daniel. 2. *Portam clausam in mystico templo.* Ezech. 44. huc referunt.

Maria ἀειπαρθένος

147. Nos Mariam ἀειπαρθένον firmiter credimus & confitemur, modum ac rationem natiuitatis temerè scrutari supersedemus. *Dn. Chemn.* in Harmon. Euang. c. 8. pag. 173. ex D. Luthero sic scribit: *Non quærenda sunt præter Scripturæ testimonia extraordinaria miracula in natiuitate Christi, sed quæ naturali ratione post conceptum fœtum in vtero materno sequi, quæ in partu fieri & partum comitari solent, cogitanda sunt etiam de hac natiuitate: sicut Hieronymus contra Heluidium sentit & Tertullianus scripsit de carne Christi. Et postea, propter nos, vt miseram & immundam nostram natiuitatem mundaret & sanctificaret, atque fratribus excepto peccato per omnia similis fieret, voluit illa, quæ dixi, in sua natiuitate sustinere, nam & tristiora & indigniora propter nos homines, & propter nostram salutem in cruce passus est. Hæc sententia plena est consolationis, & congruit cum præcipuis fidei nostræ articulis, & cum testimonijs Scripturæ de natiuitate Domini* Luc. 2. vers. 7. & sententia illa Exod. 13. vers. 2. Num. 8. vers. 16. *de primogenitu aperientibus matricem accommodatur etiam ad Christum.* Luc. 2. vers. 23. & Psal. 22. v. 10. *in Persona Christi inquit*: Tu extraxisti me ex vtero matris, &c. *Non negarim potuisse extraordinaria quædam miracula in partu virginis fieri, sed vbi destituimur Scripturæ testimonijs, nihil asseuerandum, sed potius cogitandum est, quòd Paulus dicit:* Exinaniuit semetipsum Phil. 1. vers. 7. Hactenus Chemnic.

CAPVT VII.

De Statu exaltationis.

148. Ad statum exaltationis pertinent descensus ad inferos, resurrectio ex mortuis, ingressus ad discipulos ianuis clausis, ascensio ad cœlos, & sessio ad dextram Dei. Exaltatio.

149. De descensu ad inferos plurimùm variant veterum & recentiorum Theologorum sententiæ. 1. Quidam *hunc articulum planè omiserunt.* Sic *Nicæna, Constantinopolitana & Toletanæ aliquot Synodi* eius non meminerunt: *Irenæus & Tertullianus* in enarrat. Symboli itidem hunc articulum prætereunt. *Ruffinus* (vel *Cyprianus*) in expos. Symboli testatur in Symbolo Ecclesiæ Romanæ & Orientalium eum non legi. 2. *Clemens Alexandr. 6.* strom. dicit, *Christum & Apostolos descendisse ad inferos, vt Euangelium prædicarent mentibus damnatis & spem salutis afferrent credentibus.* 3. *Chrysostomus* in altera expos. Symboli descensum ad inferos refert *ad virtutem miraculi edendi, qua Christus multos mortuos suscitabat.* 4. *Quidam* generatim accipiunt descensum ad inferos *de toto humiliationis statu. Iohn.* tom. 2. exeg. Aug. p. 239. 5. *Quidam* statuunt, *descendere ad inferos esse idem, quod sepelire. Bucerus* in 27. Matth. *Beza* in cap. 2. Actor. Wirack-

Descensus ad inferos.

Resurrectio ex mortuis.

de

de script. controu. 1. quæst. 6. *Drusius* 4. obseru. 23. *Aretius* par. 1. probl. p. 144. *Vrsinus* in Catech. p. 326. 6. *Quidam* intelligunt hunc descensum *de cruciatibus, quos Christus in anima perpessus sit, Caluin.* in cap. 30 Iob. *Trelcat.* in locis. 7. *Quidam intelligunt de vi & virtute mortis Christi ad defunctos etiam pramanente. Zuingl.* in exposit. fidei Christ. & Epist. 3. *Bulling.* Decad. 1. in exposit. Symbol. 8. *Bellar.* 4. de anim. Christ. cap. 7. tribuit Brentio, quòd statuerit *descendere ad inferos esse penitus interire* (quod tamen in Brentio non inuenies, sed in Catech. dicit: hoc est descendere ad inferos, videlicet videri prorsus & omninò interire) &c.

150. Nos cum D. Luthero in hom. quam Anno 34. in arce Torgensi habuit, statuimus, articulum hunc non esse argutè & scrupulosè tractandum, quo modo factum sit, & quid significet descendere ad inferos, sed retinendam esse simplicissimam sententiam, sicut τὸ ῥητὸν verborum sonat. *Credimus* igitur Christum certò ad inferos descendisse, infernum omnibus credentibus destruxisse, nosque per ipsum è potestate mortis & Satanæ, ab æterna damnatione atque adeò è faucibus inferni ereptos esse. *Omnes Patres* (ait *Bellarminus* 4. de Christo cap. 8.) *qui descensum Christi ad inferos describunt, describunt vt descensum Victoris & Triumphatoris, non vt rei, nec vllo modo indicant, Christum aliquid passum esse in inferno.*

151. Obseruandum ergo Scripturam duplicem Christi ad inferos descensum describere, Metaphoricum vnum, realem alterum. *Metaphoricus est*, quòd Christus cùm toto exinanitionis tempore, tùm potissimum tempore passionis & mortis acerbissimos dolores, terrores & angustias verè infernales in anima & corpore suo, & sic verè iram Dei, maledictionem legis & horrorem inferni persenserit. Psal. 16. v. 10. Ps. 18. v. 6. Psal. 69. v. 15. 16. &c. *Realis est*, quòd Christus superatis doloribus mortis & inferni verè & realiter descendit ad inferos seu damnatorum sedem tanquam Triumphator & Victor, ac captiuam duxit captiuitatem de Diabolo, inferno, & reliquis suis ac nostris hostibus potentissimè triumphans. Osee. 13. vers. 14. 1. Corinth. 15. v. 55. Symbol. Apostol. &c.

152. Quòd nomine descensus ad inferos in Symbolo Apostol. non sint cruciatus aliqui, seu Metaphoricus descensus ad inferos intelligendus, sic ostendi potest. 1. Christus in cruce promittit Latroni Paradisum. 2. & pronunciat omnia consummata esse. 3. animam commendat Patri cœlesti, corpus sine διαφθορᾷ in sepulchro iacet. 4. Nullibi in prædictionibus de passione sua descensus in inferos meminit. 5. Post mortem nullum fuit persoluendum λύτρον, quippè quod Domino debetur non seruo, eramus autem captiui Satanæ, non vt Domini, sed vt carnificis.

Resurrectio ex mortuis.

153. Historia resurrectionis exactè describitur ab Euangelistis. Post tres enim dies (non quidem integrè completos, sed inchoatos) destructum sui corporis templum ipsemet virtute propria excitauit Ioh. ann. 2. vers. 19. *Quare autem resuscitatio illa in plurimis Scripturæ locis Patri tribuatur*, non caret singulari mysterio, quòd exposuimus alibi. De hac Christi resurrectione piè scribit *Marloratus* [contra alios ex suis assecl. sup. 28. Matt. *Qui sua virtute potuit corpus suum excitare in sepulchro, potuit eadem virtute sepulchrum egredi occluso ostio grandi illo saxo, vt miraculo sit excitatus & miraculo egressus, nulla opera Angeli.*

Occluso sepulchro egredi.

154. Conuenit hæc sententia non solùm cum serie historicæ descriptionis apud Matthæum, sed etiam Patrum communi roboratur suffragio, quæ de re videri possunt *Iust.* q. 117. *Nazianz.* in Dramate, Christus patiens. *August.* Epist. 3. de agone Christi cap. 24. serm. de temp. 156. 158. &c. *Chrysost.* in 20. Ioh. *Gregor. Nyssen.* orat. 2. de resurr. *Theoph.* in 28. Matth. *Ambros.* lib. 10. in Luc. cap. 24. *Bernh.* serm. 1. in die Pasch. col. 129. &c.

155. Post resurrectionem apparuit Christus discipulis suis τῶν θυρῶν κεκλεισμένων Ioh. 20. v. 19. καὶ ἔστη εἰς τὸ μέσον, nemo ergo fores ei aperuit, nec successiuè in medium ipsorum progressus, sed vt *Poëta Christianus* canit: *Apparitio ianuis clausis.*

Improuisus adest & inobseruabilis Heros,
Cùm clausæ mansere fores, mansere fenestræ.

Successiuo progressui aduersatur suspicio illa de Spiritus apparitione discipulorum mentibus obortа Luc. 24. vers. 37. miraculosum ingressum confirmant verba Euangelistæ: πολλὰ καὶ ἄλλα σημεῖα ἐποίησεν ὁ Ἰησοῦς ἐνώπιον τῶν μαθητῶν Iohan. 20. vers. 20.

156. Idem sentiunt primitiuæ Ecclesiæ Doctores, præsertim *Cyrill.* libro 12. super Iohann. cap. 53. *Hilar.* 3. de Trinitat. *Augustin.* Epistol. 3. tract. 121. sup. Iohan. serm. 156. de tempor. Euang. *Nazianzen.* in Dramate, χειστὸς ὁ πάσχων *Theoph.* sup. 20. Iohan. &c. quos tutius sequimur, quàm κατοχὴν eorum plusquam Academicam, qui scribunt: *fortè cesserunt ianuæ, fortè per fenestras aut tectum Christus ingressus est.*

157. *Resurrectionem Christi sequitur ascensio ad cœlos*, quam *Bernhard. appellat felicem clausulam totius itineraris Christi.* sermon. 2. de ascens. Vt autem in reliquis Symboli Apostolici Articulis, ita in hoc ipso τὸ ῥητὸν verborum exactè intuemur & tuemur, videlicet Christum in monte oliueti propè Bethaniam stantem è tertis seorsùm locali μεταβάσει visibiliter in altum sublatum, per nubem ex oculis discipulorum subductum ac depositis vitæ huius infirmitatibus in cœlum translatum esse. Christus ἀνελήφθη Marc. 16. v. 60. *à discipulis* διέστη καὶ ἀνεφέρετο εἰς οὐρανόν Luc. 24. v. 51. ἐπῆρθη, *nubes eum* ὑπέλαβεν Act. 1. vers. 9. *Ascensio ad cœlos.*

158. *Sed enim cùm cœli, ad quos Christus ascendit, sint supra omnes cœlos, non audeamus illos definire, nisi Scripturæ verbo, non nostræ rationis prædicamentis. Scripturæ autem illos non nisi maiestate & virtute diuinæ definiunt, non locorum intercapedinibus, clareque attestantur, eos in cor hominis non ascendisse*, vt *Bucerus* rectissimè scribit, cui consonat illud *Marloratti* super 27. Matth. *Cœlum, in quod Dominus noster ascendit, inuisibilis Patris gloria est & inaccessa Diuinitatis lux.*

159. Obseruandum igitur Christi ad cœlos ascensionem ita comparatam esse, 1. vt *penetrauerit cœlos.* Hebr. 4. v. 12. 2. *vt ipsis cœlis excelsior factus* Heb. 7. v. 26. 3. vt *ascenderit super omnes cœlos.* Ephes. 4. v. 10. 4. vt post illam ad cœlos ascensionem *consederit ad dextram Dei.* Mar. 16. v. 19. qua ratione nec Henoch nec Elias, nec vllus alius vnquam ascendit vel ascendet ad cœlum.

160. Sessio illa CHRISTI ad DEI dextram emphaticis verbis describitur Ephes. 1. *DEVS Pater suscitauit CHRISTVM à mortuis, & collocauit eum ad dextram suam in cœlestibus.* v. 20. *supra omnem principatum, & potestatem, & virtutem, & dominationem, &* *Sessio ad dextram Dei.*

omne nomen, quod nominatur non solùm in hoc seculo sed etiam in futuro. vers. 21. *& omnia subiecit sub pedibus eius, & ipsum dedit caput super omnia ipsi Ecclesiæ.* vers. 22. *quæ est corpus ipsius, plenitudo eius, qui omnia in omnibus implet.* vers. 23. cum quo coniunge locum 1. Petr. 3. vers. vlt. *Christus est in dextra Dei profectus in cœlum subiectis sibi Angelis & potestatibus & virtutibus.*

161. Instituimus etiam talem collationem Ps. 110. v. 1. *Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos, scabellum pedum tuorum.* 1. Corinth. 15. v. 25. *Oportet illum* (Christum) *regnare donec ponat omnes inimicos, sub pedibus eius.* Quod Dauidi est sedere à dextris Dei, id Apostolo est regnare. Item, Marc. 16. v. 19. *Iesus assumtus est in cœlum, & sedit à dextris Dei,* Eph. 4. v. 10. *Ascendit super omnes cœlos, vt impleret omnia.* Ergo sedere à dextris Dei, regnare & omnia implere, sunt ἰσοδυναμοῦντα, & per consequens, Sessio ad dextram Dei est vniuersale omnipotens & omnipræsens in cœlo & terra dominium.

162. Et cùm de phrasibus iudicium fieri possit ex vocibus simplicibus, colligenda sunt ex Scripturis ea, quæ dextræ Dei tribuuntur, quæ liquidissimè ostendent, dextram Dei esse infinitam illam potentiam & præsentissimam maiestatem Dei in cœlo & terra omnia moderantis, vnde dicitur *dextra maiestatis* Hebr. 1. v. 3. *thronus μεγαλοσύνης in cœlis* Heb. 8. v. 1. *dextra sedis Dei.* Heb. 12. v. 2. *thronus δόξης* Matth. 25. v. 31. *dextra δυνάμεως* Matth. 24. v. 64. Luc. 22. v. 69. &c. Hinc August. Confes. art. 3. sic describit sessionem illam Christi ad Dei dextram. *Ascendit ad cœlos, vt sedeat ad dextram Dei, id est perpetuò regnet ac dominetur omnibus creaturis, &c.*

163. *Ne ergo tibi describas,* ait Orig. tract. 23. in Matth. *sensibiles sessiones & duas cathedras, & sedentes super eas humano schemate Patrem & Filium:* sed interprete Augustin. in Symb. *Dextra est potestas illa, quam accepit homo ille susceptus à Deo.* Athanas. ad Antioch. tom. 2. pag. 332. δεξιὰν ἀκόνων τοῦ θεοῦ μὴ τόπους καὶ χώματα δόξης ἀφιερώσει, δεξιὰ γὰρ καὶ ἀριστερὰ τῶν ἀφιερωμένων ἐστιν, ὁ δὲ θεὸς ἁπλοῦς ἐστι, καὶ ἀόριστος, καὶ ἀσχημάτιστος, καὶ ἀπερίγραπτός ἐστι, δεξιὰ δὲ θεοῦ ὅταν ἀκούσῃς τὴν δόξαν καὶ τὴν τιμὴν τοῦ θεοῦ ἔξει νόει. Vide plura apud Damascen. lib. 4. cap. 2. Absit proinde, vt nomine dextræ Dei vel circumscriptum quendam locum vel nudam ἐξουσίαν, vel beatitudinem duntaxat cœlestem, vel thronum potentiæ & imperij à Deo proximum, vel gloriam finitam, vel potestatem saltem iudiciariam, vel actionem tantùm specialem gubernationis Ecclesiæ, vel dominium Christi absentis intelligere velimus.

CAPVT VIII.

De officio Christi.

Officium Christi.

164. De persona Christi hactenus: sequitur de eius officio. Facta enim mirabilis illa diuinæ & humanæ Naturæ vnio, propter officium Mediatoris, quòd secundùm vtramque Naturam administrat.

Mediator est verus Deus & verus homo.

165. *Oportuit mediatorem Dei & hominum per suam ad vtrosque οἰκείωσιν in amicitiam ac concordiam vtrosque reducere & facere, vt Deus assumeret hominem, & homo se daret Deo.* Iren. lib. 3. cap. 20. *Quærendus igitur Mediator, qui non solùm homo, verum etiam Deus sit: & vt homo ac Deus mediationem perficiat.* August. 9. de ciu. Dei cap. 15. *Diuinitas sine humanitate non est mediatrix: humanitas sine Diuinitate non est mediatrix: sed inter diuinitatem solam & humanitatem solam mediatrix est humana Diuinitas & diuina humanitas.* Idem hom. de ouibus c. 12.

166. Idipsum patebit clarissimè, si consideraverimus ea, quæ ad Mediatoris officium requirebantur. *Ad hoc enim valuit in Christo diuersitas naturarum & vnitas personæ, vt quod opus erat fieri ad hominum restaurationem, si humana non posset natura, faceret diuina, & si diuinæ minimè conueniret, exhiberet humana: & non alius atque alius, sed idem ipse esset, qui vtrumque perfectè existens, per humanam solueret, quod illa debebat, & per diuinam posset, quod expediebat* Ansh. lib. 2. Cur Deus homo c. 18.

167. In Synodo Chalcedonensi (quæ est œcumenica quarta) circa annum 451. habita, disertè profitentur istius Cōcilij Patres (quorum 630. fuisse memorant) *in operibus Mediatoris vtramque Naturam Christi agere cum communicatione alterius, quod cuiusque proprium est,* id Damascen. lib. 3. orth. fid. cap. 1. sic explicat: *Agit Christus secundum vtramque sui ipsius Naturam, & agit vtraque Natura cum communicatione alterius, communicat igitur diuina Natura carni agenti, quapropter bonæ voluntatis beneplacito permittebatur pati & agere, quæ propria carnis sunt, & propter quod actio carnis omninò salutaris erat, non humana actionis erat, sed diuinæ.*

168. Patrum nostrorum memoria contra hanc veritatem insurgere cœpit Franciscus Stancarus, Mantuanus (quem Dn. Philippus Stencarum nominare fuit solitus) docendo & Scripturis publicè editis propugnando, *Christum secundum alteram tantum Naturā, nempè humanam esse Mediatorem.* Vid. Confes. fidei Apol. contr. Osiand. scriptum contra Tigurinos &c. in quibus disertè profitetur, se Naturam diuinam Christi ab officio Sacerdotij & Mediationis excludere.

169. Prima erroris semina proculdubio hausit ex Lombardo & Scholasticis, sic enim Lomb. 3. sent. dist. 19. lit. G. *Christus Mediator est in quantum homo, nam in quantum Deus non Mediator, sed æqualis Patri est, hoc idem quod Pater, mediat ergo inter homines & Deum Trinitatem.* Thom. p. 3. q. 46. art. 2. disputat. *quòd Deus posset sine satisfactione homini remittere peccata, cùm non habeat aliquē superiorem.* Biel (cōpilator Scholasticorum) 3. sentent. dist. 20. q. vn. contra libros Anshelmi, Cur Deus homo. ita disputat: *Nota rationes eius nihil probare, nisi procedant ex ordinatione diuina præsuppositā, quia posset Deus hominem non condere, posset remittere peccatum per solam non imputationem, posset per alium satisfieri, potuisset quilibet pro se satisfacere. si data fuisset prima gratia sine merito.*

170. Sed enim inutiles hæ speculationes Scholasticorum non mediocriter obscurant magnitudinem summi & admirabilis istius beneficij, quòd ipse Dei Filius propter nos homines & nostram salutem descendit de cœlis, & Homo factus est, vt esset noster Mediator & Saluator. *Argumentum Lombardi: Christus secundùm Naturam diuinam est æqualis Patri. Ergo non erit secundùm eam Mediator,* explicabitur suo loco. *Thomæ argutiam,* quòd Deus vtpote authenticus iudex potuisset absq; satisfactione homini remittere peccata, *recentiores Photiniani* perpetuò vrgent, opponimus autem ei immotum hoc fundamentum: Deus ita misericors est, vt sit etiam simul iustus, misericordia non excludit in eo æternam iustitiæ regulam, sed summum & admirabile est in eo misericordiæ & iustitiæ temperamentum, ergo non potuit peccatum salua diuina iustitia absque æquiualenti

ualenti precio in Dei iudicio homini remitti, nec reuocari potuit illud diuinum decretum homini promulgatum. Quacunque die comederis de fructu arboris, morte morieris. Nullum ergo aliud supererat remedium, quàm vt ipse Dei Filius humanam Naturam assumeret, ac in ea & per eam satisfaceret. Deus non debebat, homo non poterat. Biel addit, *quòd Deus potuerit hominem non condere, quòd potuerit creatum hominem annihilare*, sed hæ speculationes à proposita quæstione sunt alienæ, non enim hoc in quæstione versatur, an potuerit Deus hominem non condere, aut creatum annihilare, sed de eo quæritur, an homini in peccatum prolapso & ad æternam salutem reparando aliud afferri remedium potuerit, quàm per mortem Christi Dei & hominis? an vllus homo vel Angelus præter solum Christum satisfactionem debitam præstare potuerit? Quod Biel subiungit, *potuisse hominem pro sese satisfacere, si data fuisset prima gratia sine merito*, id ex animo improbare & detestari debemus, neque enim peccatum originale tàm leuis macula est, vt facilè abstergi possit, & non obstante humanæ Naturæ corruptione per peccatum illud introducta homo ante regenerationem grata Deo obsequia præstare possit, sed velut spirituale quoddam venenum totum hominem & omnes animæ ac corporis vires horribiliter infecit: & si vel maximè pura atque omnibus numeris absoluta obedientia Deo ab homine exhiberetur, ea tamen nec meriti nec satisfactionis pondus in DEI iudicio obtinere posset, cum sit Deo tanquam creatori iam ante debita Luc. vers. vltimo 10.

171. Stancari errorem propugnant hodiè Iesuitæ, quicquid pro amolienda à sese Stancarismi suspicione disputet Bellarm. Distinguit ille lib. 5. de Christo c. 2. inter principium quod, & principium quo. Principium quod *operabatur opera Mediatoris* (inquit) *non fuit Deus solùm vel homo solùm, sed vtrumque simul, hoc est, Verbum incarnatum*: Principium quo *illa opera à Mediatore fiebant, fuit Natura humana non diuina*. Atque ita suam de operibus Mediatoris sententiam à Stancarismo optimè liberatam ac liberam arbitratur. *Iesuitæ.*

172. Sed hoc ipsum etiam Stancarus confessus est, Christum Mediatorem nostrum esse Deum & hominem. Sic enim scribit: *Vox Mediator capitur primò pro humanitate Christi exequente officium Mediatoris: secundò verò capitur pro persona ipsius Christi, qui est Deus & homo.* Non negabat Stancarus, Christum Mediatorem nostrum esse in vna persona Deum & hominem, sed in operibus officij Mediatoris, vt Deum & hominem, hoc est, secundùm vtramque Naturam Christum agere negabat, idipsum etiam negat Bellarminus, cur ergo abhorret illius nomen, cuius doctrinam propugnat?

173. Opponimus autem Stancaro & omnibus, qui Christum secundùm vtramque Naturam officium Mediatoris exequi negant, sequentia argumenta. *Primò* sublata diuinæ Naturæ ἐνεργείᾳ ex ἀποτελέσματι officij Mediatoris, tollitur finis incarnationis. Consequens est absurdum. Ergo & antecedens. Connexio probatur, quia Scriptura sacra hunc finem incarnationis proprium & adæquatum proponit, quòd Filius Dei *propter nos & nostram salutem de cœlis descenderit, & incarnatus sit*, vt loquitur Symb. Nicen. 1. Iohan. 3. vers. 8. εἰς τοῦτο ἐφανερώθη *in hoc apparuit Filius Dei, vt dissolueret opera Diaboli.* Si nudus homo potuit pro peccato generis humani satisfacere, iram Dei placare & homines Deo reconciliare, cur Filius Dei homo factus? cur de cœlis descendit?

174. Nouimus quosdam ex Scholasticis disputare, si maximè homo non peccasset, nihilominus Dei Filium incarnandum fuisse, quorum sententiam imprudenter sequitur Bucanus in locis pag. 61. vbi & *Angelos Mediatore opus habuisse* scribit, sed rectè se illis opponit Thomas 3. sent. dist. 1. qu. 1. & p. 3. q. 1. art. 3. cuius sententia Scripturæ magis coformis, quippe quę nullum alium incarnationis finem vllibi memorat præter officium Mediatoris. Vide August. de verbis Apost. serm. 8. Orig. hom. 24. in Num. Athan. serm. 3. contr. Arian. Leon. ser. 3. de Pentec. Greg. Magnum lib. 4. cap. 1. Regist. *Tolle morbos, tolle vulnera* (ait glossa super 1. Tim. 1.) *& nulla erit causa medicinæ.* Rectè ergo Bonauentura scribit 3. sent. dist. 1. art. 2. qu. 1. *Prior opinio magis imitatur iudicium rationis, sed posterior sententia magis consonat Scripturæ & sanctorum autoritatibus & pietate fidei, vbi hoc ἀξιομνημόνευτον* theorema subiungit: *Nobis nihil dicendum præterea, quæ ex sacris eloquiis clarent.* *Quæstio de incarnatione.*

175. *Si quis cum Bellarmino excipere velit, argumento hoc probari illud solum, quod Mediatorem nostrum Deum & hominem ratione personæ esse oportuerit, nondum autem ex eo effici, quòd secundùm vtramque Naturam agat in operibus officij Mediatoris*, ei proponimus hoc alterum sententiæ nostræ fundamentum. Quæcunque opera diuinam & infinitam ἐνέργειαν requirunt, ea seorsim & per se sola humana Natura non efficit (finita substantia non edit per se & ex se infinitam ἐνέργειαν) iam verò opera Mediatoris requirunt diuinam & infinitam ἐνέργειαν. Ergo opera ista seorsim & per se sola humana Natura non efficit. Minorem probo. Reconciliare Deum, satisfacere infinitæ iustitiæ, tollere peccatum (quod quia contra infinitum Deum commissum, est infinitum malum) superare hostes potentissimos, puta diabolum, mortem & infernum, perfectissimam & omnibus numeris absolutam obedientiam legi pro aliis præstare, aliis peccatorum remissionem impetrare, gratiam, salutem, iustitiam & vitam æternam recuperare, introspicere arcanum Dei de salute hominum decretum, Ecclesiam contra omnes hostes defendere, sunt talia opera, quę diuinam & infinitam requirunt ἐνέργειαν. At hęc omnia requiruntur ad officium Mediatoris, Ergo quædam opera Mediatoris diuinam & infinitam ἐνέργειαν requirunt. *Instantia Bellarm.*

176. Si dicas, humanam Christi Naturam diuinis ἐξοχαῖς ἢ αὐχήμασι *donatam talia opera per se solam efficere posse. Respon.* Iesuitæ realem diuinorum idiomatum communicationem carni Christi factam esse strenuè negant: nos Scripturæ ductum secuti cum reuerenda Antiquitate illam communicationem strenuè propugnamus, sed ex ea minimè sequitur diuinam Christi Naturam propterea ab operibus officij Mediatoris excludi posse, siquidem illa communicatio non est essentialis vel physica, ita comparata vt idiomata illa fiant propria humanæ Naturæ & subiectiuè ei inhæreant, sed est communicatio personalis, ita comparata, vt in, cum & per Naturam humanam diuina τὸ λόγου Natura ea exerat. *Alia instantia.*

177. Consideramus hic emphasin dictorum Scripturæ Esai. 35. v. 4. *ipse Deus veniet & saluabit vos.* Ose. 1. v. 7. *Domui Iudæ miserebor & saluabo eos in Domino* DEO *suo.* Act. 20. vers. 28. *Deus proprio suo sanguine redemit Ecclesiam.* Rom. 5. v. 10. *Reconciliati sumus Deo per mortem Filij ipsius.* 1. Ioh. 1. v. 7. *Sanguis Iesu Christi, Filij Dei, emundat nos ab omni peccato.* In his & similibus

dictis reconciliatio, satisfactio pro peccatis nostris, redemtio & salus nostra notanter tribuitur ipsi Dei Filio : vt ostendatur diuinam Christi Naturam ab operibus Mediatoris minimè excludendam esse.

178. Vtimur etiam ἀπαγωγῇ πρὸς τὸ ἄτοπον. Si diuina Christi Natura ab officio Mediationis excluditur, consequens est, obedientiam Christi (actiuam & passiuam) non esse infiniti meriti, cùm finita substantia infiniti effectus per se & ex se causa esse non possit, & sic adhuc erimus sub dominio peccati, sub execratione legis, sub pondere iræ diuinæ, & sub reatu æternæ damnationis.

Obiectio Iesuitarum. 179. Opponitur argumentum hoc palmarium. *Si Christus est Mediator etiam secundùm Deitatem, sequetur, omnes tres personas Trinitatis esse Mediatores. Resp.* nemo nostrum dicit diuinam Naturam in omnibus tribus personis absolutè consideratam fungi Mediatoris officio, sed dicimus diuinam Naturam τῷ Λόγῳ, quæ in assumta carne habitat σωματικῶς, ad opera Mediatoris ἐνεργητικῶς concurrere. Et qui huic argutiæ aliquid tribuunt, quid respondebunt simili argumento ? Si diuina Natura Filij est incarnata, sequetur omnes tres personas esse incarnatas, cùm Patris, Filij & Spiritus sancti vna sit essentia, vna diuinitas. Quicquid respondere voluerint ad hoc posterius argumentum, idipsum respondebo ad priùs, nimirum sicut tota diuinitas in vna sui ipsius hypostaseon vnita est assumtæ Naturæ, ita diuina Natura τῷ Λόγῳ concurrit ad opera Mediatoris, absque vlla personarum Trinitatis confusione, vel ὁμουσίας earundem abolitione.

Alia obiectio. 180. Eodem ferè recidit istud argumentum. *Mediator debet esse medius, id est, distans ab vtraque parte, Christus vt Deus non distat à Deo, Ergo vt Deus non est medius. Resp.* 1. quid si eodem modo argumenter. Mediator debet esse medius, id est, distans ab vtraque parte. Christus vt homo non distat à nobis hominibus, Ergo vt homo non est Mediator ? 2. Mediator potiùs dicitur à sua ad vtramque partem οἰκειώσει domesticitate & mediatione, vt loquitur Iren. lib. 3. c. 20. quàm à distãtia, finis enim & officium eius est partem vtramque dissidentem iterum coniungere. 3. Inter Deum ergo & homines Dei inimicos medius est & medium sese statuit Christus θεάνθρωπος cognationem habens cum Deo, vt Deus est, cum hominibus, vt homo est, æqualis & ὁμοούσιος est Patri ratione diuinitatis, ὁμοούσιος est nobis hominibus ratione assumtæ carnis. Chrysost. sup. 1. Tim. 2. *Mediator vtriusque eis debet societate coniungi, quorum est Mediator. Id quippè Mediatoris est proprium, vtrorumque fieri participem, quorum est Mediator. Quod si vnum quidem societate contingat, ab alio verò fuerit separatus, Mediator iam dici non potest. Quia igitur duarum Naturarum medius fuit, ambarum oportuit esse participem. Quemadmodum enim loci cuiuslibet medium vtramque partem contingat necesse est, ita & Naturarum ambarum medium oportuit vtrasque Naturas contingere atque connectere, quemadmodum igitur homo factus est, ita etiam Deus erat.* Theodoret. tom. 2. dial. 2. *Quoniam Patri vt Deus coniunctus est, vt qui eandem habeat substantiam, vt homo autem nobis, à nobis enim accepit formam serui, meritò intercessor seu Mediator dictus est vnione Naturarum diuinitatis inquam & humanitatis ea quæ sunt distantia & disjuncta coniungens.* 4. Si dicas non solùm οἰκειώσιν ad vtramque partem, sed etiam distantiam ab vtraque parte in Mediatore requiri, promptè respondeo, Christus vt homo distat à Deo, vt Deus distat à nobis. Christus θεάνθρωπος non tantùm Deus est, vt erat ante incarnationem, neq; tantùm homo, sed simul Deus & homo. 5. Si vrgeas Mediatorem non posse esse vlla ratione idem cum eo cuius est Mediator, sequetur Christum secundùm humanam Naturam non esse Mediatorem, quod vtraque pars falsum esse agnoscit.

Explicatio dictii 1. Tim. 2. vers. 181. Explicandum hoc loco dictum Apostoli 1. Tim. 2. vers. 5. *Vnus Deus vnus Mediator Dei & hominum homo Iesus Christus*, ex quo euidenter putant colligi posse, Christum secundùm humanam Naturam tantùm esse Mediatorem. *Respon.* 1. Apostolus vsus est concreto, totam personam (licet ab altera tantùm Natura denominata) notante, sed ex eo haudquaquã sequitur, Christum secundùm illam tantùm Naturam à qua denominatio fit Mediatorem esse, cùm ostensum sit, vtramque Naturam in officio Mediationis agere. 2. Vox enim hominis hîc non notat ψιλὸν ἄνθρωπον seu tãtùm humanam Christi Naturam, sed hominem Christum, qui etiam verus Deus est, obseruanda ergo hoc loco regula Leonis Epistol. 41. ad Palæst. *Non interest, ex qua Christus substantia nominetur, cùm inseparabiliter manente vnitate per sona idem sit & totus hominis Filius propter carnem & totus Dei Filius propter vnam cum Patre Deitatem.* 3. Si ex concreto ab vna Natura denominato sequeretur alterius Naturæ exclusio, vtique pari ratione ex aliis locis, in quibus ponitur concretum à diuina Natura denominatum concludi posset, Christum secundùm diuinam Naturam tantùm esse Mediatorem. 1. Iohan. 3. vers. 8. *In hoc apparuit Filius Dei, vt destrueret opera Diaboli.* 1. Iohan. 4. vers. 9. *In hoc apparuit charitas Dei, quoniam Filium suum vnigenitum misit in mundum, vt viuamus per eum.* 4. Coniungenda ergo erunt testimonia, quæ disertam vtriusque Naturæ mentionem faciunt in describendis operibus Mediatoris, vt secundùm vtramque Naturam in Christo competere doceamur. Actor. 20. vers. 28. *Deus proprio suo sanguine redemit Ecclesiam.* 1. Ioh. 1. v. 17. *Sanguis Iesu Christi, Filij Dei, emundat nos ab omni peccato.* Gal. 4. v. 4. *Vbi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum, natũ ex muliere, factũ sub lege, vt eos, qui sub lege erant, redimeret.* 5. Ex his omnib. apparet plus colligi ex Apostolico dicto, quàm vera colligendi ratio permittit, Christum Mediatorem nostrum hominem esse Apostolus asserit, sed eum tantùm vt hominem Mediatorem esse, nusquam dicit. 6. Nec eo fine Apostolus vtitur concreto ab humana Natura denominato, vt innuat secundùm humanam Naturam tantùm Christum esse Mediatorem, sed denominãdo Christum Mediatorem nostrum ab ea Natura, in qua nobis est ὁμοούσιος, solidum consolationis fundamentum nobis proponit, siquidem nobis hominib. magis amica & grata est appellatio hominis quàm Dei, quæ appellatio nos peccatores terrere solet, cùm statim suboriatur in cordib. nostris cogitatio, *quòd Deus sit ignis consumens.* Deut. 4. vers. 24. Hebr. 12. v. 29. Pertinet ergo huc pulcerrimus locus Hebr. 4. vers. 15. *Non habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris, sed tentatum per omnia secundùm similitudinem absque peccato.* vers. 16. *Adeamus ergo cum fiducia thronum gratiæ, vt misericordiam consequamur & gratiam inueniamus ad auxilium opportunum.* 7. Quid, quod versu immediatè sequente Apostolus addit, Christum dedisse semetipsum αὐτὸν λυτρον ὑπὲρ πάντων, quod Hebr. 9. v. 14. ita exponitur, *Christus per Spiritum æternum obtulit seipsum immaculatum Deo*, vbi potiores Interpretes per Spiritum intelligunt diuinitatem Ioh. 4. v. 24. 1. Tim. 3. v. 16. & ostendit res ipsa, non posse ab hoc opere diuinam Naturam excludi, cùm dare seipsum ἀντίλυτρον pro totius generis humani peccatis,

Alia obiectio.

non

non sit essentialis quædam humanæ Naturæ proprietas. 8. Quod si cui videatur absurdum, Christum non secundùm humanam Naturam, sed etiam secundùm diuinam (qua est vnus cum Patre & Spiritu S. Deus) officium Mediatoris exequi & toti Trinitati genus humanum reconciliare, is diligenter expendat emphasin dicti Apostolici 2. Cor. 5. vers. 18. *Deus reconciliauit nos ἑαυτῷ sibi ipsi per Iesum Christum.* vers. 19. *ὡς ὅτι θεὸς ἦν ἐν χριστῷ κόσμον καταλλάσσων ἑαυτῷ μὴ λογιζόμενος αὐτοῖς τὰ παραπτώματα αὐτῶν.* Aureus certè hic est Apostoli locus ostendens ab operibus Mediatoris diuinam Christi Naturam neutiquam excludendam esse. 9. Neque hîc locum habet effugium Bellarmini discrimen statuentis *inter reconciliatorem & Mediatorem*, quasi non omnis, qui reconciliat, sit Mediator: cùm non absolutè & simpliciter de reconciliatione hîc agatur, sed de reconciliatione per Christum facta, quæ non potest non ad officium Mediationis referri, siquidem ita comparata est, quòd Christus medium se ponendo inter Deum & homines sublatis per passionem & mortem suam inimicitiis homines Deo reconciliauerit, vt ibidem hanc reconciliationem Apostolus describit.

182. Vtuntur etiam hoc argumento: *Orare, pati, obedire & satisfacere pertinent ad formam serui & non ad formam Dei. Ergo Christus secundùm humanam Naturam tantùm est Mediator.* Resp. 1. est insufficiens annumeratio operum Mediatoris, siquidem ad ea etiam pertinet ira Dei placare, satisfacere pro peccatis totius generis humani, legem pro aliis implere, &c. quæ non competunt finitæ tantùm Naturæ. 2. Distinguendum ergo inter proprietates Naturales & ἀποτελέσματα officij Mediatoris: pati, mori, sanguinem effundere sunt proprietates humanæ Naturæ, quas Christus nobiscum communes habet, sed pati pro peccatis totius generis humani, mori pro mundi vita, effundere sanguinem pro multis in remissionem peccatorum, non sunt proprietates humanæ Naturæ, sed ἀποτελέσματα Christi θεανθρώπου, ad quæ concurrit vtriusque Naturæ proprietas & ἐνέργεια. 3. Hinc rectè Damasc. lib. 3. cap. 15. *Patienti carni coniuncta erat diuinitas manens ipsa impassibilis & passiones efficiens salutares.* 4. Nec satisfacit Bellarmin. quando dicit, *ad id sufficere quod suppositum siue principium quod sit Deus & homo*, quæstio enim est non de persona, sed de operibus Christi, nimirum vnde sit illa infinita vis & efficacia passionis Dominicæ, quòd sit ἰσόρροπον λύτρον pro peccatis totius generis humani? hîc certè dicendum, diuinam Naturam non per nudam παρέμφασιν in passione & morte Christo abfuisse, sed etiam infinitum robur ac pondus huic passioni & morti adeoque toti obedientiæ Christi addidisse, vt inde & ideò sit sufficiens λύτρον pro peccatis mundi. Quòd si in opere nostræ cum Deo reconciliationis aliquid concurrit, quod non ab humanitate Christi formaliter, hoc est, à virtute humanitatis per se & ex se, sed ab ipsa infinita τοῦ Λόγου Deitate, quasi influit, vtique non secundùm humanam tantùm Naturam, sed etiam secundùm diuinam Christus est Mediator: si verò sola humana Natura agit, secluſa diuinæ Naturæ actiuitate, vtique obedientia Christi nec satisfactio erit pro peccatis mundi, nec imputari nobis poterit ad iustitiam. 5. Res poterit exemplo qualicunque declarari. Detineantur ab Imperatore Turcico centum Christiani captiui, si Dynasta aliquis pro illis λύτρον persoluere polliceatur, vtique non sufficit nudus ille respectus dignitatis in Dynasta ad λύτρον, vt propterea Turcicus Imperator captiuos suos dimittat, sed requiritur actualis τοῦ λύτρου persolutio: sic ad λύτρον pro totius humani generis peccatis persoluendum, nõ erat sufficiens illa Christi dignitas, quod in vna persona Deus esit & homo, sed requirebatur vt in ipsum λύτρον actiuitas quædam ab illa supereminente diuinitate quasi influat.

Aliæ obiectiones.

183. Si quæ alia occurrunt argumenta, quibus diuina Christi Natura ab officio Mediatoris excludi videatur, ea ex superioribus facilè possunt explicari. Coronidis loco inquiremus, cur Bellarminus & ipsius complices Stancarũ hac in parte malint sequi quàm veritatem. Nimirum volunt fundamentum ponere nostræ satisfactionis; si enim Christus non vt Deus & homo, sed vt homo iustus est Mediator, vtique satisfacere pro peccatis non erit amplius soli Christo proprium, sed cum hominibus iustis ipsi commune.

Cur Pontificij Stancarum sequantur.

184. Disputat ex Scholasticis Biel. 3. sent. dist. 19. art. 3. dub. 2. hoc modo per Christi passionem à culpa, à pœna, & à potestate Diaboli nos esse liberatos, *quod scilicet plus placuerit Deo hac voluntas Christi secundùm hominem voluntarie mori eligentis ex tanta charitate elicita, quam omnium hominum peccata displicuere: propter opus tam acceptabile Christi, quod pro reconciliatione generis humani obtulit Trinitati, Trinitas omnibus Christo incorporatis remisit peccatum.* Hact. Biel. aliquorum Scholasticorum sententiam secutus, ex quo apparet, quod rationem satisfactionis à Christo præstitæ non constituunt in infinita vi & efficacia meriti Christi iustitiæ diuinæ perfectè satisfacientis, sed in misericordiæ diuinæ acceptatione, qua Deus passionem Christi ex tanta charitate profectam, tantam & gratam habuit: inde vlterius deducunt, etiam nostra opera ex charitate profecta esse satisfactoria, licet in gradu minori.

185. Sic Durandus 4. sent. dist. 15. conatur probare, *quòd Christus secundùm strictum rigorem iustitiæ diuinæ non satisfacere potuerit*, vtitur autem duobus argumentis: *Primus tale est. Quicquid erat in Christo secundùm humanam Naturam, erat obligatum Deo & ei debitum, ideò non potuit esse satisfactio de condigno pro quocunque peccato, considerando Naturam operis vel rei, sed solum potuit esse satisfactio secundùm acceptionem gratuitam. Resp.* fons erroris est, quòd officium Mediatoris Christo secundùm humanam tantùm Naturam competere præsupponit, cuius contrarium luculentè Scriptura docet: rectiùs hac in parte scribit Thom. part. 3. q. 22. art. 3. *in quantum Christi humanitas operabatur in virtute Deitatis, illud sacrificium erat efficacissimum ad delenda peccata. Posterius Durandi argumentum tale est: passio Christi non fuit tanta, quanta infernalis pœna peccatis debita. Resp.* Christus tempore passionis in anima verè pertulit dolores infernales, vnde cœpit λυπεῖσθαι, ἀθυμεῖσθαι, ἀδημονεῖν, sudor eius sanguineus è corpore erumpit, & se à Deo desertum esse conqueritur.

186. Seduxerunt hæ Scholasticorũ disputationes Caluinum, vt & ipse scriberet lib. 2. Inst. c. 17. sect. 1. *Equidem fateor, si quis simpliciter & per Christum opponere vellet iudicio Dei, non fore meritò locum quia non reperiretur in homine dignitas, quæ possit Deum promereri.* Sed ab erroris hisce opinionibus manifestè nos seiungimus & grato animo agnoscimus sapientissimam illam salutis nostræ οἰκονομίαν, quòd Filius Dei ideò de cœlo descendit, & humanam Naturam assumsit, vt esset noster Mediator, Redemtor & Saluator in secula benedictus.

Officij Christi, 1. Propheticum.

187. Porrò officium Christi triplex est: Propheticum, Sacerdotale & Regium. Propheticum est,

quo Christus nobis reuelauit Dei voluntatem de salute nostra: quod quidem exequitur, tùm per se ipsum promulgando Euangelium, hoc est, arcanum Dei consilium de redemtione generis humani & repurgando legem à corruptelis Pharisaicis: tum instituendo ministerium docendi in Ecclesia: quò etiam pertinet institutio Sacramentorum.

188. *Respectu officij Prophetici Christus dicitur Pastor, Apostolus, Euangelista, Doctor, Rabbi, Præceptor gentium, autor & consummator fidei nostræ, Consiliarius, legifer, λειτουργὸς*, &c.

1. *Sacerdotale.*

189. Sacerdotale Christi officium est, quo medium se inter Deum ac homines ponens, Deo totum genus humanum reconciliauit, satisfaciendo diuinæ Legi, & apud Deum intercedendo, vnde duæ sunt officij sacerdotalis partes, satisfactio & intercessio, *Satisfactio* est, qua Deo persoluit precium sufficiens pro totius generis humani peccatis, eidemque iustitiam & vitam æternam acquisiuit: quæ satisfactio spectatur tùm in impletione diuinæ legis, tùm in persolutione pœnarum peccatis debitarum, vulgò dicitur actiua & passiua obedientia: quæ vtraque pars est officij Christi Sacerdotalis. *Intercessio* Christi est, qua pro nobis interpellat apud Deum vi meriti & satisfactionis præstitæ, quæ illius est fundamentũ.

190. *Respectu officij Sacerdotalis Christus dicitur Pontifex noster, Aduocatus, summus Sacerdos, Reconciliator, pax nostra, Agnus Dei, pascha nostrum, &c.*

3. *Regium.*

291. Officium Christi Regium est, quo ipse gubernat omnia in cœlo & in terra, & imprimis Ecclesiam.

192. *Respectu officij Regij Christus dicitur Rex, Princeps, Dux, Dominator, Iudex, Princeps pacis, Dauid, &c.*

193. *Regnum hoc consideratur vel in hac vita; vel in altera. In hac vita* dicitur regnum potentiæ vel gratiæ: *Regnum potentiæ* est generale imperium super omnia, nempè gubernatio cœli & terræ, subiectio omnium creaturarum, dominium in medio inimicorum, quos reprimit ac punit. *Gratiæ regnum* est specialis operatio misericordiæ in Ecclesia, scilicet missio, illuminatio, confirmatio Apostolorum, Euangelistarum, Pastorum ac Doctorum; collectio Ecclesiæ prædicatione Euangelij, & dispensatione Sacramentorum, regeneratio, sanctificatio, viuificatio credentium, applicatio sui meriti, protectio & conseruatio piorum sub cruce, & liberatio, effusio variorum donorum, &c.

194. In altera vita dicitur regnum iustitiæ & gloriæ, quod conspicitur in resuscitatione mortuorum ac vniuersali iudicio tùm reproborum ad damnationem, tùm electorum ad æternam beatitudinem; in *qua Deum sine fine videbunt; sine fastidio amabunt; sine defatigatione laudabunt.*

13. Nov. 1606

FACTA EST §. 130. MENTIO cuiusdem Orationis, habitæ in Actu Doctorali, de illa Quæstione; *An omnia, an quædam, an verò nulla idiomata diuina humanæ Christi Naturæ sint cõmunicata?*

Ea verò sic habet.

VOTIES mecum cogito, Viri Magnifici, Reuerendi, Consultissimi, Excellentissimi, Præceptores colendissimi, hospites exoptatissimi: vosque Nobilissimi & lectissimi Dn. Studiosi, fautores & amici honorandi, quoties, inquam, mecum de statu Ecclesia nostri temporis cogito (cogito autẽ sæpissimè) non possum non vehementer animo commoueri. Ex vna enim parte Pontificia vi ac tyrannide oppugnatur acerrime. Ex parte altera Caluinianorum atque aliorum sectariorum insidiis labefactatur astutissimè, ita vt manifestè appareat, cõpleri illud, quod iã pridem Augustinus Magnus ille primitiuæ sinceriorisque Ecclesiæ Doctor prædixit: (Enarr. in Psal. 9. to. 8. p. 14. lit. H.) Prima persecutio Ecclesiæ se violenta fuit cùm proscriptionibus, tormentis, cædibus Christiani ad sacrificium cogerentur. Altera persecutio fraudulenta est, quæ nunc per huiuscemodi hæreticos & falsos fratres agitur. Tertia supereſt per Antichristum ventura, qua nihil est perniciosius, quoniam & violenta & fraudulenta erit. Vim habebit in imperio, dolum in miraculis. *Nostra hæc tempora sunt, nostri anni, nostri dies, in quibus & violenta & fraudulenta illa persecutio Ecclesiam exercet. Sed enim ne animum planè despondeam, obuersatur oculis & cordi perpetuò diuina illa promissio, fore vt inferorum portæ aduersus Ecclesiam nullo modo præualeant. Valeant licet & fortes sint istæ inferorum portæ, id est, Diaboli potestas contra Ecclesiam: Valeant, inquam, modò non præualeant: Oppugnetur Ecclesia vndiquaque, modo non oppugnetur. Premantur veri ac sinceri doctrinæ cœlestis confessores, modò non opprimantur. In promissione hac diuina, ideoque planè infallibili perfugium nobis paratum certissimum, ad quod seriis precibus confugiamus, quotiescunque grauior aliqua tentatio de futuro Ecclesiæ statu nobis oboritur. Cæterum inter machinas illas, quibus spiritualis hæc Dei domus concutitur, facilè primaria est funesta illa controuersia de donis infinitis Christo in tempore datis siue de Maiestate Filij Dei secundùm Naturam humanam ipsi data, ad quam labefactandam quid non excogitauit audacia humana? quàm varias strophas ac contortas conclusiones ex acuminis sui opibus in medium hactenus protulit? quot plaustris argumentorum, interdum etiam conuitiorum, doctrinam hanc oppugnauit?*

Inter argumenta illa primarium ac planè ἀδιάλυτον ab aduersariis iudicatur istud, quod optimi ingenij & præclaræ indolis adolescens in medium protulisti. Aut omnia, aut quædam, aut nulla diuina ac infinita dona Christo secundùm humanam Naturam communicata. Non omnia: quia non æternitas, non infinitas. *Non quædam*: quia diuina attributa à se inuicem realiter separati nequeunt. Manet igitur quod nulla.

Speciosè singula membra deduci possunt & explicari. sed primò omnium fontem argumenti respiciamus. Non Scripturæ enunciata, non Spiritus S. oracula, non Prophetica aut Apostolica dicta audimus, sed rationis humanæ cogitata. Scriptura id, quod in argumenti conclusione est, non solùm non dicit, sed etiam contradicit. Dona diuina & infinita Christo in tempore data esse ex Scriptura tàm clarum est, vt etiam huius claritatis lux clausos quorundam aduersariorum oculos feriat, qui benignè prolixèque largiuntur, infinita esse ea, quæ Christo in tempore data sunt. In eo solùm extra Scripturæ limites nos progredi dicunt, quod à persona transitum faciamus ad Naturam. At res ipsa cogit, vt secundùm humanam Naturam Christo ea data esse dicamus, siquidem persona Christi non est quiddam tertium ex vtraque Natura compositum, sed Christi persona subsistit in duabus Naturis, constat ex duabus Naturis, & duæ illæ Naturæ personaliter vnitæ sunt vnus ille Christus. Quæcunque ergo de Christi persona dicuntur, vel secundùm humanam tantùm, vel diuinam tantùm, vel vtramque eius Naturam de eo dicuntur. Quartum aliquod non datur. Eligant ergo, quodnam ex tribus hisce membris velint, nec ampliùs molesti nobis sint iubendo, vt in persona subsistamus. Ipsa Scriptura quando hunc communicationis gradum describit, ad humanam Naturam intendit digitum. Caro mea est viuifica,

viuifica, dicit Christus Ioh.6.v.51. & 53. Pater Filio iudicium dedisse, dicitur ὅτι, quia & quatenus est Filius hominis Ioh.5.v.27. Ipse ille, qui ambulat in medio candelabrorum aureorum, id est, Ecclesiarum dicitur hominis filius, describuntur ipsius membra, caput, oculi, pedes, vox, dextra, os, facies *Apoc.1.vers.13. Leo de tribu Iuda & agnus stans tanquam occisus dignus est accipere virtutem, & diuitias, & sapientiam, & honorem, & gloriam, & benedictionem Apoc.5. vers.5. Pedibus Christi omnia subiecta esse dicuntur Eph.1.Psal.8.Et in manus Christi omnia à Patre ipsi tradita dicuntur Ioh.3.v.35. Quis ergo humanam Naturam hic excludere posit, cùm secundùm eam membra illa, caput, oculos, pedes, manus ve habeat? Pertinet huc quòd gloriosa illa exaltatio tanquam consequens & præmium exinanitionis describitur. Vnde rectissimè concluditur, ad eam Naturam pertinere exaltationem, secundùm quam priùs fuerat exinanitus Eph.1.v.20. Deus suscitauit Christum à mortuis & constituit eum ad dextram suam in cœlestibus: vbi connexio resurrectionis & sessionis ad Dei dextram ostendit, vtrumque membrum ad eandem Naturam in Christo scil. ad humanam referri debere, id quod adhuc euidentius apparet ex connexione articulorum in Symbolo Apostolico: Ibi enim coniunguntur Christi passio, mors, sepultura, resurrectio, ascensio in cœlum, sessio ad dextram Dei, reditus ad iudicium: Asserat aliquis rationem certam ac immotam, cur tàm antecedentia quàm consequentia, id est, passio, mors, sepultura, resurrectio, ascensio in cœlum & reditus ad iudicium referantur ad humanam Naturam, & tamen intermediam, scil. sessio ad Dei dextram ab eadem remoueatur.*

Augustana Confessio *argumenti neruum fortius constringit: Dicit enim Christum* ascendisse ad cœlum, vt sedeat ad dextram Dei: *sed quàm absurda hæc euadet analysis: Christus secundùm humanam Naturam ascendit ad cœlum, vt secundùm diuinam sedeat ad dextram Dei?*

Quid enim? annon antea secundùm diuinam Naturam vbique diuini erat particeps? Sic Psal.110.v.vlt. de torrente, intellige passionum, in via, id est, in vita huius curriculo bibit, propterea exaltabit caput: Illud לכן *exprimitur etiam ab Apostolo Phil.2.vers.9. factus est obediens Patri vsque ad mortem crucis;* διὸ καὶ, *propterea superexaltauit eum Deus: Vtrobique clarè indicatur, exaltationem esse præcedentis exinanitionis consequens, & quasi præmium quoddam ideoque humanæ Naturæ tribuendum. Illustrari hæc possunt ex locis parallelis Hebr.2.v.9. Videmus Iesum per passionẽ mortis gloria & honore coronatũ. Psal.8.v.6.7. Minuisti eũ paulò minus ab Angelis, gloria & honore coronasti eum. Luc.24.v.26. Christus per passionem intrauit in suam gloriã. Rom.14.v.9. Christus ideò mortuus, vt viuis ac mortuis dominetur.*

Ex connexione v.3. & 4. in c.1. Hebr. itidem firmum ducitur argumentum. Sedit Christus ad dextram Dei tantò melior factus Angelis, quanto excellentius nomen sortitus, vndè promptum est colligere: Christus secundùm humanam Naturam præstantior factus Angelis. Ergo secundùm eandem sedet ad dextram Dei. Adde, quòd Scriptura hæc omnia in tempore Christo esse data dicat. Matth.26.v.64. amodo videbitis Filium hominis sedentem à dextra potentiæ Dei. Dan.7.v.13. Videbam in Visione noctis, & ecce in nubibus cœli tanquam Filius hominis veniebat, & vsque ad Antiquum dierum peruenit, & dedit ei potestatem & gloriam. Dan.9.v.24. determinatur tempus, in quo vngendus sit Sanctus Sanctorum. Ioh.19.v.1. Pater, Venit hora, clarifica Filium tuum. Inde constructa est illa totius Antiquitatis (notanter dico totius Antiquitatis) consentiens regula: Quæcunque Christo in tempore data secundùm humanitatem data esse intelliguntur. Ratio euidens: quia secundùm Diuinitatem hæc omnia ab æterno habet, & quidem per æternam à Patre generationem. Illa autem in tempore data ex gratia data esse dicuntur Phil.2.v.9. ἐχαρίσατο *ex gratia sortitus est hoc nomen, vt in nomine Iesu flectatur omne genu: Vnde aliud promanat argumentum, quo euincimus secundùm humanam Naturam hæc ei data esse. Denique ipsa Natura Dei non admittit, vt Christo secundùm Diuinitatem ea data esse dicamus. Deus est* ὑπερτελὴς, *perfectissimus, nullius indigens, actus purissimus,* ἀμετακίνητος οὐσία *inuariabilis, cui nec addi nec demi quicquam potest. Cùm ergo Christus sit vnus verus cum Patre & Spiritu Sancto Deus, certè secundùm Deitatem ipsi dari aliquid non potuit: Excelsus igitur non exaltatur, sed caro excelsi. Assumti, non assumentis prouectio est. Hinc Leo Epist. Ro.Ep.22. Dicant Aduersarij veritatis, quando omnipotens Pater vel secundùm quam Naturam Filium suum super vniuersa prouexerit, vel cui substantiæ cuncta subiecerit. Deitati enim semper omnia fuerunt subiecta: huic si addita potestas, si illustrata dignitas, si exaltata sublimitas, minor erat prouehentes: sed talia sentientem in sui societatem Arius rapit. Ex hæc & similia fundamenta de donis Christo in tempore secundùm humanam Naturam datis ex Scriptura proferimus, quibus conclusio argumenti propositi immediate contradicit. Eligat igitur pia & Christiana mens, an Scripturam ducem sequi malit, an verò argumentum hoc ex ratione ductum. Neque est quòd quis dicere velit, non esse hoc argumentum Aduersariorum ex ratione, sed ex ipsa Scriptura ductum: siquidem ex scriptura discimus Christi humanam Naturam non esse æternam, non infinitam. Ex Scripturæ discimus attributa & essentiam esse realiter idem in Deo. Cùm ergo hisce pronunciatis Syllogismus nitatur, ideò non ex ratione, sed ex Scriptura eum esse ductum. At, inquam, distinguendum inter propositiones ipsas & propositionum applicationes. Propositiones non negamus, sed earum dextram & legitimam applicationem fieri negamus. Vt res sit euidentior, concedimus, Christi humanam Naturam non esse æternam, non esse infinitam: concedimus essentiam & attributa in Deo esse idem, sed negamus inde rectè inferri, quòd nulla diuina idiomata Christo secundùm humanam Naturam sint communicata, quia illatio illa repugnat manifestis testimoniis, quæ Christo in tempore data esse dona infinitæ testantur, quæ non minus audienda & fideli corde credenda, quàm illa, quæ in præmissis huius argumenti proponuntur. Sanè moratis & moderatis ingeniis hac ratione esset satisfactum, scil. non esse audiendum argumentum ex ratione ductum contra manifesta Scripturæ effata. Posset etiam idipsum declarari similibus exemplis ex doctrina de Trinitate & aliis fidei Christianæ mysteriis. Sed enim cum tantum robur & neruus tàm insolubilis argumento illi inesse iudicetur, accuratius in illud inquiremus. Dicit aduersarius: Aut omnia, aut quædam, aut nulla sunt communicata.* Non omnia, non quædam. Ergo nulla.

Primò dico conclusionem audiri in Ecclesia non debere, quippe quæ iamdudum damnauit Samosatenum, quòd statuerit, τὰς φύσεις παντάπασιν ἀκοινωνήτας εἶναι. *Vnio veræ & realis sine aliqua communicatione ne cogitari quidem potest: Esset enim nuda* συνάφεια, *non vnio aliqua. Deinde quæro, quare non debeant Christi humanæ Naturæ communicata dici omnipotentia, omniscientia, vis viuificandi, omnipræsentia, &c. cùm ipsa Scriptura euidenter id asserat? Respondet Aduersarius, quia communicato vno idiomate, necesse est communicari etiam reliqua omnia, cum sint realiter vnum quid inter se & cum diuina essentia.*

Quantum igitur colligo, totus argumenti neruus consistit in eo pronunciato. Eorum, quæ sunt realiter vnum, communicato vno, communicatur & alterum. Vt videas nec posse nec debere hoc pro simpliciter vniuersali pronunciato in diuinis mysteriis accipi, nota hæc exempla. Hypostasis & essentia in Deo Patre non differunt realiter. Applica tuum pronunciatum: Eorum, quæ sunt realiter vnum, communicato vno, communicatur & alterum: certe inde inferam consequentia immota. Aut ergo Filius habet cum essentia

hypostasin Patris, & sic erit vna cum Patre persona: aut nec hypostasin, nec essentiam Patris habet, & sic non erit vnus cum Patre Deus.

Sic forma specifica vnionis duarum Naturarum in Christo, consistit in eo, quòd humana Natura assumpta in ipsam λόγου ὑπόστασιν, & quòd particeps facta est humana Natura ὑποστάσεως τοῦ λόγου. Affer iam tuum pronunciatum: Eorum quæ realiter vnum sunt, communicato vno communicatur etiam alterum. Subsumam ego: Hypostasis, essentia, attributa λόγου realiter non differunt, Nisi ipsam negare velimus vnionem, dicendum erit necessariò, hypostasin λόγου esse assumtæ carni communicatam, quæ omnium consensu infinita, æterna & immensa est, nec tamen carnem facit infinitam, æternam & immensam: Annon pari ratione diuina potentia, vis viuificandi, omnipræsentia, &c. Christi carni potuit communicari, vt tamen propterea non statim humanitas Christi dicenda sit infinita, æterna, immensa & Deitati æqualis?

Sic hypostasis & personalis proprietas in λόγῳ realiter non differunt: Affer iam tuum pronunciatum: Eorum, quæ realiter vnum, communicato vno, communicatur etiam alterum: Et ego immota consequentia inferam: Vt Caro Christi non est ab æterno genita (quæ est personalis proprietas λόγου) ita etiam non esse participem factam ὑποστάσεως λόγου, & sic negabitur ipsa vnio.

Tria hæc exempla manifestè comprobant, non esse in summis hisce mysteriis temerè ex pronunciatis quibusdam in speciem vniuersalibus quiduis inferendum. Ex ipsa etiam Natura quædam afferri possent, quæ huiusmodi pronunciati vniuersalitatem quodammodo infringerent: Anima est ὅλως ὅλον & ἀδιαίρετόν τι, nec à suis potentiis realiter differt, interim tamen Corpori communicat vim sentiendi, mouendi, non autem (vt ita loquar) Spiritualitatem. Ignis ferro communicat vim vrendi & lucendi, non autem leuitatem. Quibus similitudinibus propterea in hoc mysterio libentiùs vtor, cùm à primitiuæ Ecclesiæ Scriptoribus Iustino, Origene, Augustino, Athanasio, Cyrillo & Damasceno sint vsurpatæ.

Si quæras, an statuamus omnia, an verò quædam diuina idiomata Christo secundùm humanam Naturam esse communicata? affero primùm classicum illud Apostoli enunciatum Col. 2. v. 9. Tota plenitudo Diuinitatis habitat in Christo σωματικῶς, in quo verbis valdè significantibus describitur mysterium vnionis, ex qua dependet idiomatum communicatio, cuius rationem imitatur. Non dicit Apostolus, diuinos habitus aut effecta quædam diuina in Christo esse, sed τὸν θεότητα: neque simpliciter dicit θεότητα, sed plenitudinem τῆς θεότητος, id est, ipsam perfectissimam Naturam diuinam scil. τοῦ λόγου siue Filij. Addit πᾶν πλήρωμα totam plenitudinem, hanc dicit ἐνοικεῖν, vt non intelligatur ἐνδόξασις quædam ad tempus, sed penitissima, incomprehensibilis & ineffabilis inhabitatio. Neque Apostolicum hoc pronunciatum intelligi potest, quasi in Deitate inhabitet plenitudo Deitatis: siquidem in Deo omnia essentialia. Distinctè ergo denotatur inhabitans Deitas & ipsius templum, in quo habitat, assumpta scil. Natura, id quod clarè perspicitur ex voce σωματικῶς, quam Augustinus, Oecumenius, & Damascenus ita explicant, quasi dictum sit in corpore ceu in quodam templo, sicut ipse Christus Ioh. 2. corpus suum vocat templum: Alij explicant per vocem personaliter. Vox enim σῶμα apud Græcos personam significat. Res eodem recidit in vtraque explicatione. Sensus enim est, longè alio modo in hac assumpta Natura habitare λόγῳ Diuinitatem, quàm in cæteris Sanctis, in quibus itidem tota persona λόγου habitat, cum λόγος partem extra partem non habeat: Interim tamen non efficitur inde vna persona, sed cum sola hac humana Christi Natura tota plenitudo Diuinitatis τῷ λόγῳ vnam constituit personam. Certè si quis ponderà huius Apostolici pronunciati expenderit, fatebitur non esse temerè pronunciandum de communicatione illa Diuinorum idiomatum humanæ Christi Naturæ facta, quid & quantum ei communicari potuerit, sed Scripturæ sententiam esse inquirendam, & quicquid illa de hoc summo mysterio pronunciauerit, prompto ac fideli corde esse acceptandum. Scriptura dicit, Christo secundùm humanam Naturam communicatam esse vim viuificandi, omniscientiam, omnipræsentiam. Nusquam autem dicit humanam Christi Naturam esse factam infinitam, æternam &c. Est ergo simplicitas & pietas digna Christiano in hisce Scripturæ terminis ac limitibus subsistere, ac Dei verbis hunc honorem habere, vt fidem illis non deneget, etiamsi rationi nostræ modus non appareat. Si cui hæc modesta simplicitas non probatur, illum deducimus ad pios veteres, qui proprietates Dei distinguunt in proprietates primi & secundi generis.

Primi generis attributa vocant, quæ in essentia seu Natura diuina ita versantur & considerantur, vt nulli rei præter Deum conueniant, aut simpliciter & absolutè tribui & communicari possint: Talia sunt æternitas, infinitas, immensitas, &c.

Secundi generis attributa vocant, quibus Natura diuina ceu actibus substantialibus & energeticis constat. Talia sunt vita, sapientia, potentia. Eandem distinctionem alij sic efferunt: Attributa diuina considerantur vel καθ' αὐτὸ intra ipsam diuinitatem: vel πρὸς τὸ ἔξω & ἐνεργητικῶς. Priori modo attributa nihil aliud sunt, quam simplissima Dei essentia, nec aliud in Deo æternitas, aliud omnipotentia: sed est vna & eadem Dei essentia: Posteriori modo considerata attributa diuina distinguuntur: operationes enim Dei sunt liberrimæ.

Sic Deus omnipotentia sua conseruat impios, nec tamen misericordia sua eos iustificat: omniscientia sua intuetur mala opera, nec tamen voluntate beneplaciti approbat. Proinde cùm idiomatum communicatio sit liberrima οἰκονομία καθ' ἡδονήν, ideò assumtæ carni Maiestatem diuinam communicat, quando & quomodo vult. Huc pertinet illud, quòd etiamsi Naturam humanam nemo dicere debeat æternam, infinitam vel immensam, nihilominùs communicata illi potentia, scientia, viuificandi vis æterna est, infinita & immensa. Si vrgere omninò velis, quare non eodem modo de communicatione diuinorum idiomatum sentiendum ac dicendum sit, id est, quare non sequatur, aut omnia idiomata eodem planè modo assumptæ Christi carni communicata, aut planè nulla esse communicata: deduco priùs moderatos animos ad Scripturam, quæ in summis hisce mysteriis reuerenter audienda. Deinde moneo, multa adhuc in lumine gratiæ esse cognitu difficilia, quæ plana erunt & perspicua in lumine gloriæ.

Tertiò considero rem ipsam. Deus agit ea, quæ veritati suæ non repugnant, ideò non communicat aliquid ei, quod nondum est: Humana autem Christi Natura in tempore cepit initium, assumta scil. ex Maria virgine. Igitur æternitas ei repugnat. Sic infinitas, spiritualitas, immensitas itidem contradictoriè & immediatè Naturæ humanæ repugnant. Ideò de ea immediatè prædicari non possunt, sed vim viuificandi, omnipotentiam, omniscientiam, omnipræsentiam Naturæ humanæ non repugnare ex Scripturæ disco, quæ Christo secundùm humanam Naturam ea data esse asserit & nihilominùs eam in æternum manere veram humanam Naturam nostræ ὁμοίαν affirmat. Quemadmodum hæc doctrina in art. 8. Form. Conc. ex firmis & immotis Scripturæ fundamentis vberius explicatur. Denique considero finem incarnationis. Λόγος assumsit carnem, vt explere posset officium redemtionis in Natura humana, cum ea, & per eam. Iam v. ex principijs suæ essentiæ Natura humana ea non habet, quæ in munere redemtionis erant necessaria. Illa igitur attributa diuina per vnionem hypostaticam ei communicata sunt, quorum vsus in officio redemtionis, vt sunt omnipotentia, omniscientia, omnipræsentia, vis viuificandi, emundandi à peccatis, cultus adorationis, &c.

Hæc enim

Hæc enim omnia ad regium ac sacerdotale Christi officium requirebantur. Christi igitur humanitatem non dico immensam, infinitam, æternam, quia horum attributorum vsus per se siue seorsim non spectatur in illo redemtionis officio. Notanter dico per se, quia nihilominùs verum est, in his attributis infinitatem, æternitatem, immensitatem ita concurrere, vt vis seu potentia illa carni Christi communicata non sit finita & creata, sed infinita, æterna & increata.

Neque est, quòd quis dicere velit nullo modo necessariam esse illam idiomatum communicationem ad officium Mediatorij, cùm sufficiat ad vnum aliquod ἀποτέλεσμα concurrere vtriusque in Christo Naturæ propria, quia agnoscimus hoc loco οἰκονομίαν diuinam, cui placuit in Naturæ assumta, cum ea, & per eam hæc omnia exequi. Ac veteres dulcissimas inde hauriunt consolationes, quod vita in Adamo amissa, vicissim in Christi carne reposita, quòd comedentes Saluatoris viuificam carnem, vitam habemus in nobis, illi carni coniuncti, quæ vita effecta est, quòd certam spem resurrectionis habemus ex manducatione viuificæ huius carnis: quòd mediãte viuifica Christi carne ad vnionem Dei Patris vicissim reducimur, quòd in Christo nostra Natura vicissim exaltata & glorificata: quòd ex plenitudine illa donorum Christo secũdùm humanam Naturam datorum nos quoque accipiamus: quòd in Christo innocentiæ laudibus Natura hominis rursus coronata Spiritu S. ditatur non discessuro iam sicut in Adamo, sed mansuro in Natura nostra & sic reformatur ad Deum per sanctificationem. *Hæc omnia sunt veterum Scriptorum verba, quibus ostendunt summam consolationem exinde ad nos promanare, quòd Christo secundùm humanam Naturam diuina illa idiomata verè ac realiter sint communicata.*

Coronidis loco hoc obseruetur, vsum assumtæ Naturæ non saltem eum fuisse, vt per ipsius exinanitionem ac passionem Christus redemptionis officium exequeretur, sed etiam in ipsa efficacia & applicatione illorum beneficiorum adhuc hodiè humanam Christi Naturam requiri, quia Deus in sua essentia extra Christum est ignis consumens: Igitur non patet nobis aditus ad eum absque humana Christi Natura, quo nomine Christus se vitam vocat. Et quàm absurdum foret ab officio regio, (quod necessariò complectitur præsens cœli ac terræ dominium) Christi assumptam Naturam excludere, cùm ab officio Sacerdotali excludi non potuerit?

Vrgemus igitur hoc argumentum: Nomina officij competunt Christo secundùm vtramque Naturam. Viuificare credentes, potenter eos defendere contra Diabolum & reliquos hostes, audire ipsorum preces, emundare eos à peccatis, &c. sunt nomina officij Christi.

Competunt ergo Christo secundum vtramque Naturam: Cumque ex principiis essentiæ humanæ Naturæ non conueniant, ideò per communicationem data sunt. Sed temporis ratio monet, vt pluribus hæc explicare & deducere supersedeamus, & huic actui vltimum finem imponamus, &c.

FINIS.





D = Inhalt

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-24525661X-12/fragment/page=193

Liber Aulæ Magd: Bon.

IOHANNIS

GERHARDI

SS. THEOL. D. ET IN

ACADEMIA IENENSI

PROFESSORIS,

Locorum Theologicorum

CVM PRO ADSTRVENDA VERITATE, tum pro destruenda quorumuis contradicentium falsitate, per theses neruosè, solidè & copiosè explicatorum.

TOMVS PRIMVS:

In quo continentur hæc CAPITA:

1. *De Scriptura sacra.*
2. *De legitima Scripturæ Interpretatione.*
3. *De Natura Dei, hoc est, Dei essentia & attributis diuinis.*
4. *De tribus Elohim siue de SS. Trinitatis mysterio.*
5. *De Deo Patre & æterno eius Filio.*
6. *De Spiritu sancto.*
7. *De Persona & Officio Christi.*

Quartùm editus & Capitibus distinctus.



FREE CHURCH OF SCOTLAND EDINBURGH COLLEGE LIBRARY

GENEVÆ,

Ex Typographia PHILIPPI GAMONETI.

M. DC. XXXIX.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-24525661X-12/fragment/page=195